Y

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Y

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

G. Piso
HISTORIA
NATURALIS
BRASILIÆ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

KW 36 C3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

~~20 F 16~~

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3



KONINKL. BIBLIOTHEEK TE'SHAGE.

KW 36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GUILIELMI PISONIS, M. D.
Lugduno-Batavi,

DE

MEDICINA BRASILIENSI
LIBRI QVATVOR:

I. De Aëre, Aquis, & Locis.
II. De Morbis Endemiis.
III. De Venenatis & Antidotis.
IV. De Facultatibus Simplicium.

ET

GEORGI MARCGRAVI DE LIEBSTAD,
Miſnici Germani,

HISTORIÆ RERVM NATVRALIVM BRASILIÆ,
LIBRI OCTO:

Quorum

Tres priores agunt de Plantis.
Quartus de Piſcibus.
Quintus de Avibus.
Sextus de Quadrupedibus & Serpentibus.
Septimus de Inſectis.
Octavus de ipſa Regione, & illius Incolis.

CVM

APPENDICE DE TAPUYIS, *ET* CHILENSIBVS.

IOANNES DE LAET,
Antwerpianus,
In ordinem digeſſit & Annotationes addidit, & varia ab Auctore Omiſſa ſupplevit & illuſtravit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CELSISSIMO PRINCIPI,

GULIELMO,

DEI. GRATIA. PRINCIPI. AVRIACO. COMITI. NASSOVIÆ. CATTIMELLIBOCI. VIANDÆ. DIETZIÆ. LINGÆ. MEVRSÆ, BVRÆ. LERDAMI. VERÆ. VLISSINGÆQVE. MARCHIONI. BREDÆ. GRAVÆ. DITIONIS. CVKIANÆ. DIESTÆ. GRIMBERGÆ. HERSTALLI. CRANENDONCKI. VARNESTONI. ARLÆI. NOSEROEI. S. VITI. DASBORCHI. POLANI. VVILHELMOSTADII. NIRVARTI. ISELSTEINI. S. MARTINODICI. MONTIS. GERTRVDIS. CASTELLORENARDI. SVPERIORIS. ATQVE. INFERIORIS. SVVALVVVÆ. DOMINO. BARONIQVE. ANTVERPIÆ. BISONTII. BVRGRAVIO. HÆREDITARIO. HOLLANDIÆ. HÆREDITARIO. MARSCHALCO. GELDRIÆ. HOLLANDIÆ. ZELANDIÆ. VVESTFRISIÆ. ULTRAJECTI. TRANSISVLANIÆ. ET. GRONINGÆ. GVBERNATORI. FOEDERATI. BELGII. TERRA. MARIQVE. IMPERATORI. PATERNÆ. ET. AVITÆ. VIRTVTIS. AC. GLORIÆ. HÆREDI. UNICO. GENERO. REGIO.

Domine Clementiſſime,

BRaſilia Medica, quum ſalutiferos ſuos theſauros in natali tibi Batavia, tamquam illuſtriſſimo Europæ theatro, diverſi cæli ſolique hominibus exponere & condonare conſtituiſſet, Tuæ Celſitudini ſe approbare primam, Tuo beneficio apud cæteros uti convenientiſſimum putavit. Neque mereri parum ſibi viſa eſt Principalis Nominis auctoritatem, quum ſummam non ſolum & incredibilem adferat, quam pro minimo tamen ſui æſtimat, delectationem; ſed iiſdem facie quoque ac

figura jucundiſsimis ſpeciebus, quo poſt hunc cœlo delatum ſpiritum nullum majus bonum datum mortalibus, ſanitatis, bonæ corporis ejuſque ſenſuum habitudinis, vitæ tuendæ, & pæne, ſi fas eſt dicere, fatalium ac decretoriorum temporum prorogandorum novas rationes proponit totius ac tanti orbis incolis & præſentibus & futuris, neque fluxas & amiſsioni aut oblivioni obnoxias, ſed æternis litterarum notis illigatas. Fuit illa priſcis ſeculis regiæ eruditionis pars eximia percontari naturam & cœli ac terræ mariumque cenſus atque opes ſcrutando eruere, combinatiſque Apollinis & Martis ſtudiis, quaſi majorem regno poſſeſsionem ſuam facere. Sic Cæſar media inter prælia & arma cœli plagis ſuperiſque vacabat. Ipſum quoque Solomonem & Zoroaſtrem reges, naturę proprietates rerumque cauſas non modo calluiſſe, ſed pie & ſapienter interpretatos eſſe ex libris plus quam Hiſtoricæ veritatis novimus. Alexandrum Magnum inflammatum cupidine animalium naturas noſcendi, delegaſſe eam commentationem Ariſtoteli, eique aliquot millia hominum, quos venatus, aucupia, piſcatuſque alebant, parere juſſiſſe, Plinius auctor eſt. Cujus decoris exemplum in Illuſtriſsima Tua Naſſovia domo hic præterire res ipſa vetat, quia ſcio hoc etiam tuæ pietatis & magni animi eſſe, Celſiſsime Princeps, quod tuarum certus, Cognatorum tuorum quoque laudes libenter exaudis. Excellentiſsimus enim Comes I. Mauritius, in India Occidentali, domitis provinciis compluribus, terreſtribus navalibuſque præliis decertatis, religione ſincera defenſa & aucta, inter tantos labores & ſummæ rei curam, quod ad corpus animumque recreandum vacui temporis ſibi concedebat, unico propemodum tribuebat avocamento, ingenii cultui, adeoque abacum & doctum illum pulverem Archimediæ ſubtilitati æmulus agitabat: tum & conatus hoſce noſtros circa Hiſtoriam Naturalem ita promovebat, ut ipſe non modo inſitam multorum vim perdiſceret, ſed ad publicum fructum prodendorum eorum viam aperiret. Equidem, ſi cuiquam,

mihi

mihi hanc rem commodam accidiſſe hic fateri libet, qui inter honorata miniſteria, quæ pro ſplendidiſsima Societate, atque Illuſtriſsimo Comite Naſſovio, ſubibam, hac mea peregrinatione patriæ ſimul & mihi inſervire, atque ad poſteritatem aliquid tranſmittere deſideravi. Quamobrem Hiſtoriæ Naturalis partem domeſtico meo G. Marcgravio commiſi, partem, quantum per muneris curas indefeſſa obſervatione licuit, ipſe collegi & in uſus applicavi, terræ & animalium, ipſorum denique hominum viſcera luſtravi, ſpecierum ſimilitudines ad vivum delineavi, vires & poteſtates ſimplici ſtylo enarravi, & quantis inde profectibus Medicinæ ſcientia augeſcere poſſit, demonſtravi. Audiant, licet, qui pertinacia majore dubium an inſcitia in ſolas veterum obſervationes jurati, atque eorundem veſtigiis anxie inſiſtentes, artem medendi omnibus partibus conſummatam exiſtimant, & altius abdita naturæ rimari atque inventis uſque addere, religioni habent, dum pigritiæ ſuæ velificantur, & præcedentium induſtriâ ſervitutem aut ſoporem imponi ſibi patiuntur. Enimvero, ſicut antiquorum inſtituta adhibere & venerari gratæ pietatis eſt, ſic nobis omne jus doctrinarum fines ac pomæria proferendi interdicere invidia & detrectatio debet cenſeri. Neque enim (ut Plinii verba mihi vindicem) quaſi laſſa & effæta natura eſt, ut jam nihil laudabile pariat: neque illi hac fini ſcripſerunt, ut nos ab ſimili conatu deterrerent, ſed ut exemplar operæ egregie collocandæ haberemus. Quod ſi caſtiſsimi illi naturæ ſacerdotes Hippocrates & Ariſtoteles ab inferis exiſtere poſſent, illos tamquam degeneres diſcipulos ejurarent, & viſo novi hoc orbis theatro, non parcioribus, opinor, tot rerum ignorantiam lacrimis, quam Abderitanus ille ſortis utriuſque caſus riſu, conteſtarentur. Sed eos quidem res ipſa ſatis confutat. Tu vero, Celſiſsime atque Invicte Princeps, accipe ſereno vultu hoc Americæ inter lætiſsima exordia imperii ac principatus tui, Tibi ſe commendantis, Teque patronum ſibi adoptantis, non vile, nec ſpecie magis, quam uſu æſtimandum

 donum.

donum. Veronenſem illum librorum helluonem, non con ſero mecum:

Sed longe ſequor, & veſtigia pronus adoro.

Tamen re non multum differimus, eique Hiſtoriam Naturalem Cæſari Tito Veſpaſiano, deliciis populi Romani, inſcripſiſſe honori fuit. Tu noſtræ deliciæ: Tuorum majorum ductu Belgæ, quo navigaſſe magnum fuit, eam provinciam fecimus; quæ nihil niſi ferrum & mortes minabantur, ita navigabimus, ut non modo auri talentis & precioſiſsimis mercibus nos ditet, ſed etiam corporum noſtrorum vitæ fidelia adminicula præbeat: Tuo ſe perſeveraturum in fide noſtra hoc pignore, velut rato omine ſancit. Ita velit faxitque Deus Immortalis, qui quavis in minima naturarum ſuæ immenſæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis notas impreſsit: Idem Celſitudinem Tuam cum omni illuſtriſsima domo ſoſpites & incolumes diu propitius ſervet, ut omnibus deſideratis potiti in proſperis perpetuiſque ſucceſsibus quam longiſsimum ævum exigatis.

Celſitudinis veſtræ

Devotiſſimus & Humillimus Cliens

GULIELMUS PISO.

BENE-

BENEVOLO
LECTORI.

PAuca de præcipuis Braſiliæ Medicis, minuſque ante hac cognitis rerum naturalium qualitatibus exhibere conſtitui. Quarum Hiſtoriam nec altius extendere, multo minus ad pompam exornare volui. Quod veritati ſimul ac brevitati ſtudens, quæ vel incerta vel ſuperſtitioſa (ſicut non pauca quidem eſt reperire per vaſtam illam Americanam Barbariem) in alios derivarem. Facile equidem vulgare illud vitium condonandum fore exiſtimo, ſpecioſis ſcilicet titulis frontiſpicio libri præfixis, ſuperbire. At vero illud majus mihi videtur emendandum potius quam culpandum, ſeculi cacoëthes, tumido & præcoci opere in umbra domi enutrito, poſteros demereri, totque crudis & inexpertis exoticis ex remotiſſimis mundi cardinibus hinc inde corraſis, paginas tantum replendo errores propagare. Cum vel circa ea quæ trita in Scholis, totque retro ſeculis ante oculos poſita non leviter etiam nunc cæcutiamus. Ego quidem omne tuliſſe punctum videbor, ſi me veritatis antiſtitem, nec huic, nec illi vitio obnoxium, hoſque tenuiores conatus, Sileno Alcibiadis potius, quam Templo Aegyptiaco ſimiles, æqua poſteritas judicaverit. Invitatus enim quondam ab Ampliſſimis Societatis Indiæ Occidentalis undeviginti Viris, ut Illuſtriſſimo Naſſaviæ Comiti, tum quoque Braſiliæ, qua paret Belgis, in arte Apollinari præeſſem: publicæ utilitatis fore mecum arbitrati ſunt Spectatiſſimi Viri D. Albertus Coenradi Burg, & D. Ioannes de Laet, primi Muſarum fautores, moleſtam hanc provinciam mihi impoſitam naturæ indagatione horis ſubciſivis lenire. Cui ſimul oneri publico & privato ut ferendo par eſſem, Georg. Marcgravium & H. Cralitzium Germanos, Medicinæ & Matheſeos candidatos mihi adjungi viſum fuit. Hic immatura morte ſuffocatus: Ille ſedulus

per

per ſexennium Mediterraneorum locorum explorator; meis primum, mox Illuſtr. Comitis ſubſidiis ſuffultus, partes ſuas circa Geographicas, Aſtronomicas, Hiſtoriæque Naturalis obſervationes, acriter tutatus eſt. Atque in Africam tandem transfretans ſuccubuit. Quamobrem ne illius Viri periret memoria, Aſtronomica Clariſſimo D. Profeſſori Golio, aliquando edenda: Hiſtoriam vero Naturalem curæ Præſtantiſſimi Viri I. de Laet, de Americanis meritiſſimo, per Illuſtriſſ. Mauritium Naſſovium tradi curavi. Atque ut defuncti cineribus ſua perſolverentur præmia, opus ejus poſthumum meis tractatibus non intermiſceri, ſed adjungi volui.

Quæcunque itaque obſervatu digna ex beatiſſimo hoc naturæ theatro, vel à me eruta, vel à primis incolis nobis tradita ſunt, examini & praxi ſubjeci, ac qua potui ſedulitate & ſinceritate, vera à falſis, noxia à ſalutaribus diſcrevi. Tandemque eorum imagines ad vivum à pictore mecum per deſerta peregrinante expreſſas, adjunxi. Si hoc qualicunque opere conjunctis viribus peracto, & campo quaſi poſt futuris nunc aperto, fertiliſſimam hanc Americæ partem à craſſis illis caliginibus aliquatenus vindicari poſſe Benevolus Lector cenſuerit, plus quam digno laboris præmio me affectum arbitrabor.

G. PISO.

SVMMA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

SVMMARIA
LIBRORVM SEQVENTIVM.

LIBER PRIMVS *agit de Braſiliæ Aëre, Aquis & Locis.*

LIBER SECVNDVS *de Morbis Endemiis: nimirum* Cap.

I. *De Febribus.*
II. *De Oculorum vitiis.*
III. *De Spaſmo.*
IV. *De Stupore.*
V. *De Catharris.*
VI. *De prolapſu Cartilaginis mucronatæ.*
VII. *De obſtructionibus Viſcerum naturalium.*
VIII. *De Oppilatione Hepatis & Lienis.*
IX. *De Hydrope.*
X. *De Lumbricis.*
XI. *De Ventris fluxibus.*
XII. *De Teneſmo.*
XIII. *De Cholera.*
XIV. *De Dyſenteria.*
XV. *De fluxu Alvi hepatico.*
XVI. *De Vlcere & Inflammatione ani.*
XVII. *De Morbis mulieribus & infantibus familiaribus.*
XVIII. *De Morbis contagioſis.*
XIX. *De Lue Venerea.*
XX. *De Vulneribus & Vlceribus.*
XXI. *De Papulis & Impetigine.*
XXII. *De externis malis.*

LIBER TERTIVS *agit de Venenis eorumque Antidotis: in quo ſunt Icones novem.*

LIBER QVARTVS *agit de Facultatibus Simplicium: in quo ſunt Icones decem ſupra centum: & hæc* Capita.

I. *De Saccharo.*
II. *De Mandihoca.*
III. *De Melle Silveſtri.*
IV. *De Copaiba.*
V. *De Cabureiba.*
VI. *De Acaja arbore.*
VII. *De Icicariba, & illius reſina Icica.*
VIII. *De Ietaiba & ejus lachryma.*
IX. *De Caopia arbore.*
X. *De Palmis, earumque variis ſpeciebus.*
XI. *De Aroeira.*
XII. *De Vrucu.*
XIII. *De Zabucayo arbore.*
XIV. *De Gueticoroya.*
XV. *De Ianipaba.*
XVI. *De Acaia ſeu Ibimetara.*
XVII. *De Tapia arbore.*
XVIII. *De Araticu ſpeciebus.*
XIX. *De Caaroba.*
XX. *De Embira, ſeu Pindaiba.*
XXI. *De Ibiraee.*
XXII. *De Ambaiba.*
XXIII. *De Anda.*
XXIV. *De Guabiraba.*
XXV. *De Araca Iba.*
XXVI. *De Guajaba.*
XXVII. *De Bacoba & Banana.*
XXVIII. *De Mangaiba.*
XXIX. *De Abaremo temo.*
XXX. *De Vmbu.*
XXXI. *De Cebipira guacu.*
XXXII. *De Mureci.*
XXXIII. *De Iito, vel Vrape guacu.*
XXXIV. *De Guabi poca iba.*
XXXV. *De Zamouna.*
XXXVI. *De Andira Ibaiariba.*
XXXVII. *De Cambui.*
XXXVIII. *De Loco arbore.*
XXXIX. *De Cupouna.*
XL. *De* Pinhones do Braſil.
XLI. *De Iurepeba.*
XLII. *De Mamanga.*
XLIII. *De Manaca.*
XLIV. *De Pagimirioba.*
XLV. *De Camara juba.*
XLVI. *De Ananas.*
XLVII. *De Betiis, vel Betre.*
XLVIII. *De Nhambi.*
XLIX. *De Caa-apia.*
L. *De Acaricoba, ſeu* Erva do Capitaon.
LI. *De Nhambuguacu.*
LII. *De Tangaraca.*
LIII. *De Ieticucu, ſeu Mechoacan.*
LIV. *De Caapeba.*
LV. *De Tajoaba.*
LVI. *De Inimbaja, ſeu* Silva de praya.
LVII. *De Nhandi, ſeu Pipere longo.*
LVIII. *De Iacape, vel Sape.*
LIX. *De Iaborandi.*
LX. *De Iacuacanga.*
LXI. *De Saſſafras.*
LXII. *De Iupicanga.*
LXIII. *De Iamacaru.*
LXIV. *De Potincoba, ſeu Pulgera.*
LXV. *De Ipecuanha.*
LXVI. *De Caacica.*
LXVII. *De Iuricuara.*
LXVIII. *De Capijpuba.*
LXIX. *De* Salſa de praya.
LXX. *De Aninga.*
LXXI. *De Aguaxima, ſeu* Malua d'Iſco.
LXXII. *De Caapomonga.*
LXXIII. *De Murucuja.*
LXXIV. *De Murucuja-miri.*
LXXV. *De Quiya.*
LXXVI. *De Aguaraquiya.*
LXXVII. *De Aguaraciunha.*
LXXVIII. *De ſecunda Caapomonga.*

LXXIX. *De*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

LXXIX. *De Canna Silveſtri.*
LXXX. *De Baſourinha.*
LXXXI. *De Caa-ataya.*
LXXXII. *De Caraguata.*
LXXXIII. *De Trevo, ſeu* Erva d'amor.
LXXXIV. *De Tapyrapecu.*
LXXXV. *De Herba lanuginoſa.*
LXXXVI. *De Vite Arbuſtina.*
LXXXVII. *De Mangles.*
LXXXVIII. *De Cururu-ape.*
LXXXIX. *De Timbo.*
XC. *De Paratura.*
XCI. *De Ibirarema.*
XCII. *De Aninga peri.*
XCIII. *De Meeru.*
XCIV. *De Albara, ſeu Pacivara.*
XCV. *De Tupaipi.*
XCVI. *De Inquiri, ſeu Caaeo.*
XCVII. *De* Erva d'Impige.
XCVIII. Faiſons d'Impige.
XCIX. *De Maſaranduba.*
C. *De Amongeaba.*
CI. *De Ibipitanga.*
CII. *De Ianiparandiba,*
CIII. *De Globulo bovino, illiuſque uſu.*
CIV. *De Corallio albo Braſiliæ.*

Errata, quæ abſente Autore irrepſerunt, ſic corrigenda.

Pag. 1. lin. 8. Præſidis. p. 2. l. 39. falſo opinatos. l. 48. præſentiſſimo. l. 53. durabilis. p. 3. l. 15. Halones. l. 23. Imbrium. l. 28. Aridis. p. 4. l. 27. *Quidem* redundat. p. 6. l. 18. Defatigatas. l. 25. famælica. l. 27. Cibique. p. 8. l. 47. Intemperie. p. 13. l. 22. Concipiunt. p. 14. l. 38. Ex. p. 17. l. 28. Aëris. l. 29. Imo. p. 18. l. 31. obambulent. p. 22. l. 26. derivant. p. 24. l. 18. per Methaſtaſin. p. 29. l. antipenult. Conveniunt. p. 30. l. 35. ad 3 j. p. 38. l. 14. orbiculata. p. 40. l. 27. Cæterum. p. 54. period. penult. Minus.

GUI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GVILIELMI PISONIS, M.D.

DE

MEDICINA BRASILIENSI

LIBER PRIMVS,

Qui agit de Braſiliæ Aëre, Aquis & Locis.

DICTURUS de humani corporis malis, eorumque remediis in novi illa orbis parte familiaribus, operæpretium facturus videor, ſi de Aëre, Aquis & Locis ſeu de natura cœli ſolique Braſiliani pauca quædam præmittam. Quod vel ideo neceſſarium eſt, ne ſideribus deinceps aut regionibus fertiliſſimis omnino & ſaluberrimis perperam attribuatur, quod vel incolarum vel advenarum inſcitiæ aut intemperantiæ eſt imputandum. Eorum imprimis qui extremas & incognitas mundi plagas adeunt, ut profeſſione artis, ſalutis humanæ præſidiis, mortalibus operam præſtent: Magni tamen Hippocratis effati immemores, tam in ſanitatem conſervando, quam in collapſam erigendo, non raro deficiunt. Braſilia autem præſtantiſſima facile totius Americæ pars penitius introſpecta, jucunda imprimis ſalubrique temperie excellit uſque adeo, ut merito cum Europa atque Aſia de clementia Aëris & Aquarum certet. Situm ſi ſpectes & figuram, à ſecundo ab Æquatore ad quartum ſupra vigeſimum latitudinis gradum excurrens, trigoni oblongi ſpeciem refert: cujus baſis Æquatori obverſa, ab oriente in occidentem recta protenditur. Latus ad orientem ſpectans Heſperiis Æthiopibus objacet, vaſtiſſimo mari interpoſito: unde tam corporis oblectamento, quam ſummo vitæ ac valetudinis bono, habitata ejus frons, blandum & benignum Subſolanum ab auris matutinis natum, continenter recipit; quo homines cæteraque animantia demulcet, & ab intolerabili ſolis verticalis æſtu vindicat. Qui, ſi mare accedat, ſummo quidem mane, ſi recedat, adultiori aurora perſentiſcitur. Nec langueſcit circa veſperam, ſicut ſolet multis Indiarum locis, ſed intenditur adeo à comitante ſole ut ultra medias noctis horas non raro vigeat, condenſatioque aëris nocturna nequeat dilatationem & motum illum naturalem Aëris facile hebetare aut vincere. Alterum vero latus (quod à Peruano regno celſiſſima montium juga & immenſa diſterminat ſpacia) Zephyrus licet inſaluber, mediterraneuſque ventus, propter infinitos quos perflat paludoſos lacus, ſera nocte infeſtet: tamen à montibus mari vicinis perpetuo coërcetur, adeoq; ab aura marina pellitur, ut ad littora uſque vix queat penetrare. Qui, ſi aliquando ob pluvioſas malacias, per diem integrum (quod rariſſime quidem obſervatum eſt) ſpiraſſe conſtiterit, remotiores à mari, occidentique obverſos, vehementius; maris vero accolas & imprimis nautas una vix leuca à littore remotos benignius exercet. Quemadmodum jucundiſſimis ac conſtantiſſimis his anni tempeſtatibus haud magnæ mutationes, ita diurnis & nocturnis evidentiores contingunt, quod dies & noctes non magis pares ſint ſpatiis, quam differentes calore & frigore. Nam Sol altius aſcendens, poſtquam terrarum & hominum poros aperuit, profundius & pari intervallo ſe occulit, unde condenſatio aëris major extremam partem noctis magis rorifluam efficit. Hinc rigidum & penetrans frigus à tertia hora nocturna circa gallicinium ad exortum uſque Solis corpora ferit. Ita ut hanc terram recens ingreſſis moleſtum ſummeque noxium eſſe ſoleat. Quod qui non evitat, haud facile vitam beatam in hiſce vel aliis Indiarum oris exordietur. Cujus rei non ignari Braſiliani focum perennem in tuguriis juxta lectos penſiles alunt, ejuſque beneficio nocturnum frigus tolerare & venata inſecta arcere queunt. Porro re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ro rectus aſcenſus & deſcenſus Solis breviſſima facit crepuſcula, noctesque adeo diebus pares, ut ne quidem unius horæ diſcrimen agnoſcant. Noctibus æſtivis, frigus intenſius: hybernis, quod mireris, mitius ſæpe perſentiſcitur: aëre ſcilicet tranquillo & nubibus undiquaque preſſo pluvias moliente. Ruricolæ poſt noctes ſolito frigidiores, dies ſerenos; Medici vero firmam validamque corporis conſtitutionem pollicentur. Contrarium ſi tepidæ & humidæ noctes præceſſerint.

Pluvialis temporis initium fit menſe Martio vel Aprili, Auguſto finitur; quo Sol redux ex Cancro materiam pluviæ ex parte diſſolvit in ventos. Vnde procellæ & turbines ſubinde naſcuntur, quas mox vernum tempus excipit, eaſque blandiſſime componit. Diverſitatem quidem umbrarum nunc in Auſtrum, nunc in Septentrionem projectarum agnoſcunt Tropicorum Incolæ, qui Amphiſcii proinde dicti; verum nullam circa anni tempeſtates mutationem bis accedente & retrocedente Sole, ut multi exiſtimarunt, ſed ſolummodo abeunte ab Æquatore vel ad Tropicum Cancri vel Capricorni, uſque dum eo redierit & æquinoctium abſolverit. *Proſper Alpinus* duplicem æſtatem uno anno dari teſtatur in Ægypto, non adeo quidem à Solis, quam miro Nili acceſſu & receſſu pronatam.

Braſiliæ incolæ Antæci ſunt Hiſpanis & Æthiopibus, Periæci Javenſibus, Antipodes Aureæ Cherſoneſi incolis. Duo tantum dantur anni tempora quorum unum calidum & ſiccum, Æſtas dicitur: alterum calidum & humidum æſtati Europææ ſimile, Brumæ vicem ſupplet. Idque in omnibus Indiis intra utrumque Tropicum veriſſimum deprehenditur. Licet enim hyberni & æſtivi temporis initium & finis, ob particularia incidentia loci, tum & Æquatoris majorem vel minorem vicinitatem non in idem incidant; plerumque tamen Annus, ſex circiter menſibus ad humidum, & totidem ad ſiccum vergentibus abſolvitur. Et quidem ea ratione, ut in multis Africæ & Aſiæ, ejuſdem nobiſcum latitudinis oris, maxima exinde intenſio & remiſſio æſtus, hic nulla vel ſaltem exigua percipiatur, Sole, licet Braſilienſium Zenith, menſe Octobri & Februario tranſeunte, radiiſque ſecundum angulos acutiſſimos reflexis terram ferientе. Quæ diverſitas iſtarum Regionum incolis ob crebras malacias, noxioſque tepores, interitum, hiſce ob dominatricem auram, ſalutem promittit perpetuam. Vnde facile eſt colligere Anni tempeſtates, non tam immediate à Sole ejuſque motu, quam ipſa Ventorum ſpecie, aſtrorum adſpectus diverſitate, regioniſque qualitate & ſitu peculiari diſcerni deberi. Eadem cauſa ſolemnibus illis Torridæ Subſolanis vel Favoniis reddi poteſt. Quin in locis hiſce mediterraneis, paulo verſus occidentem noctes ſunt frigidiores quam in maritimis, uſque adeo, ut aliquando pruina capillos quibuſdam riguiſſe conſtet. Etenim in Indiis cum multa admiranda, tum illud imprimis omnium phyſicorum ingenia ſuperat, quod in eadem cœli plaga, pari Solis acceſſu receſſuque, iiſdem anni menſibus ab ortu circa Oceanum æſtas & ſiccitas, ab occaſu trans juga montium & paludes Braſiliæ, hyems, nebulæ & pluviæ. Vt in tanta locorum vicinitate, quod ad rationem tempeſtatum attinet, iidem pene populi ſibi mutuo antipodes videantur eſſe. Quam diverſitatem diſſonamque naturæ varietatem atque alia ejuſcemodi, ſi quis diligentius apud ſe reputet, profecto intelliget, antiquos multa de Æquinoctiali circulo & torrida Zona opinatos eſſe. Proinde contra Ariſtotelis & Plinii aliorumque mentem non ſolum habitabile hoc Clima, ſed temperatum & fertile utique reddunt, tum rores perpetui, tum pluviæ & jucundi à pelago flatus, dum vapores mane ſurgentes & nebulas tempeſtive diſcutiunt, æſtumque meridionalem temperant, ac ſoles puriſſimos & nitidiſſimos reddunt. Hinc porro humorum, qui in nobis ſunt, à putredine conſervatio. Neque tamen præcipua ſalubritatis vel longævitatis ratio, ut quidam voluerunt, Æquatoris vicinitas, ob æqualitatem tempeſtatum, quam imaginantur. Nam multis ſub linea æquinoctiali locis habitatis, nec ſolum nec cœlum eſt ſalubre ſicut Inſulæ D. Thomæ, Guinea, aliæque provinciæ teſtantur, ubi corpora à torrente calore areſcunt & reſolvuntur, minimeque longæva fiunt. Quoniam attracti vapores, à Sole licet verticali & præſtantiſſimo, ob perpetuas malacias non diſperguntur, neque aquæ ventilantur ſed ſtagnant. Tum ſi qui perflant venti, languidi ſunt & veluti è longo itinere defatigati, ventis ſubitis vel mediterraneis facile ſe ſubmittant. Vnde tepores vaporoſi, nebulæ & putredines enaſcuntur. Quod ſub Æquatore navigantes miſere circa penuaria & aquam imprimis experiuntur, quæ bis terve fœtorem ac putredinem concipit in vaſis, antequam durabiles omniſque corruptionis tandem expers fiat. Braſiliæ vero vaſtiſſimus oceanus tum pluviis, tum imprimis ventis perpetuam materiam ſubminiſtrat, qua littus exhilaret, non tepidam, ſicut extra Tropicos ſubinde ſolet, ſed veluti gelidam & ſiccam, eamque à Sole illuſtratam ab oriente in occidentem ad millaria aliquot perſpirat. Accedit quod paluſtribus & olentibus pluviis ex continenti ortis, numquam infeſtetur: Cum inſulis vicinis (quibus multæ Indiæ orientalis & Africæ partes cinguntur, turbidiſque ventis agitantur) hæc regio careat.

Cælum ſæpe quidem nubibus ex oriente verſus occidentem latis obductum videas, ſed ra-

riſſimis

riſſimis & tenuiſſimis, inque ſublimi aëris extenſis, exceptis diebus pluviis. Sol oriens & occidens immotis oculis adſpici poteſt, ordinariæque tum fere magnitudinis & coloris, apparet, ita ut diameter ejus menſurari queat. Mira enim undique ſeneritas eſt, præſertim circa veſperam: quæ nullos umquam ſuccedenti Lunæ tradit vapores vel nebulas, ſed noctes reddit adeo claras ut vetus & novilunium uno eodemque die conſpiciantur, litteræque ad quadrantem Lunæ commode legi poſſint. Aſtronomo denique ad cœleſtia intento, circa Eclipſes, nubeculas magallanicas, venerem falcatam poſt emerſionem à Sole, Mercurium ſcintillantem & corniculatum, appulſus Lunæ ad fixas ſtellas aut Planetas, cæteraque phœnomena, partim antea in Europa non viſa multa promittat. Sicut multoties in eminentiori obſervatorio Aſtronomico, per Illuſtriſſ. Naſſaviæ Comitem exſtructo, à nobis obſervatum eſt.

Æther pro diverſitate adſpectuum Planetarum, accedentibus cauſis inferioribus ſuas recipit intemperies. Crebris fulguribus abſque tonitru cœlum ſub veſperam coruſcat, tempeſtate vel maxime ſerena, ſed ſicca. Tonitrua ſi quæ circa æquinoctia ſuboriantur, rariſſime eaque cum imbribus ſine fragore multo in Pernambuco, in Maranhon proprius ad æquatorem vehementius & crebrius exaudiuntur. Multæ irides, Holones, dracones ignei volantes apparent. Nullæ nubes neque nebulæ, grandines ne vix quidem conſpiciuntur; nec altiſſimos montium apices ulla canitie brumalem detinuiſſe faciem (ſicut monti Pico in Canariis perpetuo contingit) hic umquam obſervatum eſt.

Pluviarum guttæ admodum ſunt magnæ, gravique decidunt impetu, quas ſuffocativus aliquando tepor præcedere vel ſequi ſolet. Ros hic Europæo tum pinguior, & nitro multo impregnatus fœcundior; tum multo penetrantior & tenuior, præcipue æſtate exiſtit. Quod patet in omni metallo & ferro imprimis (ut materias minus ſolidas prætercam) quæ abſque ullo nubium adminiculo facile exedit. Intenſior ſolis radiorum fervor, poros corporum ſublunarium aperit uſque adeo de die, ut nocturno rori ſubtiliſſimo profunde ſuppeditet introitum. Unde per quotidianam viciſſitudinem humiditatis & caloris, illata jam putredine, vermium diverſorum generum fiat generatio, moxque totalis rei comſumtio. Verum quantum his omnibus noxius, tantum aliis ros proficuus, imo neceſſarius, ne æſtate pluviarum inopia, gramina & paſcua torreantur, ſed quæ in locis avidis & ſitientibus ſunt eo fere ſolo refocillentur.

Eteſiis ſeu anniverſariis ventis ſereniſſimis hæ oræ diverſis temporibus gaudent. Semeſtri enim hiberno ſive pluvioſo ex nubiloſa auſtrina plaga intenduntur & Vulturni veluti naturam induunt, tantoque vehementius, quam Aquilo menſibus æſtivis, dominantur, ut ductus aquarum, à menſe Martio ad Octobrem illis obſequia præſtent. Reliquo anni tempore ex Septentrione in Auſtrum maria coguntur. Circa Africæ latus occidentale Braſiliæ oppoſitum, plane diverſo modo res ſe habet. Quippe ab Aprile ad Iulium menſem verſus Septentrionem rapidus eſt fluxus, inde ad Octobrem tranquillum mare. Hinc ad Ianuarium verſus meridiem Oceanus truditur: Mox circa medium Aprilis denuo nullum *Currens* (ut fluxum illum generalem Verulamius appellat) maris experiuntur nautæ. Atque hæ diverſitates potiſſimum quidem intra Tropicos libero æquore navigantibus percipiuntur. Adeo ut hi venti generales, Tropæi dicti, minime ſegnes, partim regendo *Currens* maris, partim proprio flatu (non ſpontaneo aliquo raptu ab ortu in occaſum, ut doctiſſimus Scaliger aliique inter veteres imaginantur) id efficiant, ut nequeant hinc navigantes verſus Africæ vel Europæ oras, eadem redire, qua venerant via. Unde fit, ut non adeuntibus Braſiliam ſed inde redeuntibus tantum, tranſitus ſit per Inſulas Flandricas & miram illam lenticulam marinam *Sarcaſo* Hiſpanis dictam: quæ longe lateque diſperſa, adeo tenaciter ſuperficiem maris obſidet, ut ſolum non ſalum diceres, obortiſque malaciis navibus haud leviter reſiſtat. Æquor Braſilienſe rariſſimis procellis infeſtatur, & ut plurimum tranquillum eſt. Cui temeritas Barbarorum ſe.fidens, gemino ligno ſuberoſo inſidentes, ſecure piſcaturam exercent aliquot leucas à littore remoti. Cœrulea & ſubnigra eſt exterior ejus facies, interius viridis: agitatum noctu igneſcit, fortiuſque lumen emittit: tum ſalſius quoque deprehenditur quam verſus Polos, adeoque pellucidum, ut piſces ultra viginti ulnarum profunditatem aureo colore micantes, ex altis puppibus commode conſpiciantur, meridiano tempore, Soleque ſplendente. Ac tum ſimul intueri licet, quam diverſus & contrarius ſubinde ſit motus in profundo mari, ab eo qui in ſuperficie à tumultuariis fit ventis, quod jactas bolides, aliaſque artis nauticæ conjecturas non parum eludit.

Licet autem circa littora æſtu ſatis vehementi ſalum intumeſcat, non tamen agros invadit aut vicinas terras depreſſas inundat, ſed ingenti fremitu rupem quandam ſive maris teniam *Reciffo* Luſitanis dictam, pulſat ac poteſtate impetuoſa verberat, quam ſummo naturæ miraculo & beneficio conceſſam omnes fateantur oportet: quod crepidocautium longo tractu excurrens, inſtar muri, violentiæ Barbari & indignantis elementi reſiſtat, ac fidam tutamque navibus ſtationem & portus reddat. Opulentiſſimam quoque magnatum ædibus materiam, qua Olindæ & Paraibæ monaſteria ſuperbiunt, ſuppeditat. Maximam Braſiliæ partem, nunc interrupto, nunc

conti-

continuato ductu tuetur. Ejus latitudo planiſſima eſt & quaſi arte in ſuperficie levigata, ad viginti, ſubinde triginta paſſus & ultra ſe extendit. Tantæ vero altitudinis eſt ut vix ſummo æſtu inundetur. Mare novo & plenilunio ad duodecim pedum altitudinem (quod in Parnambucenſi littore fit circa horam quintam) attollitur, aquaſque evomit ac parem depreſſionem patitur, dum funditus prope multorum fluviorum alveos reſorbet. Verum non rite obſervata ſex horarum viciſſitudine, ſed pro ratione decurſus fluviorum & pelagi intemperie, vel citius vel tardius æſtum vaſtiſſimus Oceanus abſolvit. Ita tamen ut menſibus æſtivis diuturniores & vehementiores acceſſus, hybernis vero receſſus dominentur. Quid, quod fluxus lunares, paucis à littore milliaribus; currens vero maris per univerſum æquor perſentiſcant navigantes. Cæterum ad extricandas perpetuas nautarum controverſias circa longitudinem hujus continentis, ſcire intereſt, magis ad occidentem à natura collocatum, quam peritiſſimi quoque Geographi hactenus opinati ſunt. Operæ pretium itaque duxi illud addidiſſe quod ex ſedula obſervatione Eclipſium Lunarium nobis conſtat. Initium ſiquidem deliquii, quod in vigeſimum Decembris, anno milleſimo ſexcentiſimo trigeſimo octavo incidit, inter Olindam Parnambuci & Uranoburgum Daniæ, tribus horis & quatuor minutis differre deprehendimus. Unde reducto calculo, facile erit colligere, quæ cauſa ſit erroris; cum plerique naucleri ultra quinquaginta minuta à nobis diſcrepent.

Univerſa Braſilia Coloniis & Præfecturis quatuordecim, totidemque circiter fluviis nobilioribus (ab aliis ſatis memoratis) diſtinguitur. Horum beneficio territoria fertilitate & commoditate differunt. Præter tot torrentes & amnes piſcoſos, non limoſos, ſed ſaxoſos, habitata orientalis pars, rivis, fontibuſque inclytis & utcumque herboſis ſcatet, iiſque paſſim, mira divina bonitate, ut potum hominibus juxta ac pecoribus abunde ſubminiſtret, irrigatur. Armenta ſilveſtria ſiti æſtuantia eo confugiunt; ſeque ad luxum dulciſſimis inebriantes aquis non raro præda fiunt venatoribus. Rapidi ſunt plerique fluvii pluviis menſibus, & tunc ſubito altiſſime excreſcunt ac ripas egrediuntur, aucto aquarum pondere, ruptiſque obicibus valentius ruunt in campos. Is autem qui S. Franciſco ſacer eſt, totius Præfecturæ Parnambucenſis facile maximus, inſuliſque & ſcopulis horridus, ac tempore quidem æſtivo, incerto quidem gurgite, aquis exundans, altiſſimus eſt. Hyeme vero modice tantum in pelagus ſeſe exonerat. Diverſitatis cauſam perhibent eſſe immenſam originis diſtantiam, tum etiam pluviarum ex alto allapſarum. Cæteri enim fluvii nobis vicini æſtate navigari non poſſunt, quod aquis deſtituantur, ac ſi in continenti intus abſorberentur. Cum nulli tamen alii in hac Americæ parte reperiantur amnes qui tantos imbres alveo ſuo excipiant. Sed conſtat ratio. Vaſtiſſima montium juga haud procul à littore (ſicut in regno quoque Peruano) demittunt vim illam pluviarum à tergo, & exonerant ſe verſus occidentem. Mox ad rapidiſſimos (ne dicam & totius orbis maximos) altero brachio verſus Septentrionem in Amazonum & Maranhon flumina: altero, ad S. Franciſci, atque illa quæ *de la Plata* & *de Ianeiro* dicuntur, verſus auſtrum erumpunt. Hæc receptis in ſe quibuſdam amnibus invaleſcunt & ad milliaria aliquot in Oceanum labuntur, tanto impetu, ut procul ob oſtio in ipſo mari dulces à Nautis hauriantur latices. Porro & Lacus juxta littora reperiuntur, qui mari licet vicini & quaſi contigui, aquis tamen ſunt dulciſſimis. In deſertis remotiſſimis, exigui quidam rivi è lacubus oriundi, dulces hyeme, ſubſalſi æſtate exiſtunt, quod ſtagnantes Solis aſſiduitate adurantur. Præterea putei paucis ante annis in Inſula Antonii Vaez, circa ipſum littus, quouſque maris æſtus pertingit, effoſſi, potabiles aquas & dulces, incognito vel dubio venarum commercio, impertiunt. Unde percolatas omniſque ſalſedinis expertes prorſus haurire datum: quæ licet fontanis ſint inferiores, tamen cibis coquendis optimæ habentur.

Tellus hæc amœniſſima ex diverſo naturæ luſu conſtat. Qua enim in planitiem longe lateque ſternitur, gleboſa & ponderoſa, præpingui riguoque eſt ſolo, *vergea* dicta Luſitanis, multorum fructuum ferax; cannas Sacchareas imprimis, tum & credita quæque ſemina multiplici reddit fœnore. Prata & aprici campi minus æſtate, ſed menſibus potiſſimum pluviis (licet ſolum tunc habitantibus triſtius videatur) lætiſſime vireſcunt, locaque meſſem negantia pabulis vigent. Frumentum & ſecale nimis celeriter profunduntur & in germen evocantur à jugi perpetuoque Solis fervore & agri indulgentia, qui proinde multa verſatione (nec enim interquiete umquam indiget) fatigandus eſt, additaque potius arena quam ſtercore, ferendis frugibus aptior redditur. Secus enim alia floreſcendi exinanitio ſequitur, germinationem nimis feſtinatam adurens vel exhauriens. Qui ab exoticis ſeminibus proventum expectant, maturationem retardent oportet, quod diutius in terra foveri expetant; ne in ſtipulas faſtigiatæ herbæ multæ maturefactæ, granis tamen & ſeminibus caſſæ, agricolarum votis minime reſpondeant. Menſe Februario & Martio quando finem æſtatis excipit tempeſtas humida, plantæ & ſemina terræ committuntur, idque prima veſpera, non de die, nec adulta nocte fieri convenit. Omnia quæ profundius, quo ſolares radii non pertingunt, inhumantur, vitæ diſcrimen incurrunt, quod ſub

cute

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

cute ſua intenſe frigida terra, præcipue æſtate, taleas & ſemina facile enecet. Cujus rei advenæ & novitii agricolæ non ſine magna jactura experimenta fecerunt. Semina ſicut & fructus colligunt in locis acclivis & ſitientibus, diverſo plane tempore, quam declivioribus & uliginoſis. Quid, quod hæc omnia toto anni tempore plantantur & producuntur: Felicius tamen vel infelicius pro locorum & plantarum diverſitate. Quod evidentiſſimè apparet ex pluribus: præſertim vero circa proceras illas arbores quas *Cocos* & *Palmas* nuncupant; quæ citra ullam anni temporis, ſeniique arborum obſervationem tranſplantatæ jucunde vireſcunt, eximiiſque fructibus conſpicuæ excoluntur. Quod à nemine accuratius quam ab Illuſtriſſimo Comite Naſſaviæ tentatum, omnibus veteranis incolis admirationi fuit; quod adultæ licet, nihil paterentur tamen ab alteratione illa quam ſubirent, ſed ſterile, arenoſum, & perpetua ſalſetudine imbutum littus natale ſolum haberent, eoque gauderent foveri: modo radices quas infinitas & breviſſimas habent leviter tantum terra cooperirentur. Harum enim cæterarumque Braſiliæ arborum radices adeo à frigore ſubterraneo abhorrere videntur, ut nonnumquam deſiderio Solis prorumpentes, vix terra ſe condi patiantur. Plurimæ arbores & frutices toto fere anni tempore flores & fructus feliciſſime producunt, ſimulque Ver, Æſtas & Autumnus in iis conſpiciuntur. Horum facile principes *Murucuja, Mangaba, Bacoba, Banana, Ianipaba, Araca, Pindova, Coceiro, Mamaon, Pinhones, Piementa*: Quibus annumerantur, vitis, citrus, malus medica, aliaque plurima ex Luſitania atque Angola, olim & nuper è Belgio adducta legumina, radices & olera, paſſim nunc in hortis exculta atque in culinis domeſtica facta.

Qui racemos per totum annum deſiderant, vineas diverſas, diverſis putant menſibus, maturaſque poſtea uvas colligunt, unde non ignobile vinum & Creticum æmulans, exprimitur.

Atque hæ omnes plantæ & fructus hortenſes, licet ab inſectis noxiis non plane immunes ſint; præcipue autem à formicis illis grandioribus non raro depaſcuntur, ab impigro tamen agricola facillimo negotio, vel ignis, vel aquæ beneficio arcentur.

Nonnullæ arbores & quidem nobiliores, ſicut *Acaju, Caja, Vbipitanga, Anda, Zabucajo, Murecy, Ietajba, Araticu, Guabiraba, Ficus & Myrtus Americanæ*: fructus *Ananas* & alia ſemel dumtaxat in anno florent, verno tempore, quod eſt circa Octobrem, repullulant: mox fructus protrudunt, idque mediocres tantum Sole ingrediente Capricornum & durant ultra tres menſes, poſteaque quieſcunt. Solus, quantum conſtat, fructus *Guitycuroy*, ſemel per biennium; fructus autem arboris *Ibiraeè* ſive Guaici Braſilienſis vix per quadriennium producitur. Paucæ arbores nativæ hactenus ad ſativas relatæ: ſilveſtres tamen cum ſint, fructus elegantes & gratiſſimi ſaporis proferunt, maxima quidem ex parte frigidos, cum adſtringendi facultate. Quaſi natura benigna hæc mortalibus immodice æſtuantibus ſolatio dederit, ruentibuſque humoribus frenum impoſuerit.

Qua lacuſtris hæc regio, ob perpetuam uliginem, præcæteris jucundiſſime funditus æque ac in ſuperficie viret. Tum diverſo plane Herbarum fruticumque paluſtrium genere, adeoque mira naturæ ſolertia luxuriat, ut ſolum non aquam diceres, amphibiorum æque & piſcium latibulis deſtinatam. Circa oſtia vero fluviorum, ubi paludem aqua marina ſingulis acceſſibus inundat, ab immenſa oſtreorum & cancrorum multitudine perreptatur, atque tortuoſo illo arborum genere *Guaparaiba* ſive *Mangle* dicto, ita obſidetur, ut viatoribus prorſus ſit inacceſſa. Qua in acclives colles, vaſtoſque montes, nunc gleboſos, nunc grandiſſimis ſaxis veluti ſtratos attollitur, fertiliſſima quoque & raro ſterilis vel otioſa apparet Braſilia: arbuſtis ſilviſque denſiſſimis paſſim veſtitur, ut multo olim labore Luſitani ad pixidem nauticam iter ſuum inſtituerint. Quod hodie quoque fit in muniendis viis in deſertis. Unde tot fragrantiſſimæ & præſtantiſſimæ arbores lucri cauſa, ob colores & tincturas varias, alioſque uſus eximios, huc apportantur, ut ſunt *Ibirapitanga* arbor illa Braſilienſibus κατ' ἐξοχὴν ita dicta & rubra tinctura notiſſima. Dein *Tatajba* ſive *Pao amarello, Arariba* cortice rubro, *Iacaranda, Antuniba* ſive cedrus alba, & aliæ multæ, quæ ædificationi & ſtruendis navigiis aptiſſimæ, quod aquis minus perviæ, ætatemque ferentes ſint. Ex quarumdam corticibus nunc funes ignarii in militantium uſum, nunc in navium neceſſitates torquentur & rudentum materias nauticis ſubminiſtrant, ſupplente cannabis defectum Barbarorum induſtria. Si quæ loca ſint arida à ſterilitate, mirabiles illas herbas ſuperius deſcriptas, ſeu funes potius ἀφύλλους, generali nomine *Timbo* & *Cipo* appellatos producunt, quæ ſua flexilitate & tenacitate apud fabros & vietores ligaminum; contuſa apud piſcatores, coriarios, naupægas, Rhois & ſtupæ vices implent. Denique è colliſis lignis *Caraguata* & *Imbaiba* aliiſque ferulaceis plantis ibidem naſcentibus ignis luculentius, quam ex concuſſo ſilice, à barbaris elicitur.

Nemora hæc cum non quotannis foliis veſtiantur nec priventur, non eodem ſimul, ſed diverſo plane id accidit tempore, quod ab Autumni & Veris permutationibus nihil patiantur. Præterea non omnis quoque arbor foliis ſimul omnibus orbatur, ſed parte una decidente, altera tamdiu manet, donec prior repullulat. Accedit quod varii generis phaſeoli, Arundines proce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ræ, Hederæque perpetuo virentes luxurient, quæ nunc humum longiſſime perreptantes, nunc ad ſumma arborum cacumina pertingentes, tametſi ſilvas primo intuitu quaſi inacceſſibiles repræſentent, oblectamento tamen ſummo exiſtunt, quod topiarii inſtar operis perpetuam umbram præbeant. Unde inter virgultorum opaca feræ & homines nutriantur, ſecretique tramites venandi ſuppeditent ſummam voluptatem; quæ ſilvarum fontiumque prærogativa, maximæ parti Africæ occidentalis habitatæ denegata eſt, ac propterea torridæ regionis nomen merito obtinet: ab immodico enim & ingenti æſtu dehiſcit illa, ut ad fluvios umbroſoſque ſaltus diſſitiſſimos pecorum greges amandari neceſſum ſit.

Porro, ſicut Peruvia crebro ex æſtuantibus cavernarum latebris, ita nuſquam hic Americæ tractus orientalis terræmotum eſt paſſus; quod metallis & igne ſubterraneo, Spirituum & vaporum genitore deſtituatur. Atque hæc de diverſitate terræ nobis cognitæ.

Illas autem deſertas inhumanaſque ſolitudines, jugis arduas & in occidentem ultra viginti leucas excurrentes Antropophagi tenent. Qui inveſtigandis locis incognitis vaſtiſſimos illos & fragoſos ſaltus penetrarunt, teſtantur ſe non minus fertiles herboſoſque montes & convalles, omni animalium genere conſpicuas illic vidiſſe, quam in maritimis habitatis terris. Quod ipſum quidem deinde veriſſimum comperi, ſed in eo potiſſimum differre ab iis, quod quo ad mediterranea loca penetres altius, eo plura metallica eaque ignobiliora invenias corpora, ſed fontium inopiam, rarioreſque amnes, atque ob auras defatigatis æſtus diurnus major, & noctium frigus intenſius: frequentiores vero lacus, paludes, ſtagnaque piſcoſiſſima, hybernæ pluviæ in æſtivam penuriam ſuppeditant: nam mediterranea opem plurimam de cœlo imbrido habent, non circa vegetabilia ſolum, ſed ferarum & piſcium miram pinguedinem, ut obſonari eos oleo vel butyro non ſit neceſſe. Tum loco fructuum *Acaju*, palmis, melleque ſilveſtri abundant. Carduis quoque & Rubis, cæteriſque ſpinoſis fruticibus paſſim horrent.

Duæ tantum indomitæ feræ in tam vaſta regione extimeſcendæ reperiuntur, Tigres & Apri; quorum illæ inſidioſæ velocitate valent, hi tardiore ſunt curſu; utraque autem familica exiſtit. Eædem paſtæ, quod mirere, tanta ignavia à venatoribus deprehenduntur, ut ab ipſis Tapuyeris & gregariis etiam canibus in fugam confeſtim agantur & capiantur: adeo potus ubique ſatietas, non homines tantum, ſed & feras enervat.

Notatu dignum, quod eximiæ tot arbores, frutices & innumeræ herbæ, figura, foliis & fructibus à veteris orbis vegetabilibus, paucis exceptis, diſſimillimæ appareant. Idem de avibus, animantibus & piſcibus deprehenditur, ut & Inſectis alatis atque alis deſtitutis. Quæ ineffabili colorum pulchritudine & portentoſa multitudine generantur, partim nota nobis, partim incognita. Ex quibus utique apparet, quam miris & variis modis divina natura ludat in orbe terrarum. Ac proinde merito beati incolæ habendi forent, ſi verum horum omnium Creatorem cognoſcerent. Quum è diverſo tam uberrimo & nitidiſſimo ſub cœlo, tam agreſtia & diſtorta illis ſint ingenia.

Hæc breviter de aëre, aquis & locis dicta ſufficiant. Quorum optima utique temperies parum culpabilis ex ſe. Quippe cum neque Solis calore torreatur hæc terra, neque ſqualore vel aquarum penuria reſiccetur, neque frigore violetur, ſed rore perpetuo & imbribus multis atque fontibus irrigetur, feraciſſimam eſſe, multaque illic tempeſtive naſcantur oportet. Præterquam enim quod nativis balſamis, oleis, mellibus non unius generis renideat, herbis ac radicibus medicis ad tutandam valetudinem potens ſit: quæſtuoſiſſimam quoque culturam dat, quantum ex aliquot retro annorum meſſibus colligi potuit. Animalia denique omnia & boum imprimis armenta vel maxime abundare, crebriuſque parere certum eſt. Unde prudenter quondam Hiſpani ſenes, valetudine minus proſpera utentes, ex patria ſua & diſſitis quoque Indiis ad aërem & aquas haſce cœleſtes ſe contulerunt, tanquam duo validiſſima ad vitam & valetudinem requiſita. Præmature enim pubeſcunt, tarde ſeneſcunt incolæ. Quo fit ut ſupra centeſimum ætatis annum, viridi & longæva ſenecta Braſiliani & ipſi quoque Europæi hic potiantur. Ac ſi fervor juvenilis, frigore ſenectutis repreſſus, temperatiorem eam in his calidioribus plagis relinqueret. Pueri enim advenarum crebris licet morbis infeſtentur, vixque tertia pars eorum infantiam egrediatur, non tamen id cœli intemperiei adeo, quam præpoſtero nutriendi modo debet imputari. Exemplo erunt vel maxime Braſilianorum liberi vivaciſſimi, qui ventre duro & prominulo, ſolidis toris, ſubucula tantum leviori induti, injurias cœli ſecure contemnunt, breviſſimoque temporis ſpacio ſignare humum nituntur. Rident matres ineptam noſtratum in veſtiendis & educandis parvulis induſtriam, qua perſpirationem impediri & catharros multos generari ajunt. Nulli Strabones, Luſcioſi, Claudi aut gibbo deformati inter illos inveniuntur, cum faſciis aut linteolis infantes numquam involvantur, aut Europæorum more ligentur. Frigida frequenter lavantur: idem provectioribus quoque proprium, cum ob innatam huic genti mundiciem, tum ad firmandam & tuendam corporis ſanitatem. Porro alacres ſunt & ſucculenti omnes, vaſiſque amplis, brachiis cruribuſque lacertoſis & firmiter compactis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ctis, minus tamen pinguedine farctis. Moribus non admodum ſunt agreſtibus, nec corporis ſtatura valde procera littoris accolæ, qui nobiſcum militant: mares maribus, mulieres mulieribus ſimiles, quod paucioribus anni tempeſtatibus obnoxii, rariora quoque vitia prima ſeminis efformatione eo incidant. Plerumque enim hominum inſtituta, mores & naturam, pro varia regionis conſtitutione mutari videmus. Rariſſime adverſa valetudine afficiuntur. Longævi ſunt admodum. Primo quod athleticis nati parentibus, incomparabili iſti aëri, ventorumque ſerenitati & æquabilitati expoſiti: tum vel maxime quod curas, cæteraque animi pathemata, corporis quoque voluptates veluti ignorent. Sub eodem tecto, levi, prælongo, pice, calce, coctoque lapide deſtituto, ſed arundine & palmarum foliis inſtrato, multæ ſimul familiæ degunt, idque peregrinantes deſerunt pro tempore, curtamque omnem ſupellectilem liberoſque impigræ humeris portant fœminæ. Eodem ſemper victu & amictu, eoque ſimplici gaudent: quippe ſolum goſſypium ad veſtitum, & radix altilis Mandioca cum melle ſilveſtri ad victum illis ſufficit. Nullus denique illis habendi amor, paupertatique ſe addicunt voluntariæ, ea quidem æquitate, ut cui plus eſt, lubens impertiat aliis minus habentibus, pari dandi & poſcendi invicem facilitate. Cæteras radices alimentoſas, quod dignitate Mandiocæ cedant, imo ipſum panem ex Milio aut Oryza, apud Aſiaticos tantopere expetitum, contemnunt. Poma *Acaju* cæteris fructibus præferunt, quod ad victum & potum pariter ſufficiant. Nam ſicut vinum inde expreſſum depoſita immunditie ad menſes reſervant: ita præſtantiſſimas eorum caſtaneas in penu recondunt. Vina præterea, liceat ita nominare, è variis fructibus, imprimis *Pacova*, *Ananas*, *Mangaba*, *Ianipaba*, *Caraguata* expreſſo ſe inebriant. Idem fit ex radicibus *Mandioca*, *Patata*, Milio Turcico, Oryza & aliis: quæ à vetulis maſticantur, maſticataque multa cum ſaliva exſpuuntur. Hic liquor mox vaſis reconditur, donec ferveat, fœceſque ejiciat.

Medicamentis utuntur ſimplicibus, noſtraque derident, quia compoſita. In quo veniam merentur, quod ſimplicioribus qui ipſis contingunt affectibus & humoribus, nulla arte, ſed communi quadam animi notione, contrarium remedium opponunt. Nam calidius & tenuius quod evaſit, refrigerando & incraſſando reſtituunt, & vice verſa, ſi quid turget, evacuant, & ſic porro. Quiſque ſibi & ſuis, præcipue ſeniores, facili negotio omnis generis medicamina, undiquaque in ſilvis acquiſita, conficit. Quæ tanta ſagacitate interne & externe illos adhibere videas, præcipue in morbis à veneno natis, ut hic quis illorum manibus tutius & ſecurius ſe tradat, quam imperitis quibuſdam ſciolis, ſecreta ſua in umbra educata proferentibus, quique propterea, ſi diis placeat, Rationales dici volunt. Vel corneis cucurbitulis per ſuctionem vel per ſcarificationes ipſamque phlebotomiam, redundantem ſanguinem educunt, dente piſcis Lamiæ, loco ſcalpelli, adhibito, ſine quo vix umquam illos peregrinari videas.

Iugum ſervitutis neutiquam tolerant. Saltationibus & potationibus impendio ſunt dediti, ſtataque cibum capiendi tempora ignorant. Recte aut perperam factis, nihil poſt mortem premii aut ſupplicii ſupereſſe exiſtimant. Licet vana quædam fabulentur, eorum quos ſua mors extinxit, animos immortales fore. Otium amant, magnoſque labores declinant, ſed ſecure & in diem vivunt. Cujus rationem cum Hippocrate eam eſſe arbitror, quod rerum ac temporum uno modo ſe habentium, eadem facies, ſocordiam ingeneret; varietas autem animum & corpus ad labores excitet. Quin etiam otio & quiete ignavia creſcit; exercitatione vero, mentis & animi robur (quod in meticuloſum hunc populum haud quaquam cadit) alitur.

Ætatem ac vitæ decurſum, cum veram numerandi artem ignorent, ex fructu Acajû, qui ſemel dumtaxat in anno provenit, metiuntur.

Fœminæ mire fœcundæ, facili negotio pariunt, rariſſime abortientes. Maritus tempore puerperii uxoris loco decumbit primis à partu diebus, & puerperæ inſtar, bellariis & epulis fruitur, ſubindicans neceſſitatem lapſas vires reſtaurandi. Præpoſterus ſane mos, qui tamen illis laudatiſſimus videtur, cum pleræque puerperæ ſtatim poſt partum, nemine obſtetricante, ſurgant aut obambulent; imo ad fluvium vicinum corpus ablutum properent, victumque hinc inde conquirant. Liberos extinctos ultra biduum aut triduum non deplorant, matribus miſerando ejulatu totam domum implentibus. Profuſis lachrymis, quas in poteſtate habent, cognatos reduceſque amicos excipiunt, quorum calamitates & labores peregre exantlatos, multis ſuſpiriis & gemitibus deflent, circumdatis collo brachiis & capite ad pectus adpreſſo.

Qui inter Belgas & Luſitanos degunt, Chriſtum ſequuntur, ſed frigidius, & adulti circa ſacra noſtra valde remiſſi: nec vix placita noſtra, niſi tenellæ ætati, nondum præoccupatis animis, remotiſque parentibus inſtillari poſſunt. Lingua inter ſe haud differunt. Et quamvis quondam ex Antrophagorum proſapia orti, tamen mutuo cum Europæis commercio & conſuetudine exculti; exutaque barbarie, humanitate nonnulli cum noſtratibus contendunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

dunt. Mediterranei contra agreſtes, truculenti, immanes, ſine lege, ſine religione, ferino prorſus ritu, in hunc uſque diem, nulla fixa aut ſtabili ſede, huc illuc, pro victus ubertate aut penuria, piſcibus & feris mira ſagacitate & celeritate inſidiantur: validiſſimis lacertis jacula, ſtupenda arte, ſine arcu torquere norunt. Ominibus tantum & auguriis dediti, ariolis & impoſtoribus quæſtui ſunt; alii Tonitru, alii Vrſam minorem, aliaque ſidera pro numine habent. Viri pariter ac fœminæ, nullo circa pudenda velamento, fuſis capillis, diverſa licet tonſura, cæteris partibus corporis depilatis, incedunt; aviumque diſcolorium plumis ſe exornant. Colore quodam fuſco ex Ianipapa pomo expreſſo, corpus turpiter pingunt. Et ne facies ornamento deſtituatur, lapillos viliſſimos & longiſſimos, perforatis à prima infantia auriculis tum labiis inferioribus & maxillis infigunt. Quod licet viſu fœdum, illis tamen regium videtur. Soli vivere amant, omnemque hominum præſentiam averſantur. Tuguria nec latibula ferunt, ſed ſub dio perpetuo victitant. Ita ut pauca, quæ de ipſis dici aut ſcribi mereantur, occurrant. Tanta eſt inter illos confuſio & diverſitas linguarum, ut exinde ſolum atrociſſima bella & crebra naſcantur. Ita ut inimicitias inter ſe exerceant perpetuas, ſupraque fas humanitatis & odii ſævas: imo vel ipſos ludos aliquando in ſerias cædes & mutuas lanienas convertant. Cum in morbum eorum quis incidit, amici accedunt, quiſque ingenium advocat, remedia quorum notitiam experientia ſibi comparavit, profert. Mox ſpinis arboris *Carnaiba*, piſciumque dentibus, quibus ſagittas aſperant, in toroſis brachiorum & femorum partibus alte cutem ſcarificant & incidunt, ut ſanguis abunde profluat. Idem fere præſtant per validiſſimam ſuctionem, ore pando parti dolenti applicato, membraque integra à morbis & laſſitudine vindicari autumant. Suctum illum ad Medicinam ſpectare novit Homerus, qui de Machaone Menelaum vulneratum curante, ſanguinem, inquit, exſugens, lenia medicamenta adſparſit. Vomitum vi concitant contortis *Carnaiba* foliis, gulæque immiſſis. His & ſimilibus remediis fruſtra adhibitis, nihil ultra tentant, nec tamen ægrum relinquunt, ſed unanimi conſenſu, tanquam de ejus ſalute deſperantes, clavis ligneis illumférociter interimunt: gratificantes tamen illi & ille ſibi, quod maſcule interire ipſi contingat, omnibuſque miſeriis eripiatur: Hoc enim lætabundi in ipſo mortis articulo gloriantur. Non minori cùm applauſu in parentis quam victi hoſtis cadaver ſæviunt, illud præ turpi amore, hoc præ immani vindicta, crudeliſſimarum ferarum ritu dilaniantes. Utriuſque carnes oſſa tenus dentibus abraſæ diræ ipſis epulæ exiſtunt.

Nemo itaque mirabitur ſi longe majorem herbarum cognitionem habuerint Aſiatici, quam Americani: cum hi animantibus non contenti, in rationalia quoque ruant, membriſque fœtidis, nunc crudis, nunc ligneis verubus toſtis avidiſſime veſcantur. Illorum autem multi, ex inſtituto Pithagoræ, vegetabilibus maxime vitam ſuſtineant. Non abs re fore exiſtimavi, à propoſito, facta pauliſper digreſſione, aberraſſe, barbariemque illam miſeram, tum quæ huic genti paterna & annata ſunt, paucis perſtrinxiſſe. Denique ut conſtet, nullis creaturis adeo voluiſſe novercari naturam quin exacte alimenta & medicamenta à venenis eas diſtinguere docuerit. Quod cum in aliis animalibus & plantis quam plurimis ſolertiſſime, tum in radice *Mandioca* Braſiliæ alimento imprimis videre eſt. Cujus raſuram ſalutiferam à noxio & venenato ſucco vindicare norunt. Præterea ut demonſtrem longe hanc à nobis diverſam vivendi rationem & temperamenta, diverſos aliquando morbos, & medendi modos ſuppeditare.

Reſtat itaque conſideremus, quæ valetudini potiſſimum vel proſint vel adverſentur & unde originem ducant morbi. Inquit enim Hippocrates, conſpiratio una, perſpirabilia omnia, compatibilia omnia. Quorum ſi vel unum deficiat, tota hominis ſtructura facile corruit. Enimvero cum ſub zona torrida, omnia aſtra verticalia vehementius agant, idque motu annuo, exceſſu ſubinde caloris & humiditatis: motu vero diurno, perpetua viciſſitudine caloris & frigoris, eoſdem microcoſmus ſortitur effectus. Qui ſi adventitius & in tempore laboret, commovetur, nonnumquam etiam evertitur, ſi ferendo impar fuerit. Vt enim planta novella, aëris, terræ & aquarum mutationes, tanquam naturæ ejus minus convenientes, licet in melius tranſplantata, ſæpe non fert: Ita multi Europæi, aut imbecillitate naturali, aut rite vivendi imperitia, aëri & aquis hiſce ſaluberrimis, primariiſque vitæ fulcris, minus aſſueſcere poſſunt. Vnde non raro *illis de laſſitudine ſpontanea querelæ*, quæ, ex ſententia Hippocratis, νοσήματα φράζουσι. Boreales, licet non minus quam Meridionales corporibus habeantur compactis, tamen mollitiem carnium ex hepatis intemperie incurrunt, niſi tempeſtive cacochymica ſaburra exturbetur: miſſis compoſitis, ſolis ſimplicioribus, tenuiorumque partium alimentis ſe tradant. Ne tarditas & craſſities humorum fomitem obſtructioni, obſtructio perſpirationi & circulationi ſanguinis impedimentum afferat. Adeoque ſi Hippocratis effatum ξύμπνοια μία locum habeat, hic ſane ejus, tam neceſſitas, quam perpetua veritas eluceſcit. Quippe immodico exiſtente calore, ſi perſpiratio undique eſt libera, nulla exinde perſentiſcitur moleſtia; ſin minus, ponderoſius fit corpus, ac brevi fomes materiaque morbi

futura,

ſutura colligitur. Circulatione enim naturæ perpetua, à centro ad circumferentiam, impedita, humoribus ſpiritibuſque, ſive ab interna ſive externa cauſa, cohibitis, ingeminatur fervor, pejuſque inde quemlibet ſe habere oportet. Quod ſicut in omni vitæ officio veriſſimum, ita in ſomno manifeſtum deprehenditur. Idem cogita ſi laſſo vel febricitanti intempeſtive medicamentum vel cibus exhibeatur. Ab his itaque ſequentibus vitæ inſtitutum fiat.

Quiſque in locis excelſis ex occidente objectis, atque oriente apertis, habitare eligat, ubi ex continenti craſſum ventum arcere, tenuem vero auram ſoliſequam perpetuo excipere poſſit. Pectoris ac ſtomachi regione probe tecta, domi ac foris quiſque vivat, quod nihil hiſce corporis partibus magis inimicum, quam poſt æſtum diurnum, frigus nocturnum. Quo fit, ut, clauſis cutis meatibus, ſudores retro pulſi, varios morbos progenerent. Quibus enim tempeſtive ſudores fluunt, rarius valetudinem adverſam incurrunt, aut ſi quando in morbum incidant, minori negotio reſtituuntur. E contra fit iis, qui difficulter ſudant. Aquæ thermales vel balnea hactenus incognita ſunt. Artificialia humida & ſicca, contra externa & interna mala, maximo ſalutis commodo in uſu exiſtunt.

Quæ ex herbis, quas Braſilia producit, odoriferis eximiiſque conficiuntur. Cavendum tamen, præſertim noviciis & advenis, ab immoderato vel frigidorum vel calidorum uſu, quorum illa torpores & obſtructiones, materiam intus cogendo, hæc membrorum languores, carneſque effœminatas propter ſpirituum exſolutionem excitant. Quamobrem ne humor alimentalis attractus reſolvatur, fideliter oleis balſamiſque nativis cavent incolæ. Quaſi barbaries commune quid habeat ſubinde cum erudita antiquitate, cui familiaris olim fuit, licet nunc exoleverit, unctionis uſus. Porro exercitia præter ambulationes, ſedulo vitanda ſunt.

Aura hæc, licet blandiſſime terram exhilaret, Soliſque ardores clementer mitiget, tamen motu defatigatis obeſt. A vento enim adiapneuſtia: ab immoderatiori vero exercitio, ſumma humorum ſpirituumque accenſio atque acrimonia proficiſcitur. Tempus oportunum ad ambulandum eſt mane, modo acceſſus maris auram intendat & maturet, ut exhalationes nocturnæ domentur tempeſtive, atque tunc blande ſtringitur & concentratur calor naturalis. Maxime autem conducit circa Solis occaſum prima veſpera, quod vires corpori, robur & appetitum ſtomacho reſtituat, ob temperiem optimam aëris & auram intenſiorem. Aura illa veſpertina, *Seren* à Luſitanis dicta, quæ aliis Europæ regionibus calidioribus, cœlo ſereno extimeri ſolet, hic ſalubris eſt prorſus. Peritiſſimi quique incolæ, labores & motus vehementiores tum animi tum corporis, maxime obeſſe: lucubrationibus quoque mentem turbari, memoriamque imprimis labefactari aſſerunt. Hoc certum eſt, difficilius vigilias, inferioreſque longe labores ob citam virium exhauſtionem tolerari ſub Zonis torridis quam temperatis: torporemque & deſidiam advenas tacite ſubeuntes licet, primo inviſam placidam tandem contrahere. Somnus diurnus brevis, quem à prandio in lectis penſilibus promiſcua multitudo capit, commendatur. Inſuetis tamen aliquando obeſt, ac propterea multum concedendum hac in re conſuetudini. Corporis vigilantis decubitus merito ſomno præferendus eſt, idque eo loci, quo aura marina quidem, non tamen radii ſolares poſſunt pertingere. Somnus nocturnus in lecto molliori & plumis avium referto, admodum improbatur, quod viſcera accendat. Qui ſanitati conſultum vult, pedibus nec coxis detectus jaceat: præſertim poſt mediam noctem. Denſato enim corporis habitu à nocturno vento, venæ arteriæque meanti ſanguini, tum halitui inviſibili & ſudori exitum præcludunt: ac tum quidem ob tranſpirationem cohibitam, poſtridie pejores & graviores ſe habent. E diverſo illi qui cooperti ſomnum capiunt, jucunde ac optime valent, levioreſque ſe ſentiunt corpore, ſudore levi & tenui, roris inſtar, madeſcente.

Qui Venere abutuntur, ardorem juvenilem extinguunt, & ſenectutem ante tempus maturant, perſpirationem & circulationem ſanguinis remorantur, unde cruditates facile ad ambitum diffunduntur, catharros in cerebro, in corde palpitationes moventes. Quare coitus, ſicut ubivis, hic is maxime conducit, quo quis natura turgente, non vaga aut intempeſtiva libidine abreptus, Veneris incendium reſtinguit, idque tutius noctu, interdiu pejus. Ita tamen ut neque hunc cibus, neque illum cum vigilia labor ſtatim ſequatur.

Animi pathematis, præcipue Melancholiæ, qui frenum injicere neſcit, ut motus naturæ & ſpirituum perpetuo ſit liber, hujus cæli temperiei ferendæ impar habetur. Inediam hæc regio impatientius fert, ante omnia bilioſis vehementer obeſt; qui ſi ſtomacho forte vacuo ſomnum capiant, facile tum capiti, tum cordi mala accerſunt. Proinde ægris juxta & ſanis conducit modice & ſæpiuſcule cibum & potum capere, qui quo minus compoſiti vel calidi, eo conducibiliores ad ſanitatem. Quicunque enim ad altam & beatam ſenectutem pertingere velit, ſive advena ſive indigena, caveat ſibi à vino & carnium uſu quotidiano; quod quæ ex nutrientum atque calefacientium ſunt genere, ſiquidem vincantur, calefaciunt; ſin minus, contrarium evenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Omnia amara & acria, imprimis mane, evitanda. Poma vero aurea, Limonia, Citria, Granata, Melo pepones, *Murucuja*, Citrulli, reliquaque refrigerantia, ſive cruda ſive condita utiliter comeduntur à jejunis, quibus inter delicias ſacra habentur; quod hepati conferunt, tum & menſibus imprimis æſtivis ad jucundiſſimam maturitatem perveniant. Unde in proverbium abiit, Non intrat ædes Medicus in quarum veſtibulo crebri Aurantiorum cortices mane conſpiciuntur.

Sedulo cavendum fructus ullos colligere, antequam radii ſolares ab exhalationibus nocturnis eos repurgaverint. Præſtat illos ante, exceptis aſtringentibus, quam poſt paſtum, tum quoque ſaccharo conditos, quam crudos, apponere. Quod fugaces cum ſint multi, facillime corrumpantur, imprimis iis, qui imbecilli & intemperato ſunt ventriculo. Ego quidem Galenum imitatus, perpetuo ſuaſor fui amicis, ut raro fugacibus fructibus ſeſe oblectarent, unde ipſis diu multumque bene fuit. Qui in quotidiano uſu fructus, hi potiſſimum ſunt (nam reliqua ad Hiſtoriam naturalem pertinent) *Ananas*, *Mangaba*, *Acaju*, *Araca* major & minor, *Guajaba*, *Murucuja* diverſæ ſpecies, *Ibapiranga*, *Mazaranduba*, *Acaja*, *Araticu*, *Guitacoroy*, *Biringela*, *Mamaon*, *Bacoba*, *Banana*, *Cocos*, Ficus Indicæ variæ; Piper domeſticum multorum generum. Hi omnes inter patrios habentur, quorum aliqua pars ſponte aut in agris provenit: nonnulli à Batavis & Luſitanis in hortis excoluntur tam feliciter, ut ipſi fructus vileſcant. Inter ſubterranea ſunt radices *Batata*, *Nhambi* & *Vmbi*; tum glandes Americani *Munduy* optimi ſaporis & nutrimenti, atque ſecundæ menſæ deliciæ. Non procul à littore in locis arenoſis & ſalſa æquoris unda imbutis, adeo luxuriant Portulaca & Braſſica marina quædam, ut ſolum lateat ſub illis.

Inter ipſas feras, plurimæ exiſtunt, quæ victum adminiſtrant. Apri majores & minores, umbelico in dorſo præditi, carnibus optimis & ſaluberrimis cenſentur. Amphibii porci, *Capiverres* dicti Luſitanis, haud multum dignitate cæteris inferiores, integris militum & Barbarorum cohortibus alimento ſunt gratiſſimo.

Quod ſi crudioris cibi concoctioni, aquæ potum minus ſufficere experiantur; pulverem ex ſale & modico piperis Braſilienſis præparatum, *Iuquitaya* dictum, intermiſcere norunt, condimentumque inde conficiunt ſaluberrimum, atque in omni peregrinatione merito circumferendum. *Antæ* etiam lucifugæ (mira aſpectu animalia) carnes guſtatu bubulas plane referunt. Capreæ, *Pacas* & *Cotias* quas nominant, tum lepores & cuniculi Europæis haud cedunt, *Tatuſiæ* denique loricatæ & inſignes illæ Lacertæ, *Vnuana* & *Teju* dictæ, palato gratiſſimæ & in delicatiores epulas expoſitæ. Neque hæc tantum, ſed & alia identidem ſilveſtria & domeſtica, catervatim in ſaltibus oberrantia, nuper à Luſitanis, mox Batavis, invecta ſunt pecorum armenta, imprimis boves, porci, arietes. Inter hæc nefrendes teneritate carnis excellunt, uſque adeo, ut ægrorum diætam ingrediantur, & ovillæ longe præferantur. Suum enim & gallinarum imprimis ſummum eſt incrementum & bonitas ob cœli temperiem.

Avibus ſilveſtribus, partim in nemoribus, partim in aquis viventibus, optimi guſtus, haud quaquam deſtituuntur. Licet non ſit hujus inſtituti omnes enarrare, eas tamen præterire nolui, quæ palato & ſaluti inſerviunt. Ut ſunt, quæ in montanis habitant, Perdices, *Iambi*, Phaſiani Braſilienſes diverſi, Barbaris *Macuagua*, *Iacu* & *Aracua* dicti. *Mouton* pavonis magnitudine, ſed nigris plumis, carne optima & tenerrima. Pſittaci, Palumbi, Ficedulæ, Turdi, Fringillæ diverſi admodum generis. Accipitres item à quorum numero Niſus, quem *Guavilaon* Luſitani, Braſiliani vero *Teguato* & *Inaje* nuncupant, gallinis & columbis inſidiantes. Ex amphibiis celebrantur anates ſilveſtres, quarum quædam Europæis minores, quædam majores & anſerum magnitudine ſunt. His adjungo *Iacana miri* & *Iacana guacu* gallinas paluſtres, quæ toſtæ menſis inferri ſolent. Cæterum tot volatilium genera Ardeas, Grues, Cataractas, Coturnices, Struthiones, tanquam ignobilioris carnis prætereo. Hæ omnes ambræ griſeæ primarii ſunt prædones, quam durante maris tempeſtate in ipſo littore certatim devorant, antequam maris accolæ eo poſſint pervenire.

Piſces ſquamatos aſperos, læves, cum fluvii & lacus, tum mare piſcoſiſſimum vicinum abunde ſuppeditat. Qui in hiſce regionibus ita ſalubres judicantur, ut neque febricitantibus noceant. Cancris quoque, Teſtudinibus, Gammaris, Squillis, Conchis, Oſtreis, omnibuſque teſtaceis & cruſtatis, præſertim paludes receſſu maris ſubinde exſiccatæ, maximopere ſcatent, gratiſſimoque alimento omnibus pariter incolis exiſtunt. Multi piſces mari & fluviis communes ſunt, maxime menſibus pluviis, quod tunc aqua fluvialis in mare prolabatur, ſuaque dulcedine piſces trahat. Unde illecti altius aſcendunt (ſicut quoque tempore pleni & novilunii) ibique immorari delectantur, quod herbis ſuaviſſimis, quibus plerumque fundi luxuriant, ineſcentur. Inter fluviatiles numerantur, *Duja*, *Piajuba*, *Acarapucu*, Alburnum Europæum referens, Cyprini ſaxatiles, percæ optimi & pulcherrimi piſces, varioque colore inſignes. Lucii è quorum genere *Robalo*, qui hyeme tantum capiuntur, Anguillæ item, Con-

grus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

grus, Scarus, & hujus generis alii, quibus ſuperſedeo. In ſinubus vero & lacubus mediterraneis (qui *Alagoas* Luſitanis dicuntur) piſcium immenſa eſt multitudo, quorum facile optimi exiſtunt, *Sindia*, *Gueba* & *Noja*, qui ſquamis carent, *Tamatæ* ſive loricati. Qui licet fluvialibus dicantur inferiores, haud multum tamen cedunt, quod non ſtagnantes vere ſint aquæ, ſed perſpirent, indeque fluenta & rivi egrediantur. Piſces denique vel ſole exſiccantur vel ſale (qui copioſiſſime in ſalinis hic colligitur) condiuntur, inque penu & ſalſamentariis conſervantur: Inter quas præcellunt, *Curima parati* (**Herders** Belgis.)

Omnes pariter Barbari eodem oblectantur obſonio, eoque ſane præſtantiſſimo, quod ex oleo & aceto præſtantiori & efficaciori contra piſcium phlegma, cui multum piperis Braſilienſis immergitur, præparant. Qui recens capti à piſcatoribus ex Oceano ad nos deferuntur ac celebrantur, hic potiſſimum recenſeo, eorumque nomina Braſilico idiomate, vel Luſitanico, quatenus vulgo notiora, exprimo; *Piracana*, *Piraumbu*, *Pirapinime*, *Carantia*, qui piſcis eſt coloris rubri. Cyprinum noſtrum Europæum æmulantem, ſed paulo majorem. Cæterum *Carapantangele* percæ eſt ſimilis. Quem vero *Cunapu* vocant, Luſitani *Mero*, Batavi, **Jacob Evertſz**/ in mari juxta & fluminibus reperitur. Huic ſimilis eſt *Pirata apua*, ſed non æque craſſus. *Siobe* piſcem *Carantia* per omnia refert, excepto colore & dentibus. *Beyupira*, *Guarapucu* cavallo & *Iaravallo* & *Carapitanga*, marinorum piſcium facile ſunt principes. Hi omnes quovis anni tempore capiuntur, & piſcatoribus *Fundi Piſces* dicuntur, quod fundo ſemper adhæreſcunt. Nam qui æſtate ſolum capiuntur, plerumque in ſuperficie maris cernuntur, ut Auratæ marinæ, Hiſpanis *Dorades*; deinde *Piſado*, *Picudo* ſeu Lucius noſter, *VVaribana* optimi palati, verum difficilioris concoctionis: *Corcovado* non multum abſimilis, ſed dorſo cæruleo, nimiſque rotundo. Orbium, Scombrorum, Acuum, Rajarum multæ ſpecies edules. Præter hæc denique *Iupipiapre* veluti Tritones, Luſitanis *Peixe Mulhier* dicti, Balenæ, Vaccæ marinæ, aliaque prodigioſa Neptuni pecora, inter quæ Delphini & Thynni inſigni velocitate cæteros ſuperantes, conſpiciuntur. Lamiæ porro, Braſilienſibus Cacaon, Belgis **Hayen**, & ſerræ quæ illis *Araguaqua* nobis **Swaertviſſchen**, inter rapaces primum locum obtinent. Illi formidabili rictu piſces non tantum, ſed & homines ſub aquis urinantes devorant: Hi perpetuum cum Cetis bellum gerentes, eorum præcordia gladio, acutiſſimis radiis horreſcente fodicant, ut mare cruore tingatur. Cetorum enim præſertim menſibus pluviis magna apparet copia, fœtuſque ibi edunt; mari autem recedente, contingit eos in vadis hærere aliquando, atque hinc multum olei inde redundat. Quos vero volare videmus piſces, ſunt edules, atque plus minus halecis magnitudine. His provida natura opinor alas addidit, ut hoſtes, qui omnes piſciculos minutos gregatim natantes perſequuntur, evadant. Cujus rei non ignari piſcatores, vivos hamis affixos profundo immittunt, magnoque fœnore illos redimunt.

Potus porro uſitatiſſimus & longe ſaluberrimus (ſupra illum quem ex tot fructibus exprimi diximus) aqua eſt limpidiſſima, divinitus hiſce regionibus conceſſa. Quæ jucundo refrigerio, Solis ardore & longo itinere fractos refocillare ac ſummopere recreare ſolet. Largius & crebrius pota, nullos in ventre vel hypochondriis flatus aut tormina excitat, neque ventriculum debilitat; ſed melius quiſque inde ſe habet: modo εὐδιάπνευστος & regionis temperamento conformis fuerit. Atque hinc quidem illico ſudores & urinas provocat, adeoque appetitum ſtomacho acuit, ita ut voraces incolas reddat. Illa quæ ex amnibus *Paray paratybi* fluit, à calculoſis imprimis & articulorum morbis præſervat; rariſſimæque de duobus hiſce malis querelæ ſunt. Conſtat, plurimos beata admodum ſenecta à tot ærumnis libera, centeſimum attigiſſe annum, nec alium potum præter aquam toto vitæ curriculo guſtaſſe. Cum enim aquæ hæ pleræque nive & metallis deſtitutæ è ſublimi prolabantur & profundis è fontibus orienti obverſis ſcaturiant, longo itinere aſſiduoque Solis calore excoquuntur, dulciſſimæ & tenuiſſimæ evadunt, nihilque ſubſident. Hibernis menſibus minus quandoque limpidæ, ob crebriores pluvias nec æque frigidæ. Æſtivis ob auram intenſiorem frigidiſſimæ ſunt, nec tamen duræ, ſed molles, leves atque concoctu faciles. Aquæ ex imbribus collectæ, leves quidem, ſed calidæ & facile putreſcunt, quod ex plurimis & diverſis conſtent, ravimque inducunt, niſi excoquantur. Quæ ex tumulis & montibus his, metallis fere deſtitutis, profluunt, iis qui ventre ſunt duriore conveniunt. Si quæ vero aquæ ſaxa & ferrum reſipiant, iis conducunt qui humidiori & molliori ſunt ventre, quod ventres cogant & reſiccent. Veterani non minus ſolertes ſunt in aquarum differentiis guſtandis, quam noſtrates in diverſis vinorum qualitatibus diſcernendis, quos imprudentiæ inſimulant, ſi nullo habito diſcrimine aquas hauriant. Illi enim tenuiſſimas & dulciſſimas, nihilque ſubſidentes hauriunt, quas ſublimioribus locis (ſubterraneis ob teporem neglectis) in urceis fictilibus, noctes dieſque ſub dio reſervant, ubi invitis radiis verticalibus, intenſiſſime ipſo momento refrigerentur. Hippocrates Aphoriſmo XXVI. lib. V. Aqua quæ cito calefit & cito refrigeratur, leviſſima eſt. Æſtuantibus tamen eam, licet gratiſſimam, niſi offa conditura ante deguſtata bibere non convenit. Cum è

contrario noſtra pubes nautica & ruſtici, peſſima omnino conſuetudine, frigida largiſſime hauſta, vinum ſtillatitium ob metum cruditatum ſuperbibant. Quaſi ejuſmodi vehiculo opus eſſet, èque duobus hiſce contrariis, hepatis aliorumque viſcerum tonus nihil pateretur. Præterea militum & Afrorum promiſcua turba, olente illo & nimio familiari potu, qui *Garapa* vulgo appellatur, ſe implent, quem caupones lucriones ex nigro ſaccharo & aqua conficiunt, & vix defœcatum, vili pretio divendunt, additis nonnumquam foliis arboris *Acaju*, quorum calore vapores excitantur, citiuſque inebriare faciunt. Conceditur tamen modice, ſi rite concinnetur, vetuſque factum ſit.

Dilutum quoque alium ex aqua fontana, Saccharo & Limonibus à mulierculis noſtratium confectum ſani pariter ac ægri in deliciis habent. Vini Abſinthitæ, cereviſiæ Europææ, vini imprimis aduſti, maximum in his oris uſum, quidam voluerunt, ſed immerito. Vinum Rhenanum & Gallicum vel quod nimiis ſuffimigiis infectum huc deferatur, vel delatum minus bene conſervetur, minus ſanitati conducit. Vinum Hiſpanicum per omnes Indias, quod per ſe ſine arte ſubſiſtat, cæteris vinis Europæis longe eſt præferendum. Cujus uſus modicus veſperi ſacer, mane profanus. Nec leviter peccant, qui torridis hiſce plagis paulo plus juſto illud potant. Quippe numquam expertum eſt potus frigidioris exceſſum, tantum nocuiſſe, quantum calidioris, quicquid naſutiores refragentur. Galen. in Hippocrat. comment. lib. v. de Sanitate tuenda. cap. 12.

Hactenus de uſu & abuſu rerum, ut inde conſtet, hunc orbem habitanti, quibus & quo pacto tueri ac firmare valetudinem poſſit & debeat. Antequam autem de lapſa reſtituenda agamus, paucis perſtringendum duxi, quinam morbi quæcunque anni tempora, conſtellationes, præcipue Lunæ, æſtuſque aquarum reſpiciant: quique inter diverſas gentes, vel diſcrepantes vel communes ſint. Primum quidem, cum ob conſtantiam & æqualitatem tempeſtatum, hæc plaga ſaluberrimam temperiem ex calido & humido ſit nacta veriſimillimam, mutationes nec tam magnæ, nec tam crebræ, ut ſupra à nobis dictum, fiunt, unde certa ſalutis & longævitatis indicia proficiſcuntur. Quia, ut ait Hippocrates, mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos: & in ipſis temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. Semeſtri ſiquidem pluvioſo, licet humiditatis prædominium, tamen à jugi Solis ſplendore, accipit moderamen. Quod ſi ex debito & tempeſtive fiat, annum proximum ſequentem ſaluberrimum & à multis morbis immunem prænunciat. Semeſtre æſtivum, rore copioſiore imbrium rarietatem compenſat, & præſentiam Solis diurni lenit; utcunque tamen media æſtate, nimirum Decembri vel Ianuario, ſole redeunte à Tropico Capricorni, terra iis irrigetur aquis, quas pluvias de Acajû appellant: quibus ſi non prorſus deſtituantur, nec nimium obruantur, dum prædicta arbor floret, optime de Barbarorum meſſe & vindemia agitur. Hiſce temporibus æſtivis, ſicut morbi citius deſinunt, ita acuti ut plurimum & boni judicii ſunt. Secundum illud: Ex conſtitutionibus anni (Hippocrat. lib. 3. Aphor. xv.) in univerſum ſiccitates, aſſiduis imbribus ſunt ſalubriores & minus mortiferæ. Hinc laterales morbi, febres ardentes, raro lethales. Per ſiccitates enim febres acutæ fiunt, & ſiquidem annus maxima ex parte talis exſtiterit, qualem effecerit conſtitutionem, tales ut plurimum quoque morbos expectare oportet. Verbi gratia, cæcitates vel diurnæ vel nocturnæ, dyſenteriæ, hæmorrhoides, inflammationes ani, pruritus totius corporis, impetigines ex aduſto ſanguine generari contingit. Lepra autem & ſcabies incognitæ ſunt.

Hibernis menſibus ſi Auſter perpetuus corpora exſolvat, humectet, languidaque reddat, qui generantur morbi præcipue ſunt febres putridæ, multa capitis ac ventris pituita (juxta illud Hippocrat. Aphoriſ. 16. lib. 3. Aſſiduis imbribus morbi fere fiunt, febres longæ, fluxiones alvi, putredines) lapſus cartilaginis enſiformis, albus alvi fluxus, hydrops, Hernia. Omnium autem maxime, oppilatio hepatis & ventriculi imbecillitates: quæ viſcera ſimul cum anni tempore mutationes accipere ſolent. (Hippocrates de aëre, aquis & locis;) Spaſmus, torpor, ſtupor, cæterique nervorum affectus in Indiis inter advenas frequentes ſunt, atque præ cæteris, piſcatores, fabri, piſtores illis infeſtantur. Porro pedum ulcera, tantæ ſunt malignitatis, ut vix curationem, niſi æſtate recipiant. Morbi alii ad alia tempora bene vel male ſe habent, ſine medicamentis aliquando auctore Hippocrate. Pleriſque tamen his morbis æſtas non vacat; ad Aphoriſmum decimumnonum lib. 3. Quilibet in quibuſvis anni temporibus morbi fiunt, tum exacerbantur. Atque hi omnes enarrati affectus huic regioni tanquam patrii ſunt. Africæ autem oris occidentalibus Scorbutus, Cachexia & Synochus putrida. In Chili cæteris malis prædominantur, tanquam endemia, ſtrumæ quidem in parentum ſemine latentes, ſed ortæ potiſſimum ex aqua nivali, quæ illis ex altiſſimis montium jugis allabitur. In Java Indiæ orientalis inſula (J. Bontius de medicina Indorum) Berybery, paralyſeos ſpecies, familiaris eſt.

Quantum ad ætatem, infantia & juventus, ut dictum eſt ſuperius, morbis frequentioribus infe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

infeſtantur: ſenes vero rarioribus, Aphoriſmo 3. lib. 2. Et quædam ætates ad anni tempora & victus genera. Et paulo poſt Aphoriſmo trigeſimonono lib. 11. Magnam partem ſenes juvenibus minus ægrotant. Catharri, qui frigidioribus regionibus ſenes, hic potiſſimum infantes & juvenes infeſtant.

Morbi diverſis in nationibus variant. Noſtratibus, imprimis novitiis, ſunt compoſiti plerumque & Chronici. Atque eorum longe plures morbis corripiuntur frigidis quam calidis, quod à nocturno frigore minus ſibi caveant & à diurno æſtu calorem innatum evocari patiantur. Tum quoque ex nimia nutrientis cibi & potus ingurgitatione, calor naturalis inſtar flammæ imbecillis, cui multum olei confertim infunditur, ſuffocetur; unde corpora non ſolum non caleſiunt, ſed & frigida vitia gignuntur. Quippe tam pertinaces incurrunt vel viſcerum obſtructiones, vel alvi fluxus, ut paſſim languentes decoloreſque ac viva cadavera incedere videas. Luſitanis minus compoſiti, ſed acutiores ſolent obvenire morbi. Braſilianis rari, iique acuti & ſimplices.

Quod ſi æſtas admodum ſicca fuerit, bilioſis & melancholicis ob nimiam aduſtionem male eſt. Humidum ſiquidem, quod in ipſorum corpore adhuc reliquum eſt, calor depopulatur & deſiccat, partibus viſcoſis & craſſioribus manentibus. Pituitoſis hæc omnia è contrario obveniunt. Hyeme autem nimis pluvioſa, teporibuſque nimio flatu ſuſcitatis, corpora non conſtringuntur, ſed cerebrum nervique humiditate ac uligine opplentur, quæ, accedente æſtate, æſtuque, ac mutatione ſubito accedente, circa Æquinoctium Autumnale valde noxia. Nam quia venter à redundante humore liberari nequit, aquam intercutem, profluvium alvi ac difficultates inteſtinorum inde enaſcantur oportet. Sic mulieres quantumvis fœcundæ, non tamen concupiunt, crebroque abortiunt, aut ſi quando parturiant, difficulter fœtum enituntur, eumque imbecillem ac debilem, brevique interiturum, aut certe valetudinarium.

Quod quidem potiſſimum de advenis mulieribus dictum ſit.

Quantumvis tempus æſtivum hiberno magis ſit ſalubre, quoniam in Braſilia ſiccitas humiditati prævalet, naturarum tamen aliæ ad æſtatem, aliæ ad hyemem bene vel male ſe habent. Proinde mulieres & infantes, cum corpore ſint magis pituitoſo; æſtate melius quam hyeme valent. Contra, bilioſa corpora & gracilia melius hyeme, pejus autem æſtate. Et hæc quidem de intemperatis, quæ moderato contrariorum uſu conſervantur, corrumpuntur à ſimili. Contrarium vero in temperatis fieri conſuevit. Cæterum à morbis qui è vaporibus ex terra aut lacubus ortis, naſcuntur, non eſt prorſus libera Braſilia. Cœlo enim exiſtente turbido, & vento marino à terreſtri victo, ſubito fiunt catharri & raucedines. Ab iis tamen qui Epidemici dicuntur, & à maligno ſiderum influxu, vitioſaque qualitate cœlitus dimiſſa, certis temporibus ſæviunt, immunis ſemper fuit habita. Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo & tertio, æſtate admodum ſicca anthraces apparuerunt. Triginta annorum decurſu ſemel duntaxat Afri ex Angola huc variolis laborantes devecti, reliquos nullo malo contaminatos, ingenti mancipiorum ſtrage, inquinarunt. Pari propemodum modo contagioſa lues inter pecora domeſtica, hyeme pluvioſa, aliquos greges depopulata eſt. Eo tamen malignitatis contagium adſcendiſſe, ut peſtis (ſicut in Peruvia à tergo Braſiliæ fit) aut morbus peſti affinis, inde exortus fuerit, à nemine umquam compertum eſt. Quaſi aſſiduitas Euri ab Oceano ſpirantis aërem ſerenet & quaſi verratus adeo, ut ſeminaria contagii impediantur, haud aliter à calido & ſicco, quam ſub Zonis temperatis à frigido & ſicco exſtinguuntur. Morbi ſiquidem Epidemici quantum cæteris vulgaribus ſunt vehementiores, tantum majorem aëri ad mutandum corporis habitum & ad pejus aut melius diſponendum, ineſſe vim quam in dicta & cæteris non naturalibus apparet. Pleni & novilunio, imo & quadrantibus ſingulis, alterationes manifeſtas corpora recipiunt. Quo fit ut Medici non niſi neceſſitate urgente ægris medicamenta porrigant; tunc enim dolor exaſperatur & pejus habet æger. Idem cogita de Solis motu diurno, cum ſupra fidem circa meridiem, bilioſi morbi, noctu vero pituitoſi ingraveſcant. Motus Lunæ diurnus ſingulis ſex horis, non minus quam menſtruus mutationes evidentes ſuſcitans, obſervatu digniſſima operatur. Singulis enim ſex horis, modo accedente mare, morbum ingraveſcere, ac dolorem mitigari viciſſim ſex aliis, modo recedente, cruciatus paulatim minui, ipſi ægri teſtantur. Quod in acutioribus juxta ac minus acutis morbis, præcipue in iis qui è fluxionibus & plenitudine oriuntur, apparet. Adeo accreſentibus aquis, æſtuque maris in plenilunium incidente confliguntur cum infirmitate nonnulli, ut etiam vitam cum morte commutaturi videantur, cum tamen vix quenquam tunc interiiſſe meminerim. Pleroſque autem pelago decreſcente extingui ægrotos, quia præter aliorum teſtimonia, ipſe toties experientia comprobatum habeo, confidentius affirmare auſim. Idem in partu fieri ab obſtetricibus fuit obſervatum. Ita ut validiſſimæ hæ influentiæ & occultæ cœli qualitates, eoſdem effectus naſcenti & denaſcenti impertiri videantur, & hunc à vitæ anguſtiis, illum à carcere & vinculis uteri materni abſolvant. Hæc eadem de animantibus

brutis

brutis affirmant, quod à me tamen nondum experientia exploratum fateor. Ariſtoteles nullum animal niſi æſtu exſpirare inquit. Plinius quoque Natur. Hiſt. lib. 11. cap. 102. ita de Maris & Lunæ poteſtate habet: *Quo vero conjectatio exiſtit haud fruſtra ſpiritum ſidus Lunæ æſtimari. Et hoc eſſe quod terras ſaturet, accedenſque corpora impleat, abſcedenſque inaniat. Ideo cum incremento ejus augeri conchylia & maxime ſpiritum ſentire, quibus ſanguis non eſt. Sed & ſanguinem hominum etiam cum lumine augeri ac minui, frondes quoque & pabula ſentire, eadem vi in omnia penetrante.*

A plurimis experientiſſimis viris accepi, Senes Empyricos in praxi exercitatiſſimos, ad horæ ſpacium mortem ſibi prædixiſſe; & tunc demum pronuntiaſſe poſtquam jam aquæ receſſiſſent; cumque illum defluxum evaſiſſent, ſpem certam concepiſſe ad ſequentem receſſum ſe fore ſuperſtites. Quod ipſum ita contigit, temporeque modo dicto occubuerunt. Hæc ut admiratione digna; ita Medico perquam neceſſaria, ut de alterius ſalute ſuoque honore minus periclitetur. Hanc latentem naturæ vim anxie diſputare, non eſt hujus propoſiti. Sufficiat per effectus ſciviſſe, quod perturbatio hæc criticum, aliquando ſymptomaticum quid præ ſe ferat; pro diſpoſitione naturæ aut virium materiæ morbificæ. Sicut enim nox, Aphoriſmo XIII. lib. 2. criſim præcedens, ægris moleſta eſſe ſolet, quæ vero ſubſequitur levis, ita oppreſſio hæc aquis decreſcentibus deſinens, quo gravior fuerit, eo levius & melius diſpoſitum relinquit corpus, ſi modo requiſita ad criſim adſint: ſin minus, mors eo certius ſubſequitur. Obſervandum autem quod hæ perturbationes noctu fortiores, quam interdiu exiſtant. Quaſi hi motus, Lunæ plerumque motum ſequerentur, quæ noctu magis quam interdiu vires ſuas exerit. Porro criſium obſervationes frequentiſſime occurrunt, modo præſentis & præteriti temporis conſtitutio rite examinetur; morbi natura dignoſcatur, principium cæteraque morbi tempora non negligantur. Et totum hoc quidem in ſubjectis ad cœli ſoliq; hujus temperiem conſtitutis, veriſſimum comperies. Omnium autem maxime in Indis, eorumque ritu viventibus, felicius morborum eventum præſentire, plurimaque ex libris ſolum nota, experientia tandem confirmare licet. Criſes ſæpe perfectæ fiunt, & quidem tempore æſtivo potiſſimum, quia magis conſtantia & æqualia tunc ſunt tempora. Quapropter Hippocratis Aphor. lib. III. veriſſimum quotidie experiri datur. Conſtantibus temporibus ſi tempeſtiva tempeſtive fiant, morbi ſtabiles & boni judicii accidunt; inconſtantibus autem inſtabiles & mali judicii. Sæpe quidem per hæmorrhagias, ſæpiſſime vero per ſudores, quos calidos & magna copia è corporibus fluentes, maxime ſalutares comperi, idque diebus imparibus, juxta Aphoriſmum trigeſimum & ſextum lib. IV. ſin minus, ut ex defectu virium fit, & citius quam die ſeptimo, malum. Nec minus crebro per fluxus ventris criſes manifeſte apparent. In quantum ſymptomatici fluxus alvi, miſeros mortales perpetuo in his terris excruciant, in tantum natura critice per eandem ſe exonerare amat. Denique ſicut longo alvi profluvio detento, vomitus, arte concitatus, prodeſt, ita ſponte ſuperveniens, ſæpiſſime ſolvit morbum.

Cæterum, quemadmodum veteres morbos nonnumquam extingui contigit; ita novos & cœli ſiderumque hoc influxu & terræ Auſtralis temperie, generari conſtat. Nam præterquam quod aſtra, aër, anni tempora, aquarum & ciborum diverſitas, ratioque vivendi prorſus alia, facile temperamenta immutent, accedit variarum nationum conjunctio. Sic Europæi cum Æthiopibus concumbentes *Mulatas*; cum Braſilianis *Mamalucas*, ut vocant, progenerant. Afri & Americani Europæis, per quoſvis familiares vivendi modos, ſua mala communicant, & viciſſim. Unde nunc implicati & diverſi, nunc novi generantur morbi, qui exercitatiſſimos quandoque viros ita defatigarunt in praxi, ut circa morbi diagnoſin, quam maxime vacillaverint. Ita ut in tanta rei incertitudine, non minus hi circa morbos endemios, quam illi ſuam olim in lue venerea, aliiſq; id genus morbis dignoſcendis & curandis, inſcitiam ingenue ſint confeſſi. Donec tandem remediis exquiſitioribus inventis, morborumque temporibus accuratius obſervatis, quoſdam expulerint. Nonnulli morbi ex parte novi videntur, quia periodum, tempus, eademque accidentia non rite obſervant, curandi tamen ratione non ſemper differunt. Quæ omnia ut recte dignoſcantur, ſolerti & ſagaci judicio, multaque experientia opus eſt. Ego quantum temporis publicis curis ſuffurari potui, obſervationibus hiſce colligendis impendere, iiſque, quibus lampada, in Patriam remeans, lubens nunc trado, impertiri volui. Spe certa fretus, fore, ut ſuo ingenio atque induſtria, ea quæ adhuc deſiderantur, aliquando ſuppleant, aut ſi quæ minus recte dicta, candide reſtituant. Ingenuis enim, licet tenuioribus hiſce conatibus, principii gravitas, incultaque barbaries facile patrocinabuntur.

GVILIELMI PISONIS, M.D.
LIBER SECVNDVS,
Qui agit
DE
ENDEMIIS & FAMILIARIBVS MORBIS IN BRASILIA.

Cap. I.
De Febribus.

QUEMADMODUM multa in tam craſſa barbarie cruda vel corrupta, arteque Hippocratica indigna reperiuntur: ſic etiam non pauca utiliſſima, antiquitatem redolentia, quæ vel eruditiſſimos Medicos advenas diſciplinæ ſubjiciunt, obſervanda occurrunt. Quippe cum multarum artium rudimenta vel ab ipſis animantibus brutis (quibus benigna mater natura arte inſita imprimis curandi morbos deſtitui noluit) ad nos redundare fatendum ſit. Quis dubitet ab his mortalibus licet remotiſſimis à dogmatica & rationali medendi arte, non plurima nobiliſſima & ſecreta remedia atque antidota, medendique modos veteribus incognitos, quotidie ad poſteros derivari? Quibus paulatim ad manum traditis, & tandem quaſi in ſuccum & ſanguinem à Rationalibus converſis, doctorum Scholæ & libri ſuperbiunt. Experientia enim tum authorum teſtimoniis conſtat, omnes paſſim fervidarum plagarum Incolas Empyricos, morborum cauſis neglectis, ſumpta indicatione à morbis & ſymptomatibus ad duo potiſſimum auxilia, ſcilicet evacuandi & refrigerandi præcipites ferri atque ibidem ſubſiſtere. In quibus medendi conatibus, quantum vel ſibi conſtent, vel deficiant, ſolertiores facile viderint: ex hac qualicunque Medicina Braſilianorum à me per ſeptennium obſervata & quam potui ſuccincte tradita.

Java, vaſta illa Indiæ orientalis Inſula, octavo circiter à linea Æquinoctali ſicut Braſilia gradu verſus Auſtrum, ab intermittentibus febribus habetur immunis, paucoſque morbos qui certam periodum cum intermiſſione obſervent, iſtic graſſari teſtatur J. Bontius, in Indiis quondam Archiater. Morbis autem epidemiis & peſtilentialibus, tum Synochis putridis, omnibuſque febribus continuis habitatores affliguntur. Idem de Angola, ejuſdem nobiſcum latitudinis gradu, à Medicinæ peritis Jeſuitis accepi. In Regno Peruano & Chilenſi provincia, regionibus à tergo Braſiliæ oppoſitis, ſed frigidioribus, promiſcue peſtem, omniumque febrium genera, ſicut in Europa reperiri, teſtatur ſenex Hiſpanus, quondam in Potoſi practicus feliciſſimus. Braſilia peſte, cæteriſque epidemiis & graſſantibus quidem plane deſtituitur: non æque tamen febribus, Synochis & putridis, cum impeditæ circulationes & ventilationes, facile obſtructiones & putrefactiones generent, accedente fructuum fugacium & horariorum nimis frequenti uſu, ac ambiente aëre calido & humido.

Febres continuæ ardentes ex bile eruginoſa ortæ & cum furore aliquando inſurgentes, omnium ſæpiſſime hic reperiuntur. Tertianis quoque cæteriſque intermittentibus veris & ſpuriis, hæc terra non caret, quæ cum exquiſitæ & ſimplices non raro ſint, vehementius citiuſque terminum ſolent abſolvere. Noſtrates imprimis Baccho indulgentes, præter jam enarratas

febres

febres, Quartanas non minus hic quam in Europa graves, licet minus durabiles incurrunt, quod ingentem aduſtionem recipiant humores æſtate exiſtente ſicca, ob conſumptionem tenuiſſimi, & permanſionem acerrimi & craſſiſſimi. Quibus, malo exiſtente in Hepate, non raro Hydrops ſuccedit.

Quotidianæ rariſſime hic dantur. Cum Galeno aſſerere audeo, me numquam quoque ullum juvenem aut virum, natura calidos utcunque & bilioſos, iis febribus corripi vidiſſe, excipe pueros voraces, hyeme imprimis exiſtente calida & valde humida. Ephemeros ob accenſionem ſpirituum, vel ex ſola mora ſub Sole verticali experimur, quas multa frigidæ irroratione per totum corpus facta, Empyrici reſtituunt in athletis, inſtinctu naturali, an Hippocratis & Galeni præceptis ducti, ignoro.

Hi plerique morbi prognoſi & curatione aliquando ab Europæis differunt, iiſque partim ex veterum inſtitutis, medemur. In quibuſdam vero, Regioni, victui, cæteriſque admodum ab Europæis diverſis, plurimum concedendum. Empyrici ſolertiores ſynochos illas atque ardentes continuas promiſcue ſanguinis creberrima miſſione, tribus modis, ſcilicet venarum arteriarumque ſectione & cutis ſcarificationibus inſtitutis; accedente frigidæ potu & ſola ptiſana ex radice *Mandioca* facta, paſſim emendant. Nonnulli vero potioni ex aqua fontana, cum ſacchari momento & recenti Limonum ſucco, ad ſyrupi conſiſtentiam coctæ, ſe fidunt, eamque calidam felici cum ſucceſſu reiterant, bis terve de die, atque hoc modo turgentem fervidum illum humorem, aciditate tanta fremant ſedantque: ſicut in olla bullienti ſæpe contingit.

Somnum per externa ſoporifera, eorundemque hauſtus conciliant, (ad amara quoque Ægyptios confugere teſtis eſt Proſper Alpinus) tum imprimis cum imtempeſtivæ, ut ſolent, comitantur vigiliæ, atque febris ſubjectum effœminatum, atque ab immoderata forte venere exhauſtum, corripuerit, ut Luſitanis pariter ac Indis frequentiſſime contigit. Tunc enim præſens jactura virium & ſpirituum humorumque accenſio, magnis illis remediis evacuantibus omiſſis, per narcotica, quæ coagulo ſint ruentibus humoribus, reſtitui poſtulat: quod totius corporis, præcipue capitis Unctione & diverſis medicamentis, accedente viſcida quadam & frigida materia è ramulis cardui littoris contuſa, inſtituitur.

Porro neglectus in horum morborum principiis, ut ubivis terrarum, ita in Indiis nocet; nec attendendum ad Avicennæ conſilium, qui non niſi poſt concoctiones, venas ſecandas præcipit, principio & ſtatu morbi jam elapſis. Febres enim acutæ quæ mentem dejiciunt, adeo invaleſcunt, ſi ipſo ſtatim initio magna illa enarrata remedia non adhibeantur, ut non raro lethum ſecum trahant. Ita ut poſt ſecundum diem non movendum, quod motum non eſt: imo in acutiſſimis turgente materia ſæpe poſt primum, ob exolutas vires ſilendum ſit. Cujus rei veritas ut experientia deprehenſa in Græciæ inſula Co, ſic indies magis magiſque in Braſilia elucet. Atque has quidem ſanguinis evacuationes inter advenas & noſtrates potiſſimum ſtrictius obſervandas cenſebis, quod Luſitanorum calori aſſueta corpora, amplis vaſis, raraq; pinguedine infarcta; Indorum ſolida, denſa & compacta tutius & diutius fatigare licet. A prima namque infantia ad ipſam uſque ſenectam (quæ utraque valida & firma ut pluriumm eſſe ſolet) cito, tuto & jucunde non tantum Chirurgi, ſed amici proſpero ſucceſſu, venas incidunt. In illo Rhaſin, in hoc Avicennam imitantes, invitis tot Galeni aliorumque veterum interdictis. Celſique illud dictum lib. II. reſpiciunt, non quæ ætas ſit, neque quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint. Ea tamen cautione, ut quantum Europæis & Borealibus iteratione & promtitudine præſtent; tantum illi quantitate, quæ unica vice fit, deficiant. Nec umquam Hippocratis præceptum aſſecutos memini, ut ad animi deliquium ſanguinem emiſerint, quod requiſita ad id uno ſubjecto raro concurrant. In vegeto & juvenili plethorico corpore vix ſeptem uncias excedunt, quater tamen, imo quinquies die eodem feliciter inciſionem repetunt. Raro hirudinibus, quæ ſunt Europæis minores, utuntur. Scarificationibus autem frequentiſſime; tum & cucurbitulis corneis rite applicatis, phlebotomiæ defectum in mulieribus pinguioribus, ſenibus debilioribus & infantibus molliori carne præditis optime ſupplent. Solus cornearum cucurbitularum apud Americanos uſus exiſtit; cæque ſunt taurorum parvæ perpolitæ, quibus altera extremitas latiſſima, altera anguſtiſſima parvo meatu conſtat, quas non igne vel aqua calenti, ſed oris ſuctione, retracta reſpiratione cuti validiſſime affigunt, reiterantque pro libitu. *Quam tutum & validum ſit remedium uſus cucurbitularum contra plurima mala externa & interna, præter Galenum & Celſum, Oribaſius de Herodoto refert lib.* VIII. *cap.* 17. Hoc idem faciunt ſanguinem volentes trahere eadem cute ſcarificata, hincque copioſior quam cucurbitulis educi ſolet. Verum dictæ illæ magnæ ſcarificationes abſque cucurbitulis, nec attrahendi modo nec ſanguinis quantitate cum Europæorum conveniunt, quippe eæ raro cultello, ſed ſpinis arborum vel dentibus piſcis Lamiæ profunde inſtituuntur, non in malleolis ad veterum normam, aliiſque externis membris ſicut Ægyptii

alii-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

aliique ſolent, ſed femoribus, ſuris, brachiis & omnibus toroſis corporis partibus, vulneraque aqua calida irrorant. Hac ratione libras ſanguinis educunt, non ſecus ac per venæſectionem, plurimumque adeo differunt à cucurbitulis ſcarificatis. (Oribaſius peſte laborans duas circiter ſanguinis libras per ſcarificationem eduxiſſe ſibi cum ſucceſſu, de ſeipſo teſtatur.) Ut vero doloribus ſcarificationis ſuccurrant, antequam opus aggrediantur, non ſolum frictionibus, ſed & manuum vapulationibus crebris, ſtuporem quaſi membris inferunt. Peracto opere ea ſuccis & balſamis leniunt anodynis. Atque hoc ſolo remedio plurimos affectus, febres imprimis non raro reſtituunt, internaſque partes nobiliores à noxiis liberant humoribus abſque multa virium jactura.

Cæterum religioſi ſunt in præſcribenda diæta. Sæpius & ſtatis interdiu horis cibant. Defectum enim quam exceſſum ægris plus ſemper in Indiis quam alibi nocuiſſe, multis experimentis ratum habent. In quo tamen medium cordatiores tenent, juxta illam Septalii animadverſionem XXI. *Errores in tenui victu prævalente indicatione virtutis, deteriores in defectu; prævalente morbo, deteriores in exceſſu; in pari indicatione, pares errores.*

Porro ſyrapi & condita refrigerantia & putredini reſiſtentia cordialia, hæc ab illis maxime probantur: Syrup. de *Murucuja* (quod eſt celebre illud granadillæ pomum) Limoniis, Aurantiis eorumque floribus. Fructus *Mangaba*, *Vbipitanga*, ficus indicæ fragantioris, *Iamacaru* dictæ: pulpa cucurbitæ majoris & pomi *Ianipaba:* tum pyrorum & prumorum punicorum; quæ *Araca* & *Guajaba* vulgo dicuntur, cocta aut ſaccharo condita, melones item aquaticæ ſive citrulli, Balancias vocant Luſitani. Tum & radices ſucculentæ arboris *Vmbi* (quæ dignitate & ſapore citrullis haud cedunt) mirifice ardorem & ſitim exſtinguunt, vireſque imprimis reſtituunt, quibus Empyrici, quod ægri in Indiis citius proſternuntur; atque ſerius quam qui frigidiores plagas incolunt, convaleſcunt, cautiſſime ſemper conſulunt. Quamobrem morbo licet profligato, inquiſitiſſimam vivendi rationem diutius inſtituunt, adeoque cavent, ne vel ſoli auræve ſubtiliſſimæ caput exponant convaleſcentes, ut ex noſtris Belgis quoſdam paulo rigidioris vitæ regiminis prævaricatores, ab ipſis prorſus derelictos viderim. Neque enim concedunt, ideo ſolummodo in frigidioribus terris, prædictiones fallaciores imperfectaſque fieri criſes, quod acris cibi potuſque craſſioris, tum humorum & morborum compoſitio major ſit: quin & ab ea, quæ ipſo morbi principio, uno perperam in progreſſu peraguntur.

Si purgandi ſit neceſſitas, uſque adeo abſtinent à medicamento fortiori, ut ultra Tamarindos vel Mechoacanæ recentis condituram vix aſcendant, atque ad clyſteres confugere malint. Qua in re tamen ſolertiores diſpenſant, ne nimis impingant in præcepta Hippocratis: quippe cum humores unde febres hæ naſcuntur non in alvo, ſed in venis contineantur, eligunt pharmacum, quod humores è venis educat: qualia ſunt purgantia proprie dicta. Cæterum conſtitutio & temperamentum Regionis, victuſque ratio ſimplicior, & alia, dirimunt facile litem, utrum majus haberi debeat remedium, venæ ſectio an purgatio: adde, quod tum criticæ hæmorrhagiæ, tum praxis quotidiana, circa morborum rationem & curationem, phlebotomiæ prærogativam ſatis demonſtret. Quæ cita, parva & crebra, eaque omni diei noctiſve hora inſtituitur. In quo nec Ægyptios plane imitantur qui à ſumto cibo; nec Europæos noſtros qui jejunis ſolis ſanguinem educere amant. Sed medium tenentes inter utroſque, mane ad concentrandas vires, lypothymiaſque evitandas offam conditruæ cum modico frigidæ potu præferendam exiſtimant.

Si vero & venæ ſectione & purgatione evacuatio inſtitui poſtulat, licet minus tutum illis habeatur, alvum laxare antequam vena fuerit inciſa; medicinæ tamen conſultiores, nimis lubricam compeſcere, aſtrictamque laxare ſolent. Arteriotomiam, urgentibus vigiliis, phrenitide, febribus, cruciatuum magnitudine, & membranarum capitis affectibus, præſertim inveteratis, admittunt: licet ob difficiliorem illius ſanguinis reſtrictionem, minores in ſummis artubus arterias, quam majores aperire malint.

Catharſis vero, tarde potius, benigne & raro fiat, oportet, tantumque in hiſce meridionalibus terris poſtponenda, quantum in ſeptentrionalibus præponi ſolet, ſive conſervandæ valetudini, ſeu morbo tollendo fiat: quod tamen ſtrictius inter primos incolas, quam advenas ſeptentrionales, victu craſſiori utentes, chroniciſque morbis obnoxios, obſervandum eſt. Ad hæc licet anni tempeſtates inter ſe differant parum, ſimileſque ſibi multum ſint ut alibi dictum eſt; ſub Solſtitio tamen hiberno, Sole Cancrum ingrediente, tum quoque ſub Cane & ante Canem, ob ventorum meridionalium tepores, & humiditates prædominantes, non æque facile inſtituuntur purgationes. Idem cogita de Solſtitio æſtivo, quod in Capricorno fit, ob nimias ſiccitates: ſi exhibendum ſit purgans, id fiat mane ante Solis ortum, ne purgationis tempus ultra meridionales fervores protrahatur. Æſtate potiſſimum per ſuperiora, quod ob bilis dominium, nimiumque fructuum uſum plurimi ſint faciles ad vomitum: Hyeme vero

per

per inferiora corpus purgare convenit, ob redundantiam pituitæ, imprimis ſi materia peccans infra ſeptum tranſverſum hæreat, ad Aphoriſm. 4. lib. IV. Cujus neceſſitas ſi tanta in Græcia, in Braſilia facile major erit. Quippe Picrocholoi-cato qui dicuntur, lævitatibus inteſtinorum infeſtari ſolent, purgationeſque per ſuperiora haud facile ferunt: Aphoriſmo 12. lib. IV. Si quis medicamento ex officinis deprompto potius, quam nativo medicari velit, conſideret quæ ſimplicia magis vel minus durabilia, ut ſunt potiſſimum, Rhabarbarum, Caſſia fiſtula, Turbith, Zalap, Scammonea: Electuaria fere omnia. Infuſiones, ſucci, fructus & flores omnes pectorales, Radices Pæoniæ, Angelicæ & Bryoniæ: Valeriana, Althea, Meon, ſemina frigida majora, hordeum: Farinæ, & ſi quæ ſunt alia, nobiliores partes deponentia ac terreſtres retinentia, modo nihil alienum acquirant: Gutta camboides vero, Aloë, folia Senæ, Colocynthis, aliaque hujus generis, imprimis extracta chymica & mineralia, vix ullum detrimentum è mora patiuntur. Hinc dubium pleriſque artem medendi profitentibus hæret, quare ſub Zonis torridis, medicamentorum ſimplicium doſis in officinis excreſcat: cum tamen à præceptoribus edocti ſint, tutius fortiora medicamenta, majorique quantitate in terris Septentrionalibus ſubminiſtrari, ubi lapſus virium & humorum accenſio minus extimeſcenda. Quamobrem diverſitatis hujus ratio altius petenda, quam è ſolis medicamentis, (nam licet recentiſſima & maxime vegeta, non tamen tam valide quam in patria, operantur) potiſſimum quidem, ex diſpoſitione individui; quod ſub hoc cœlo calor vitalis, ab extraneo ambiente attractus, minuſque concentratus, debilius agat in id, quod à circumferentia ad centrum trahere debet. Porro circa medicamenta præparandi modum ab Europæis differunt Americani, quod remedia ex diverſis compoſita admodum averſentur, ſed ſimpliciora in quovis medendi genere amplectantur, quod in plagis his fervidioribus corpora noſtra minus compoſita non uſque adeo irritent: adde quod nuda & genuina efficacia ſimplicium clarius eluceſcat: cujus indagationi ſtrennue incubuiſſe in hoc novo rerum incognitarum mundo non inferioris utilitatis fore exiſtimo. Præterea Luſitani æque ac Braſiliani Empirici ex aqua limpidiſſima, nativi medicamenti infuſum raro igni, ſed aëri & rori matutino verſus Orientem exponunt. Ex quo frigidiuſcula aura, ſubtiliſſimuſque ros vicem correctorii attenuatione ſua præbet, dum medicamenti acrioris & calidioris vires moderatur, terreſtreſque partes ab aëreis efficacia penetrabili ſeparat. Eximiæ utique eſt efficaciæ ros Braſiliæ: pecora namque & homines æſtuantes & à ſpiritibus diffuſis fractos roborat, ſi prata mane pauliſper obambularit. Adhæc urinam provocat, concentrandoque colorem nativum ingeminat ac appetitum perditum reſtituit. Quid denique boni aut mali, vel extus vel intus adhibitus præſtet, in morbis particularibus dictum eſt.

CAP. II.

De Oculorum vitiis.

MErito quidem Hippocrates lib. de Aëre, aquis & locis pag. 37. & alibi, oculorum mala, tum imprimis lippitudines duras ac vehementes meridionalem plagam habitantibus familiares eſſe, tum quoque iis quibus carnes calidæ & ſiccæ ſunt, teſtatum reliquit. Inter Braſiliæ enim calamitates haud poſtremum locum ſibi vendicant oculorum mala, milites præ cæteris & penuria preſſos ſparſim non gregatim infeſtant, vivendi facultate vitiata & corrupta. Ex his quidam Sole occidente, quod minus lucis præbeatur, quam opus eſt, maxime tempore plenilunii: nonnulli crepuſculo matutino videre deſinunt. Prior affectus νυκταλωπία, poſterior ἡμεραλωπία Græcis dictus. Quibus ſi pertinax capitis dolor accedat & non in tempore remediis ſuccurratur, periculum eſt ne prorſus tandem cœcutiant, vocaturque *Gutta Serena* ſive ἀμαύρωσις. Omni quidem anni tempore, ſed æſtate potiſſimum ſicca quæ aquarum exors ſit, invadit hic oculorum affectus advenas, juveneſque vix indigenas infeſtat, rariuſque nunc quam olim dominatur. (Quod noſtrates quondam adventitii, rerumque Americanarum ignari, multorum morborum origenes nondum habuere proſpectas, quas poſtea edocti evitarunt, eorumque principia declinare didicerunt.) Νυκταλωπία hæc ſponte ſua curatur, aliis ad ſeptimanas ſex imo menſes totidem protrahitur, nec rara recidiva eſt. Duplex eſt hoc malum. Externum quando nubeculæ tranſparentes vel non tranſparentes ſuperveniunt. Internum, cum nihil omnino exterius in oculo apparet. Poſterius hoc priori frequentius infeſtat, & difficilius curatur. Vtrumque externam & internam cauſam fomitem habet. Pauperes & milites gregarii, corruptis ſalitis ſæpe alimentis veſcuntur. Aquis præterea ſtagnantibus, vinoque ardenti rancido ac fœculento uti videas.

Addo,

Addo quod intolerabilis ille ſolis verticalis percuſſus, ad exuſtum & torridum littus (quod non raro plantas pedum viatoribus comburit) oculorum aciem vehementer obfuſcet & debilitet, uſque adeo, ut ſine ſpecillis viridibus vix tutum ſit, meridiano tempore, apertis oculis, littus legere. Sicut ſæpiſſime in caſtris Illuſtr. Comitis Naſſav. à me eſt obſervatum. Accedit, quod per vaſtiſſimas haſce regiones iter agentibus, ardentiſſimoque Solis fervore toſtis, ſpiritus viſorii prave afficiuntur & debilitantur; catarrhi quoque ad nervos uſque opticos ſolvuntur. Mox delaſſatis, poriſque apertis & tot ſæpe noctes ſub dio, luna plena, flante mediterraneo vento recubantibus, fluxiones figuntur.

Hæc incommoda oculorum atque caligines, incolarum ritu, hoc modo tolli & feliciſſime emendari ſolent. Primo interdictis illis alimentis, quæ diu in penuariis recondita, mucorem atque ſitum contraxerunt, in eorum locum recentia, ſicca, temperata ſubſtituunt, quod labefactato ventriculo ſpiritus viſorii craſſis & vaporoſis halitibus facile inficiantur, oculorumque acies non leviter obtundatur. Præterea tam æſtum diurnum, omneque objectum juſto fortius; quam frigus nocturnum, quod caput replet, arcent. Ad hæc fortiora cephalica purgantia aliquoties repetunt. (Hippocrat. lib. de viſu, commendat quæ caput purgent; tum cervicis ſcarificationes.) mox venas temporum & poſt aures aperiunt. Dein raſis capillis, aſpergines, cucuphas adhibent. Sternutatoria ex pulvere Arboris *Guabiraba* & Tabaci momento, cæteriſque ſimilibus exſiccantibus apprime præparant. Maſticatoria item ex radice *Iaborandi* non exiguum ſane uſum præſtant, modo tempeſtive exhibita, nullam noxam irritatione inferre queant. Cucurbitularum cornearum & hirudinum quoque uſus, imprimis in cervice, commendabilis eſt. Tum & ſetones in nucha, cantharides, fonticulos denique applicant, eodem modo quo in Europa, ad corroborandum viſum, ardoreſque oculorum extinguendos. Tum in hoc externo & interno; tum in aliis oculorum affectibus, aquam, quæ ex fragrante illo flore arboris *Guabiraba* & è canna Saccharifera recenti deſtillat, eximia virtute pollere, quotidie experimur. Tum & ros ſimplex, vel dilutus ceruſſa cum lacte mulieris; denique liquor ille præſtantiſſimus ex ſpinis arboris *Zamouna* expreſſus, oculiſque infuſus vel circum circa illitus, viſum acuunt & corroborant. Externo autem oculorum vitio cum nubecula ovum recens adhibent ad duritiem coctum, additis tribus Sacchari Candi & pulveris *Guabiraba* partibus, & una vitrioli albi. Ex quo liquor exprimitur, qui cubitum ituri oculis immittitur. Idem quoque præſtat aqua *Manipuera* ex radice *Mandihoca*, quæ licet pota venenoſa habeatur, oculis tamen prodeſt, viſumque emendat. Quod ſi malum ulterius renitatur, fumus contriti carbonis è cortice *Guabiraba* & Tabaci in oculos ægroti inſufflatur; mox maſticato allio jejuno ore, linguæque impoſitis *Guabiraba* cineribus, cilia ejus identidem lambuntur. Cantabro cuidam Medico familiare erat remedium hoc ſequens. Aqua ex albumine ovi deſtillata, cum viridis æris momento, qua rite præparata cum aqua florum Auraicorum & *Guabiraba* oculi lavantur. Præter remedia modo dicta, Luſitani æque ac barbari idiotæ ſincraſia quadam viſum reſtitui teſtantur jecore piſcis Lamiæ recenti vel ſale paulum condito, manducato. Quod ipſum I. Bontius de Indis Orientalibus memorat. Quo videtur quoque ſpectare illud Hippocrat. dictum lib. de Viſu. Unum aut duo fruſta prout maxima devorare poteſt de hepate bubulo cruda, in melle tincta exhibeto. Mihi utriuſque enarrati remedii felicem ſubinde effectum videre contigit. Hiſce potiſſimum remediis accedente tenui diæta curatio abſolvitur; modo æger à ſupra dictis cauſis externis & internis ſedulo, diuque etiam reſtitutus ſibi caveat, præſertim cum intus dominatur affectus, nervuſque opticus dudum receperit fluxiones. Atque hæc quidem mala plenilunio imprimis ingraveſcunt. Unde humores moti non parum augentur, quo tempore caputpurgia evitare præſtat.

CAP. III.

De Spaſmo.

CUm nihil fere moderatum ſub hoc cœlo corpora ſublunaria recipiant, æſtus & frigoris exceſſus haudquaquam evadunt. Unde fit, ut, ſicut acutiſſimi & calidiſſimi, ita frigidi imprimis & Chronici morbi in Indiis magis ſint familiares, quam in Europa. Et inter acutos quidem facile primus fatale hoc Spaſmi genus, Græcis τελσμὸς, Belgis De klem/ nuncupatum: quod frequens admodum eſt, dictoque citius hominem ſtantem ſedentemve invadit, & rigidum tanquam ſtatuam, nunc Tetani, nunc Opiſthotoni inſtar, tenet. (Hofman. Inſtitut. lib. 3. cap. 86.) Ita ut per intervalla miſerando ſpectaculo retrahatur & concidat. Vnde tandem fit, ut Spaſmo cynico interveniente, ablataque reſpirationis ac deglutiendi facultate (ob convulſum credo diaphragma & œſophagum) terrifica nonnumquam ſymptomata concurrant & murmur quoddam horridum, Epilepticorum ritu, exaudiatur. (Vide Hofman. ibidem

 paragr.

paragr. 6.) Nonnulli vero tardius, citraque tot dicta accidentia corripiuntur, dentibus primum ſtridentibus, ore mox diſtorto, adeoque occluſo, ut vi ac ſpeculo ferreo effringi debeant ſi deglutire & reſpirare velint. Tunc quidem non raro ſuffocationis periculum incurrunt, excrementaque retinere nequeunt. (Hippocr. in Coac. præn. 355. ex vulnere convulſio lethalis.) Infeſtantur potiſſimum hoc affectu vel leviſſime vulnerati, Piſcatores, Fabri, Piſtores: tum quod interdiu madidi ac ſudore æſtuantes, ab ingruente nocturno frigore ſibi non cavent; tum quod craſſiori & veteri alimento aſſueti advenæ obſtructiones lienis graviores incurrant, indeque quaſi novum & calamitoſum Scorbuti ſymptoma naſcatur. vide Sennert. de oris convulſ. & Scorbuto. Tempeſtive itaque remedium adhibeas oportet, ſin minus, ante quartam & viceſimam à convulſione horam, æger ſuccumbit.

Primum, ſi nullum grave contraindicans obſtet, confeſtim vena ſecanda eſt, mox acribus clyſteribus, aliquoties reiteratis inſiſtendum. Poſthæc ſudorifera ex Alexipharmacis, Theriaca, Diaſcordio, cornu Cervi & Rhinocerotis, bolo armena, exhibenda. Symptomata enim & curatio, malignum quid adeſſe teſtantur. Quod ſi protrahatur morbus, decocto Salſaparillæ, corticum Guajaci, Chinæ radicis, quæ *Iupicanga* dicitur, Saſſafras, *Iaborandi*, *Betiis*, *Nhambi*, aliarumque ejus generis, Braſilianorum indigenarum herbarum, ſuccurrendum eſt. Hæc ſubſequantur balnea humida & ſicca, ſuffimigia è ſtercore caballino, cum Benzoin, Anime & ſimilibus aromaticis. Poſt hæc ſudoribus alte abſterſis, frictiones validæ inſtituendæ ſunt. Mox inunctio colli, ſpinæ dorſi, partiumque vicinarum ſuccedat ex oleis & balſamis appropriatis, nativis & exoticis. Æger perpetuo probe cooperiatur, calideque maneat in conclavi, corpore perpetuo ſudore diffluente. Sæpe & modice cibetur, ob lapſum virium, bibatque calidum. Neque raro, ſi prædicta obſerventur, eluctatur; præcipue vero ſi febris, vel alvi quoque profluvium ſuperveniat, quod evacuet materiam convulſivam tranſlatam è nervis ad venas. (Hippocrat. lib. IV. Aphoriſm. 57. Spaſmo aut Tetano vexato, febris ſi acceſſerit, morbum ſolvit. Et Coac. 358. Convulſiones autem derepente ortas febris ſolvit ac alvi fluxus.) Sin minus; medicuſque ac ipſe æger vel aſtantes officii immemores, vel leviſſimo errore, antequam materia peccans victa fuerit, commiſſo, certo certius de vita erit actum. Quod aliquando accidiſſe memini, ore arcte clauſo, ac motu convulſivo immaniter per paroxiſmos, maximis cum doloribus & ejulatibus inſurgente.

CAP. IV.

De Stupore.

INter Chronicos Braſiliæ morbos familiares eſt ille qui nervos tentat, altumq; membrorum torporem inducit. Cujus naturam nemo, quod ſciam, tradidit. Eum Luſitani appellant *Air*, quod ab aëris inclementia & ex incompleta obſtructione, intemperieque frigida nervoſarum partium oriatur. Pituita enim lenta & glutinoſa, loco ſpirituum, nunc ex capite promanans, nunc è ſpinali medulla in artus deſtillans, facile nervos occupat ac tendines brachiorum vel pedum, vel utrorumque ſimul infeſtat: accidente refrigeratione non tantum nervorum, ſed & venarum, arteriarum, carnis, membranarum, cutis. Id ex diſſectione Æthiopis, ex hoc ſtupore dum viveret laborantis, animadverti, cujus nervi frigido & tenaci phlegmate obducti erant. Senſus non in totum tollitur, pulſu exiſtente exiguo & debili cum profundo & obtuſo dolore, pondereque membrorum ſummo, ac cum titillatione ſubinde ſenſus oberrat. Stupentis ſenſus ac titillationis vera ratio ex Rod. à Veiga Comm. in Galen. de locis affectis petenda. A paralyſi differt quod ſenſus hîc perpetuo adſit, licet ſæpe moleſtus. A Spaſmo, quod convulſivis motibus utcunque deſtituatur, quia artus prolongantur non contrahuntur, humore frigido & humido in juncturas ſe inſinuante, ita ut ligamenta & nervi inde laxentur. A Beribery diſtinguitur, quod hoc malo divexatis, membra minus contremiſcant. Aliquando præter medulloſam nervorum ſubſtantiam, membranoſam quoque cum paroxyſmis ac vehementibus doloribus tentari comperi, præcipue circa veſperam ac æſtus maris viciſſitudinem. Vſque adeo invaleſcit hoc malum, ubi ſubjectum ſuum acriter invaſerit, ut ob maximos atque continuos cruciatus, facultates omnes de tono dejiciat. Affectus potius ærumnoſus ob diuturnitatem, quam lethalis per ſe; niſi forte recidivus ex alio morbo, ut ſæpe fit, ſpirituumque defectus ſubſequatur: cum mentis & vocis interceptione, ad ſententiam Hippocratis lib. 1. de prædiction. Vocis interruptiones cum exſolutione, ſtupore detinente ſunt periculoſæ, tum & illa quæ ſubito in utramque partem tranſlabuntur. Multis enim ex obſtructione morbis ſupernaſcitur, iiſque præ cæteris ſuccedit, qui mali judicii ſunt & tranſlatione ſymptomatica formidabiles fiunt. Quibus ſi accedant gravitates & acuti capitis dolores, convulſiones fieri ſolent, quod ab Hippocrate in Coac. confirmatum eſt. Citius evadunt ægri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ægri, ſi febris acceſſerit, quæ non talis ſit, ut fruſtra ciendo tenaces humores oppreſſionem faciat, ſed acuta quæ nervos & muſculos iis liberare, intemperiemque frigidam exſiccando corrigere valeat. Illis vero qui calori diurno aut frigori nocturno caput & lumbos derepente exponunt, ſolutione vel compreſſione pituita in nervos parteſque vicinas labitur, ibique radices agit. Adeo ut paucos ante trium vel quatuor menſium decurſum, quoſdam ne anni quidem intervallo, reſtitutos viderim. Vix ſubito unquam, ſed plerumque ſenſim & per gradus invadit magnus hic morbus, ac magnis generoſiſque remediis propulſari poſtulat, quibus defectus virium non raro contradicit.

Primo, aër non niſi à ſolis radiis repurgatus admittatur, ventus imprimis nocturnus, aura frigidiuſcula excludatur, quod ſudantibus illis maxime obſit, poroſque permeando perſpirationi reſiſtat. Noctu aër ſuffimigiis tepefiat. Potus ſit vinum dilutum actu calidum vel decoctum ligni Saſſafras nativi. Cibus optimi, ſicci tamen eſto nutrimenti. Aves montanæ, perdices, phaſiani, palumbi, cæterique id genus alites toſti ægro exhibeantur. Si elixatis plus delectetur, rore marino, ſalvia, majorana & aromatibus condiantur. Allium quoque & cepas piperque Braſilienſe, ſi febris non impediat, atque evacuationes jam inſtitutæ fuerint, adjiciantur, quæ ex juſculis & lacte caprino pota, robur addidiſſe ac multum profuiſſe memini. Semel atque iterum purgationes inſtituantur ex Mechoacana indigena, quæ recens & ſucculenta ſit, additis correctoriis è ſpica Nardi & Zinzibere, tum & ſtimulis ex Hermodactilis & coloquintide, ſi extractum Mechoacanæ in pilulas redigatur.

Ad hæc balneis & ſuffimigiis ſiccis potius quam humidis, nempe ſtercore caballino, cum thure, myrrha cæteriſque ſimilibus accenſis ad decem plus minuſve dies utatur. Mox poſt hauſtum decoctum Sarſaparillæ & Saſſafras, altis frictionibus ſudores abſtergantur, collum, ſcapulæ, totaque dorſi ſpina ad focum fideliter inungantur: accedente adipe colubrorum indigenarum. Conſultum quoque validiſſimo per cucurbitas corneas ſuctu ſpiritus attrahere, tum imprimis per altas illas ſcarificationes partem affectam liberare. Tandem ſi neceſſitas urgeat, ferro candenti cutem pertundente, membra languida roboranda, lentaque nervorum pituita digerenda eſt. Convaleſcente ægro, noctes dieſque partes affectæ ita obtectæ ſint ut nullum aërem admittant, ſitque exercitium & membrorum perpetua agitatio. Mira equidem tum tuendæ ſanitatis ergo, tum in pleriſque morbis ſanandis, frictione & unctione frequenti incolæ præſtant; illam in frigidioribus & chronicis, hanc in acutioribus adhibentes. Quæ remedia lubentes advenæ imitantur, & ut par eſt ex legibus artis, hæc & plura medendi Empyricorum genera moderantur. Quæ paſſim docet Galen. lib. 2. De ſanitate tuenda, & Celſus cap. 14.

CAP. V.

De Catarrhis.

RARiſſimis deſtillationibus veterani incolæ, creberrimis advenæ juvenes & pueri moleſtantur: Eæque vel à frigore nocturno, aſtricto & compreſſo capite: vel à caloribus æſtivis, rarefactis carnibus exoriuntur. Quæ plurimas ſæpe noxas vel per ſe vel ratione partis in quam fluunt, ſecum trahunt. Æſtivo æque tempore, ac pluvioſo oriuntur, humoribus capitis in fauces, quandoque in aſperam arteriam parteſque diſſitas decidentibus. Quemadmodum enim omnia oppleti capitis ſymptomata in primigenia febre (teſte Hippocrate & Galeno) ſtatim enaſcuntur; ita non minus aliquando vis Solis ciere catarrhos animadvertitur, è cujus aſſiduitate maxima interdum mala oriri ſolent. Ut enim aquæ ſtillatitiæ, ſubtracto aut extincto igne, profluere ceſſant; ita catarrhus ab intenſiſſimo ſolis calore ſuſcitatus, non prius ſubſiſtit quam æſtus deferbuerit. Hyeme pluvioſa, perpetui redundantes humores viſcera laxiora pervadunt, unde tuſſes, tabes præcordiorum, maxime vero ventriculi oppletiones, alvique albi fluxus (qui cerebrales vulgo practicis dicti) cum phlegmate ex capite deſcendente, proficiſcuntur: (vide Aphoriſ. 30. lib. 7.) Quid quod ipſa nervorum paria, ſpinalemque medullam invadunt, quod humores oppido mobiles, partiumque facultates retentrices minus validæ in his terris deprehendantur. Maxime vero homines recens ſanitati reſtitutos, recidive quaſi iteratoque corripiunt Catarrhi, tanto impetu, ut omnes pene nervos occupent, unde cæcitates in opticis, ſtupores & tarditates in ſenſoriis & motoriis excitantur. Atque hæc omnia graviora oriri exiſtima, ſi ventus è continenti oriundus ante diluculum, apertis ſudariis caput & pectus frigido malignoque vapore ſubito feriat, tranſpirationemque cohibeat. Porro ſi quando contingat virilem vel ſenilem ætatem ſtillicidiis è capite, vagiſque artuum doloribus (*Curimentos* vocant Luſitani) tentari, diuturni & curatu difficiles eſſe ſolent: qui tempore plenilunii, tum accedente & retrocedente mari, præſertim poſt ſolis occaſum, exaſperantur

uſque adeo, ut miſſa cauſſa, ſolis ſæpe ſymptomatibus occurrendum ſit. Si utroque remedio ſcilicet purgationis & venæſectionis utendum ſit, præcedat venæſectio ex Galeni præceptis, ut moti humores divertantur, fluxuſque è cerebro excidentes ſiſtantur.

Catharticis validis & cephalicis ex alto pituitam provocare, haud conſultum habetur: ſufficit enim inſtituiſſe unam atque alteram purgationem ex ſequentibus catapotiis, quorum confectio hæc eſt. Recipe Aloës Socotrinæ, Guttæ Camboid. an. p. 3. Colocinth. Gummi ammoniaci med. part. aceto vini acerrimo diſſolvantur, ponantur in vaſe vitreo ad ſolem, dein fortiter expreſſa & percolata materia exponatur rurſus donec contraxerit conſiſtentiam maſſæ pilularum, cujus doſis eſt à ℈j ad ℈j S. His ſi forte ruens humor refragetur & gravius periculum minetur à ſtupefacientibus, quod eximii ſint in ſimili neceſſitate profectus, non ulterius abſtinendum; quæ tamen cautius exhibenda, quandiu ſigna repletionis in capite & pectore apparent: nam tunc eorum loco ſudorifera, frictiones & unctiones præferendæ: maxime vero, ubi acres deſtillationes viſcera & membra jam diu obſederint. Recipe ſummitates *Baſourhina*, radices *Aninga*, *ſalſa do Praya*, *Betiis*, *Lauro ſilveſtre*, *Iaborandi*, *malua d'Iſco*, *Caſca de Cepipira*, *folhas Iapoarandiba*, *Caaroba*, *Camara*, *Pimente ſilveſtre longo*. Ex quibus, accidentibus foliis myrti, & radicibus *d'Araca*, balnea & fomenta concinnentur, parteſque dolentes aliquoties laventur. Mox ſpiritu vini & thure liquefacto ſtupa aſpergantur. Frictiones denique ex oleo Ricini, Chamomeli & Myrti Americani, in quo thus aliquandiu maceratum ſit, inſtituantur.

Præ cæteris probatur linimentum, quod ex pinguedine vermium toſtorum *Iarumaî* & venenoſa rana *Cotorâ*, conficitur. Poſtea emplaſtrum ex præſtantiſſimo Elemni gummi *Icicaiba*, nuce myriſtica, caryophyllis, rore marino, adipe capræ & pice, partibus afflictis apponendum. Quod ab empyricis & rationalibus, proſpero eventu inſtituitur. Fonticulorum denique neceſſitas, ſi ullibi, his terris magna eſt, modo temporius, ob majorem humorum mobilitatem, inferioribus æque ac ſuperioribus membris applicentur, quia veluti per cloacas, noxiam ſentinam à nobilioribus partibus detinent, & æque exiſtenti morbo quam præſervationi valetudinis opem ferunt. Adde maſticatoria, quorum principem locum facile obtinet *Iaborandi* decantata illa radix, quæ mane modice manducata, grato acore pituitam attenuat & educit.

Cibus ſit temperatus ad caliditatem & ſiccitatem inclinans, totaliſque abſtinentia à Venere & Baccho. Ad hæc ab illa perpetua viciſſitudine noctis atque diei ſibi caveant, ne modo calor, modo frigus, quid moveant, quod incautis advenis familiare eſt. Probe tegantur ut ſudores fluant, ne ventus aut blandiens aura admiſſa fluxiones magis concitet. Poſtremo potus ſit defecatus ex aqua fontana, quemque *Vbiraeé* cortices, ſarſaparilla, ſaſſafras, liqueritia nativa ingrediantur.

Cæterum cum cerebrum pituitæ eſſe fontem Medicorum princeps affirmet; eam partim gignit, partim calefactum, ut ſæpenumero hîc fieri ſolet, è toto corpore trahit, ac rurſus in pulmonem demittit, eumque exulcerat aliquando, unde Tabes enaſcitur. Cujus peculiarem curandi modum operæ pretium duxi paucis addidiſſe. Cum enim non minus beato cælo soloque hic Americæ tractus gaudeat, quam Italia vel Græcia, Galenum imitari lubuit. Qui ut tabidos ad Inſulam Tabiam, ita ego ad ſaluberrimum montem mari vicinum, pulmone laborantes ablegare ſum ſolitus, ædibus verſus ortum apertis, Euroque expoſitis, occidentem vero ſpectantibus, obtectis. Quod quidem non menſibus pluviis ſed æſtivis fieri convenit, cum eximia illa aëris tenuitas & ſiccitas, pulmonis ulceribus amiciſſima, collapſis viſceribus vitalibus robur reſtituat. Adde, quod præter aquam Olindanam à Sole excoctam, illa quæ circa Paraybam ſcaturit, ſulphur nonnihil ſapiens, admodum conducat. Accedit avium ſilveſtrium infinita copia, lac caprinum, præ cæteris vero pulmenta, emulſiones, boleti, placentæ è *Tipioca* exſiccantes & conſolidantes, quæ reliquis alimentis medicamentoſis facile palmam præripiunt. His addantur aquæ florum Aurantiæ & *Guabiraba*. Loco conſervæ Roſar. illa quæ ex fragrantibus prunis & pyris granatenſibus fit præſtantiſſima, ſubſtitui ſolet. Navigatio quoque modica circa littus, cælo ac mari clementiori, animo & corpori proficua habetur ob motum aëriſque mutationem.

CAP. VI.

De Prolapſu Cartilaginis Mucronatæ.

MOrbus ille cujus Codronchius, Sennertus & alii videntur meminiſſe, *Spinela* Luſitanis appellatus, interque Endemios habitus, non infrequens in his terrarum oris graſſatur. Fernelius meminit VI. Patholog. cap. 3. ſingultus orti ex compreſſione ventriculi à coſtæ extremo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tremo. Hanc cartilaginem prolabi non poſſe, incurvari poſſe putat Hofman. Inſtitut.pag.494.

Corporis totius languorem inducit, cum dolore Stomachi, aliquando vomitu, ſumma reſpirationis difficultate, quæ ex refrigeratione pectoris muſculorum, tum imprimis mucronatæ cartilaginis prolapſu & compreſſione oritur. Hinc mox ex dejectione appetitus magna virium imbecillitas ſubſequitur, & atrophiam minatur. Chronicus eſt morbus & frigidus, non tamen lethalis, niſi ex accidente, paulatimque invadens & cognitu in principio difficilis.

Hiſpani Empyrici primarium, ut putant, ejus ſignum ex inſpectione & contactu colligunt brachii ægroti, in quo ſi valvularum inſtar nodos comperiant, morbum hunc adeſſe pronuntiant. Differt ab oppilatione cachectica, quod pectoris hoc vitio moleſtati, vultu tametſi dejecto & triſti, non tamen decolore & livido ſint, nec pondus aut duritiem utriuſque hypochondrii ſentiant: tum comedendi quoque concupiſcentia primæque concoctionis inſtrumentum langueat. Frequentius forte eſt, quod pauci ſententiam Celſi lib. 1. cap. 2. tam ſtricte obſervari debere exiſtimant, quando ait. Si quis interdiu ſe implevit, poſt cibum neque frigori neque æſtui neque labori ſe debet committere. Pectore enim denudato in publicum prodire, ventoque ſe exponere nocturno, pectoris, & ventriculi refrigerationem & coctionis defectum cauſatur. Curatio autem diſcutientibus, calefacientibus & corroborantibus, tam internis quam externis abſolvi poſtulat. Interna ſunt pilulæ ſtomachicæ, Tabellæ diarrhod. abbat. Aromat. & ſimilia. Vinum generoſum & guttæ aliquot Balſami de *Copaiba* diſſoluti: decocta Salſaparillæ Saſſafras, cum ſemine Anyſi & Cinnamomo, pugilloque pulveris *Nhambi*. Juſcula, quibus utitur æger, croco terreſtri *Vrucu*, pipere Braſilienſi ſativo & ſilveſtri, & ſi nihil impediat, cæpis atque allio condiantur.

Externa ſunt, cucurbitulæ ſiccæ multoties reiteratæ, mammarumque regioni appoſitæ. Mox ſtomachi & pectoris inunctiones ex oleo cortic. aurant. Artemiſiæ & Mentaſtri. Scutum dein ſtomachale, ex herbis corroborantibus; atque confortans tandem emplaſtrum ſuccedat, quod ſit compoſitum ex decantato illo gummi *Icicariba*, ovorum vitellis, croco, oleo de *Copaiba*, balſamoque *Cabureiba* admixtis.

Non indigna obſervatu topicorum & externorum omnium remediorum neceſſitas, quorum inſignes effectus videre eſt etiam ab ipſis morborum principiis: tum quod eorum efficacia cutis & carnis poros patentes altius penetret, quam in frigidioribus regionibus; tum quod viſcera nobiliora in morbis admodum languentia, cerotis & inunctionibus refocillentur, vireſque manifeſte acquirant. Cucurbitulas quoque corneas, quæ per exiguum foramen ſolo ſuctu ex alto trahant, omnes pariter incolæ feliciſſimo ſucceſſu applicant. Ego tot proſperis effectibus motus, uſum earum Chirurgis noſtris commendavi, iiſque in colicis cruciatibus & ventris fluxibus ſanguineis ſiſtendis, atque principio atrophiæ membrorum occurrendo, inſigni profectu ſum uſus.

CAP. VII.

De Obſtructionibus Viſcerum Naturalium.

VBique terrarum conſervatio humani corporis, inter alia in circulatione ſanguinis motuque perpetuo, intra Tropicos, ut plurimum, vehementiori conſiſtit. Qui ſi inordinatus, pertinaciores plerumque & graviores vel obſtructiones vel fluxus concitare ſolet. Hinc ſanguinei illi ac pernicioſi ventris fluxus non immerito Indiarum peſtes habentur, cum inter morbos acutos nulli tanta vehementia graſſentur, aut plures mortales è medio tollant. Qui quoniam ex variis cauſis, potiſſimum vero ex impedita tranſpiratione primam originem trahunt; de frequentioribus obſtructionibus, quæ viſceribus naturalibus ſuperveniunt, antequam ad fluxus deſcendo, pauca præmittam. Meſenterium, Hepar, Lien & Inteſtina, à ventriculo multa patiuntur mala, qui, licet per ſe tot morborum cauſa non ſit, tamen ab intemperantia vivendi toties tentatus, vegeto ſuo calore tandem deſtituitur, craſſiſque ac crudis humoribus obſitus, officio rite fungi non poteſt. Neque ventres hyeme in his terris calidiores, ſicut in Europa, teſtante Hippocrate, ſed frigidiores potius ſunt, multoque humore abundantes ob crebras pluvias aëremque calidum & humidum, ac proinde pauciori alimento indigent. Juvenes imprimis adventitii, maximopere hoc malo affliguntur (veteranos enim obſtructionibus rarius infeſtari videas) tam ob ſaburram cacochymicam, recens ex itinere ſecum delatam, quam, quæ ex immoderato fructuum crudorum, tum cibi potuſque fœculenti & compoſiti immodico uſu contrahitur. Enimvero promiſcua multitudo, nunc neceſſariis ad ſex res non naturales deſtituta, modo eiſdem abundans, facillime obſtructiones incurrit. (Optimis namque cibis & plurimi nutrimenti ſupra modum aſſumptis morbos frigidos gene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

generari, experientia & ratio docent.) Potu viliſſimo ex ſacchari fecibus & aqua confecto, tum vino ardenti ex eodem potu concinnato, avidiſſime ſe ingurgitant, unde ebrii ſæpe ac æſtuantes, totique ſudore diffluentes, humi procumbunt, ac malignis vaporibus ex terra aſcendentibus corpus denudatum per integras noctes exponunt. Quo fit ut venis arteriiſque corporis occluſis, circulatio & perſpiratio illico ceſſent, moxque tonus ventriculi & robur Hepatis enervetur. Unde debilitas ex intemperie frigida cum multo labore & laſſitudine ſpontanea, tantaque nauſea ſuccedit, ut ferendis cibis ac medicamentis impares ſæpe exiſtant. Cui ſi forte initio non ſuccurreris, conſuetam perſpirationi viam aperiendo, viſceraque exonerando & roborando, hæc mala ſubſequi videas, manente tamen priori calamitate. Chylus ſiquidem craſſus & crudus, quia minutiſſimas venas meſaraicas permeare haud poteſt, eas obſtruit, ſuumque jecinori, inteſtinis, cæteroque corpori, non quam debet, ſed quam poteſt, miniſtrat. Hinc functiones naturales impediuntur & ob diaphragmatis ſympathiam, ex pondere Hepatis & Lienis enatam, magna comitatur reſpirandi difficultas: accedunt ſudores præterea frigidi in partibus ſuperioribus, ſummus virium languor, durities atque murmur utriuſque hypochondrii, denique ex ventilationis defectu febris & ſitis. Quid, quod ſuffuſio flavæ bilis ex ſchirrhoſo & obſtructo Hepate prognata ſæpe ſe jungat, ſicut de India Orientali (cum qua America plurimos morbos habet communes) teſtatur Iacobus Bontius. Unde tandem hydrops non ſolum ſed Metaſtaſin Phrenitis ſubſequuta fuerit, manente dejectione pultacea & ſtercoroſa à bile in venas regurgitante. Si quem ſingulari naturæ beneficio à tot ærumnis vindicatum conſtet, hoc per liberale alvi profluvium & bilioſum nonnumquam contingit: hinc enim obſtructiones fluxu tolluntur. Sed antequam ad ipſam curationem, quæ medicamentorum adminiculo fit deſcendas, optimam & ſtrictam diœtam per multum temporis inſtituas. Illa potiſſimum ſit ex cibo recenti, partiumque tenuium ac digeſtu facillimo. Potus ſit aqua fontana. Venæſectio ſi non febris præſentis reſpectu, ſaltem futuræ confert. Quippe cauſa morbi remota licet frigida habeatur, complicata tamen & compoſita euſque calores concipit poſtmodum, ut Hepatis quoque inflammatio merito extimeſcenda ſit.

Blandioribus primo medicamentis incidentibus & aperientibus, ne vires dejiciantur, tormina cruditateſque ex alto provocentur, inſiſtendum, ut ſunt radices herbarum *Acaricoba*, *Iuripaba*, *Caapomonga*, *Pagimirioba*, *Papyrapecu*, *Alcacu*, *Aguape*, *Araca*, *Aguaxima* coctio. Limonum & *Ibiraee* unde apoſemata ex arte conficiunt, & aliquandiu reiterata feliciſſimos effectus edunt. Ventriculi debilitati, emplaſtris Stomachicis ex gummi *Icicariba* & melle ſilveſtri per os exhibito, ſuccurrunt incolæ, ſi febris abſit. Denique vinum in quo dragmæ duæ radicis Ipecuanha maceratæ fuerint: tum caſtaneam nucis *Anda* ægroto propinant; ut tuto materiam præparatam exturbent per alvum.

Quoniam vero de iis morborum cauſis, quæ ad Scorbutum quoque faciunt, egi, pauca hæc de ejus curatione addam. In Mari potius quam terra viventes affici hoc malo ſolent, qui miſſis ſalitis, rancidis & fæculentis cibo & potu, ſolo cibo potuque recentioribus, fructibuſque hortenſibus reſtituuntur. Inter hos primas tenent nuces quas *Cocos* appellant, quarum liquor, medullaque præterquam quod gulæ lenocinentur, ſaluti proſunt, ut & mala aurea, citrea, eorumque ſuccus recens, melones aquatici, Tamarindi, *Caraguata*, *Guajaba*, *Ananas*, *Murucuja*: Braſſica denique marina ut portulaca, recens conditæ aceto, admodum conducunt. Potus ſit ex aqua fontana, Limoniis & Saccharo. Accedat corporis motus quam poſſibile fuerit. Atque his ſolum remediis, miſſis cæteris pharmacis, paucorum dierum ſpacio, ſi non cum aliis compoſitus ſit gravioribus obſtructionum morbis, priſtinæ multi ſanitati redditi, corporis vigore vel cum Athletis certarunt.

CAP. VIII.

De Oppilatione Hepatis & Lienis.

SI quis morbus popularis, hæc ſane eſt oppilatio hepatis & lienis, quæ vere endemia cenſeri debet. Eſt nutritionis defectus cum anguſtia pectoris, difficilique reſpiratione & laſſitudine ſpontanea, ex obſtructione hepatis & lienis orta. Nullus Chronicorum in noſocomiis noſtris hoc ipſo frequentior, præcipue menſibus pluviis exiſtit. Clam gliſcit & paulatim invadit morbus, unde difficulter ſæpe ejus principium cognoveris. Per ſe haud ſemper lethalis, niſi forte mora diuturniore hydropem comitem aut ſubſequentem habeat, aut alium quenquam recidivum ſecum trahat. Sicut morbi articulares, niſi opulentius viventes invadere amant, & ob id ægritudines divitum appellari ſolent; ita hæc oppilatio, duntaxat penuria preſſos moleſtat. Milites macie confectos ac mortua veluti corpora paſſim incedere videas vultu decolore & palleſcente, adeoque in cibum inhiantes, ut perpetua fame eos laborare credas.

Stoma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Stomachus ſiquidem debilis, juſtoque calore deſtitutus, facilius congerit, quam felicius digerit, ſuoque munere rite fungi non poteſt, unde prima concoctio impedita, & chylus obſtructo meſenterio male diſtributus, à ſecunda in Hepate corrigi non poteſt. Hujus mali cauſa antecedens potiſſimum eſt frigus intromiſſum, perſpirationem & circulationem ſiſtens, compoſita tamen & mixta, ex diſſoluta & inordinata vivendi ratione. (Aërem pro reſpiratione attractum, non minus ventriculum & inteſtina ingredi, quam pulmonem, eleganter probat Hofmannus Inſtitut. pag. 354.) Fit enim plerumque ut viatores longo tempore exhauſti, intenſiſſimoque Solis ardore æſtuantes, ad gelidiſſimos lacus vicinos properent, ſitimque immodicis hauſtibus extinguant. Quibus ubi ad Oinopolium ventum eſt, potum *Garapa*, ejuſque extractum ſive Spiritum affluentius ſuperbibunt, frigida calidiſſimis miſcentes. Quo fit, ut viſceribus, & præcipue naturalium nobiliſſimis, non exiguum damnum inferatur. Præter hæc, putreſcente, mucida ac difficilioris concoctionis carne, larido item olente & rancido veſcuntur. Pectore & ventriculi regione ſemper detecta, ſudoribuſque diffluentes humi procumbunt, pluviis inſuper ventoque nocturno ſe exponunt. Quid mirum ſi Lien officii immemor, Jecoriſque tonus lædatur, & viſcerum horum valde obſtructorum pondus, diaphragma deorſum trahat, & liberum illius motum impediat. Unde mox reſpirationis ac ventilationis defectus exiſtit. Ex quo imperitiores præcipuam & primam mali cauſam pectori attribuerunt; quamvis non injuria videri poſſit pectus per conſenſum laborare, ex nimis interrupta & difficili reſpiratione. Videatur locus notatu dignus apud Galenum 4. de locis affectis, cap. ult.

Signa manifeſta exiſtentis morbi ſunt ex colore livido, laſſitudine ſpontanea, reſpirationis defectu, viſu vitiato, temporum ac colli arteriis plus ſolito pulſantibus, duritie atque ardore utriuſque hypochondrii & febre lenta. Quamobrem cum ſimilem in Scorbuto habitum cachecticum, iiſdemque remediis aperientibus & aquas ducentibus curari à ſelectioribus practicis teſtatum ſit, quis dubitet hunc affectum non ſimul componi ex Scorbuti quadam ſpecie.

Quod ſi radices egerit malum, annum circiter, aliquando etiam longius durat, rariſſime ſenes & viros affici videas. Infantibus, pueriſque advenis imprimis, æque infeſtus morbus ac juvenibus; illis pene nullam eluctandi ſpem, his meliorem plerumque relinquit.

Ego, ſicut in multis aliis, ita in curatione hujus morbi, conſuetudini & diſciplinæ hujus regionis me ſubjicere ſum coactus, eo tamen moderamine, ut diætam pharmacia exciperet. Nam quicquid etiam viri peritiſſimi obluctentur nihil tamen antiſcorbutica & hydragoga aut certe parum proficiunt; quod ſemina mali relicta poſtea morbum denuo repullulare faciant. Cæterum incolæ antequam ad medicamenta generalia deſcendant, per octo aut decem, plus minus, dies certam vivendi formulam ægris præſcribunt. Primum in locum editum ac ſalubriorem concedere jubent, ædibus qua meridiem & occaſum ſpectant probe obtectis, & vento auſtro excluſo. Ad hæc variis lacticiniis & acetariis ex portulaca imprimis & Soldanella recentibus, carnibus denique bene toſtis veſci, aquam fontanam, cum vel ſine ſemine aniſi & liquiritia bibere: ante omnia motum corporis, quod ob difficiliorem reſpirationem ſedentarii ſint, injungunt. Atque hæc omnia toto curationis tempore, quæ circiter duorum menſium intervallo abſolvitur, rite obſervari imperant. Diæta hoc modo inſtituta, robuſtioribus Antimonium vel vitriolum Romanum porrigunt, quibus ſuccedunt ſyrupi præparantes ad incidendam materiam: Dein ipſius mali quaſi antidotum per triginta, quandoque quadraginta dierum ſpatium concedunt, prout morbi pertinacia & ægrotantis natura expoſcunt. Recipe pulveris *Vbiraeé* (cujus quoque pugillus ſimpliciter tempore intermedio ex ovo ſorbili prodeſt) Scoriæ ferri an. ℥ij. milii Indici ℥j. fabarum minorum. cucurbit. amar. ſem. & pulpæ, foliorum Senæ an. ℥j. Quæ minutiſſime trita inque pulverem redacta exhibentur ad ʒj. mane & veſperi tantumdem pulmenti è *Tipioca* cum Saccharo. Quibus vires paulatim reſtituuntur: exercitatione corpus fatigant, quotieſcunque doſin præfati pulveris aſſumſerunt. Mox reſtituti à curſu, epulis facilis concoctionis & digeſtionis iiſque recentioribus ſe refocillant.

Præterquam enim quod in omni medicamento quod chalibem vel ferri Scoriam recipit, motus corporis conducere videtur; ita in hoc morbo præcipue, in quo facultates naturales ſunt oppreſſæ neceſſario requiritur; ſecus enim ſtatim à pulte ſumta, de onere conqueruntur ægri; tum quod utræque illæ excretiones urinæ & ſudorum minus ſuſcitentur.

Chalybis uſus laudatur à Celſo lib. 4. cap. 9. Etiam ſine ſubſequente motu vel exercitio chalybs in lecto cum fructu ab ægris aſſumitur. P. Zacchia de mal. hypochond. pag. 138. Sudorem non convenire in uſu chalybis, idem eodem loco dicit. Tum quoque lienem per lotium vix expurgari poſſe probat Septal. 7. caut. 62.

Mirum forte videbitur nonnullis, remedio hoc populari, tam gravem morbum radicitus exſtirpari poſſe; verum cum baſis medicamenti ſit chalybs & cortex *Vbiraeé* (quod eſt Guajacum Braſil.) quorum hic primo gradu calidus, tenuium partium, dulcis & aroma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

aromatici ſaporis, meſaraicas & Hepatis vias valide aperit; ille lentos in omni viſcerum oppilatione humores incidens, maximeque lieni ſit deſtinatus, merito cæteris remediis præfertur.

His itaque omnibus accurate obſervatis, plurimi convaluerunt. Niſi forte aliquid pejus in hepate deliteſcat; quod accedentibus reliquiis & debilitate viſcerum, recidivam faciat. Quapropter conſultum, ut ſublato mali fomite, morboque expugnato, ex artis præſcripto, decoctum Salſaparillæ ſimplex, dictis religioſe obſervatis, aliquandiu exhibere. Tametſi autem hæc medicamenta eorumque utendi methodus, neque ratione, neque experientia, deſtituta ſint, & minime improbanda; neceſſe tamen ad rationis amuſſim ea exigere, & nonnihil inventis addere vel tollere.

CAP. IX.
De Hydrope.

CUm multi ſint morbi in hac alterius mundi regione nobis cum Europæis communes; tum illum inter præcipuos referendum cenſeo, qui aqua intercus Latinis dicitur, pueros atque juvenes præcipue infeſtans. Illis enim præter requiſitas cæteras cauſas ex imperita educatione & tranſpiratione impedita, his ex vivendi intemperantia aquiſque paluſtribus viſcus illud ſanguificationis affligitur, omniſque generis hydrops vel primario inducitur, vel ſecundario aliis morbis ut Cachexiæ, Ictero, Dyſenteriis, quartanis febribuſque acutioribus male expurgatis, ut Hipp. paſſim comprobat l. de affect. ſuccedit. Quemadmodum omnes hepatis affectus in hiſce Indiis facilius & crebrius quam in frigidioribus plagis generantur; ita non adeo infeliciter curationem recipiunt ii qui non ex alio morbo nati fuerint. Facilius tamen quam cæteri morbi recidivam patiuntur. Hinc cautio in prognoſi & curatione exſurgit, ſecundum illud Hipp. effatum. Hydrops qui Medicinæ revenit ac concedit, deſperatus eſt: præcipue ſi ex alio morbo, quod ſæpe fit, profectus fuerit. Quippe ſi atonia hepatis vel ſcirrhus; extinctio item caloris ſanguifici; omnes denique alienatæ vel impeditæ virtutis ſanguificæ cauſæ inferantur, multum quidem ſolatii ea remedia ægrotanti tunc concilíant, quibus abdomen & pedes detumeſcunt: ſed ceſſante Medicina (à qua neceſſitas fractæque vires ſæpe nos recedere cogit) morbus à perennitate cauſæ morbificæ renaſcitur. In cadaverum diſſectione, eorum imprimis, qui ex Anaſarca aut Aſcite laborantes interierant, quandoque hepar colore albicante rimiſque fatiſcens reperi, ne veſtigio quidem ſanguinis in jecinore apparente. Vnde facile liquet quæ ſpes aut deſperatio Hydropis à viſceribus captanda ſit. Contrarium vero non raro contingit, ſi à vitio ſolum tertiæ concoctionis, ut vocant, malum hoc cadat in ſubjectum viſceribus bene moratis, cæteriſque requiſitis præditum. Tunc enim & per cognitas & latentes vias inſperatæ excretiones, naturæ & medicamentorum virtute, tum per alvum utramque feliciſſime; tum per circumferentiam corporis tranſpiratione recuperata, egeruntur. Quas vias ſi ſponte ſua natura inveniat, non exiguum ſolatium ægrotanti præſtat, quod verba Hipp. in Coac. de Hydrope c. XIX. ſentent. VIII. comprobant. *Iam vero ineunte Hydrope, ſi aquoſa incidat diarrhæa cruditatis expers, morbum exolvit, ſecus enim æger non morbus tollitur.* Si vero medicamentorum adminiculo opus, conſultius hoc per Perirrhæam quam diarrhæam inſtituitur, quoniam difficile eſt excretionem illam hydropici humoris ſuſceptam, ex lege critica per inteſtina perficere. Tum alvus, arte liberaliter mota, merito in his terris ſuſpicionis plena habetur, quod in diuturnum imo lethiferum profluvium non raro degeneret. Perirrhæa tutius aquæ educuntur; tum ob majorem in viſceribus pororum apertionem; tum ob eximiorum medicamentorum indigenarum affluentiam, quæ aperiendo, ſiccando, aſtringendo mirabiliter ſane curationem abſolvunt. Quippe non raro contigit, ut ſola radice diuretica *Caapeba* (in tractatu ſimplicium dicta) ex vino vel aqua *Paraybenſi*, ſubinde ægro propinata, latex intercus fuerit eductus. Idem præſtant mirabilis Peruanæ, *Caapomonga*, arboris ſiliquoſæ radices, *Iaborandi*, Saſſafr. Carcaparill. liquiritia, radix quæ Chinæ dicitur, cortic. Limoniorum & prunorum Granatenſium, radices *Iuripeba* & *Malva d'Iſco*. Quibus nativis utpote recentibus & validiſſimis, plus confidentiæ quam exoticis effatis & ad nauſeam ſæpe reſervatis, ponendum eſt. Theriacam & alia ejuſmodi quæ per ſudores diſſolvendi & educendi vi polleant exhibuiſſe oppido conducit, quod per laxiores abdominis & viſcerum poros multi evaſerint. Alvus purgatur commode ſequentibus remediis. Pillulis Panchymagogis noſtris ſupra deſcriptis, quæ Guttam Camboid. recipiunt; Nec non Mechoacannæ recentis vel fœcula, vel extracto. Quorum ulteriorem præparandi modum videre eſt in capite de fluxu albo. Balnea conducunt quæ parantur ex foliis piperis longi, mali aureæ, *betel*, artemiſiæ, ſalviæ ſilveſtris, *Camara*, *Baſourinha*, lauri ſilveſtris, altheæ, *Albahaca Iaboarandiba*, aliiſque quam plurimis. His adſtringentia addi ſolent, ut ſunt *Cebipira*, radices prunorum & pirorum Granatenſium, fructus & folia Myrti Silveſtris. Inunctiones ex prædictarum herbarum oleis inſtituuntur. Accedit oleum ex corticibus Auriac. & citri deſtillatum,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

quod valide corroborat & digerit. Non exiguo quoque commodo Paracentheſis, quæ maxime aſciti convenit, ſolet inſtitui, idque ex lege Magni Præceptoris, ubi ſexto Epidemion. *Aquoſos cito ſecari debere præcepit*. Quod per epicraſin ter quaterve uno die, mediantibus perpetuis corroborantibus fit. Sin minus ob virium jacturam licuerit, pedibus ex leucophlegmatia tumentibus, cutis ſupra & infra talos, inciditur. Plurimi ex ulcere in crure, modo ſponte orto, modo igne comparato, curantur. Multis denique profuit navigatio, vomituſque à motu aliquoties concitatus mediante Pharmacia & diæta convenienti, aëriſque ſiccitate perpetua.

Cæterum Herniæ in ventrem inferiorem, præcipue vero in ſcrotum deſcendentes, non raro hydropum comites ſunt. In expeditionibus per aſpera & confragoſa loca milites armati iter facientes hanc calamitatem incurrunt: mox fracti, toto corpore æſtuantes, frigidiſſimam reſtinguendo calori affluentius hauriunt; ſomnumque ſub aperto Jove capiunt. Hinc flatus generantur, & peritonæum nonnunquam rumpitur. Ratio vero curandi eadem quæ in Europa, fomentis ſcilicet, inunctionibus, ligaturis & ſimilibus.

CAP. X.

De Lumbricis.

QUam nihil in hac orbis parte à putredine ſit liberum, omnes quicunque ſub zona torrida vivunt experiuntur. Unde inſectorum, maxime vero vermium tantus proventus, ut nihil propemodum intactum ab iis relinquatur. Eodem modo cum Microcoſmo ſe res habet, quem non minus quam totum hoc univerſum, varii generis vermes identidem exagitant, tamque viſcera intus puerorum juxta ac adultorum; quam forinſecus vulnera atque ulcera, à calido & humido ambiente, miris modis infeſtant. Hi Chirurgorum opera, quæque vulnera & ulcera mundificant, profliguntur; illorum curationem perficere, totque latentes hoſtes exturbare, leve non eſt, propter ingentem conceptæ putredinis propagationem. Hinc febres graves, ne dicam & malignæ, generantur, aliaque ſymptomata ſubſequuntur. Quippe non ſolum ano & inteſtinis familiares, ſed ſæpiſſime quoque ventriculo reliquiſque viſceribus nobilioribus vermiculos innaſci, anatome notum fecit. Qui cardialgias, deliquia animi, palpitationes cordis, ſtridores dentium & horrores nocturnos inferunt. Unde fit, ut his malis divexati, cachexia, multoque halitus fœtore, viva veluti cadavera, vix mortem effugiant, niſi forte ipſo morbi initio ſummum ſtudium adhibeatur. Theriacam, non infimæ alias dignitatis, ob febrium incendia raro admittendam cenſent. Barbarorum æque ac noſtrorum uſitatiſſima ac præcipua remedia ſunt, recentes fructus acidiſſimi *Caraguata* dicti, eorumque liquor deſtillatus, idque exigua quantitate cochleari exhibitus, ob vehementiam addito mellis ſilveſtris parum. Semina citriorum recentia ex ſyrupo Arantiorum & *Caraguata* propinata, multum proſunt. Olei arantiorum & Citriorum præſtantiſſimi, quod ex corticibus per alembicum elicitur, guttulæ quinque vel ſex cum dictis ſyrupis, vermibus tum cardialgiis ventriſque torminibus contrariantur. Laridum recens ano immiſſum, ſi lumbrici in inteſtinis inferioribus hæreant, eos expellit. Dein nuces arboris *Angelyn* ab indocta multitudine valde commendantur; ſed quia nullam in hoc efficaciſſimo remedio obſervant Doſin, ſimul cum lumbricis, vitam infantibus aliquando intuliſſe memini. Licet autem à quibuſdam animantibus inſtinctu naturali, ut & ab Indis & ruſticis validioribus atque ætate provectioribus tuto contra hæc & alia mala expetatur, tamen, ob indomitam vim, juſta doſis ac præparatio requiritur. Nimium ſiquidem eſt, quod dimidium ſcrupuli excedit, ſicut poſtea ſuo loco latius demonſtrabitur.

CAP. XI.

De Ventris Fluxibus.

VIſcera naturalia oppilata, ac toties ab humoribus qualitate & quantitate peccantibus laceſſita, tandem exonerationem moliuntur. Et tunc quidem fluxus varii pro diverſitate partis affectæ & naturæ humoris vel bene vel male morati, ſequuntur. Unde vel critici, vel ſymptomatici judicantur. Sicut enim ex intemperie ventriculi & chylificationis fruſtratione, ſymptoma Lienteriæ ſe prodit, & fluxum hepaticum læſa hepatis ſubſtantia & venarum meſaraicarum regurgitatio profert: Præterea ſicut inteſtinorum eorumque venarum eroſio, ulcus dyſentericum; ita ani exeſio inflammationem & putredinem cauſatur, quæ *Bicho* Luſitanis dicitur. Adhæc orgaſmus acerrimi humoris ex aëre & fructibus calidis & humidis prognatus, choleram, multaſque colicas paſſiones producit. Horum omnium proximæ & immediatæ cauſæ impeditæ tranſpirationes vel obſtructiones non ſunt; ſed illorum potiſſimum

mum qui diarrheæ & fluxus alvi vocantur. Sin vero ab aliqua acrimonia & malignitate materiæ morbificæ, vel atonia partium incidant tales, qui Dyſenteriæ fluxus hepatici vel choleræ appellantur, ſymptomatici habentur. Diarrhæa ſimplex, vel ex arte, vel per ſe facile & cito curationem recipit; ſin minus in pejores fluxus degenerat, qui vel ex calida aut frigida materia oriuntur. Qui ex frigida, album alvi profluvium ſine febre vocatur (excipitur autem ille quem Galenus ab adipe, à calore igneo liquefacto proficiſci teſtatur) quando nimirum crudus ac pituitoſus humor perpetuo delabitur, ægrumque abſque magno dolore paulatim langueſcere facit. Atque hic quidem fluxus omnem promiſcue ætatem, hyberno potius quam æſtivo tempore infeſtans, ad multos ſæpe menſes, nonnunquam ad annum durat. Tametſi ſine febre minuſque lethalis ſit quam cæteri, non inter eos cenſeri debet tamen, quem Hipp. in prædict. l.2. ſ.2. mitem & parum durabilem eſſe tradit; quod hic diuturnus & difficilis admodum deprehendatur. Cum hujus mali cauſa ſit cruditas pituitoſa redundans ex frigore, quæ transſpirationem & circulationem impediat, collecta, & à præcipuis corporis partibus ad inteſtina abeat, curatio primo à clyſteribus abſtergentibus qui mel ſilveſtre imprimis recipiant, incipit. Interim corpus ſyrupis aliquandiu ſimilibus præparatur. Dehinc ad radicem *Ipecacuanha*, tanquam ad ſacram anchoram, confugiendum, qua nullum præſtantius aut tutius, cum in hoc, tum in pleriſque aliis, cum vel ſine ſanguine, fluxibus compeſcendis, natura excogitavit remedium. Quippe præterquam quod tuto & efficaciter tenaciſſimos quoſque humores per ipſam alvum, ſæpiſſime autem per vomitum ejiciat, & à parte affecta derivet, vim quoque aſtrictivam poſt ſe relinquit. Non enim vomitus ſolum ſponte ſuperveniens, ut ait Hipp. Aph.15.l.6. ſed & arte concitatus, ſub eodem Aphoriſmo comprehendi poteſt. Illud vero hoc modo perficitur. Dragmæ duæ Radicis *Ipecacuanha* in ℥iiij. vini coctæ, vel per noctem maceratæ, cujus infuſum cum vel ſine oxymelis ℥j. exhibetur. Poſtridie ſemel atque iterum pro re nata, ſecunda imo tertia ejus decoctio repetenda, tam quod ægri debiliores eam facilius ferant; quam quod aſtrictoria ejus vis tunc magis efficax appareat. Cæterum nuces *Pinhonis* (quibus vulgus imperitum non tam utitur quam abutitur) cum vehementer per vomitum & ſeceſſum exturbent, ſi ex præſcripto exhibeantur, haud exiguum commodum præſtant. Rec. nucleos ſex vel ſeptem, ablata tam interiori quam exteriori tunica, conterantur amygdalarum inſtar pro emulſione, addito momento ſacchari & fol. ſen. ʒj. vel ʒjß. ſeminis aniſi ʒß. in pulverem trita miſceantur, fiatque paſtillus in furno ſiccandus. Sic nuces *Anda*, quarum nuclei quam *Pinhonis* prædicti benigniores, etiam citra ullam præparationem, dignitate illis non cedunt. Dein ol. de *Copaiba* guttæ aliquot ſaccharo diſſolutæ, ori ex ovo ſorbili, ſive ano per clyſterem immittuntur. Quod ſi remedia hæc enarrata, forte non in promptu ſint, eorum locum Mechaocanna, vel pugillus ſeminis Ricini Americani in ſpiritu vini macerati, ſupplere ſolent: hoc ſiquidem humorem vitioſum ac redundantem fortius, illud vero benignius educit Non parum quoque hoc morbo exhauſtos reficit decoctum ligni *Cacaranda* & Saſſafras indigenum. Accedant juſcula gallinarum addito aromatum momento ovi vitello, atque imprimis croco terreſtri *Vrucu*, quæ virtute & tinctura ipſo croco non multum inferior. Emplaſtrum ſuper ventriculo imponatur ex Gummi *Icicariba*, balſamo de *Cabureiba* & *Copaiba*, vel ex paſta de *Tipioca*, vino de *Acaju*, pulpa item prunorum *Araca*, flore *Nhambu*, atque duobus ovorum vitellis. Adhæc toſta potius quam liquida aut frixa alimenta eligat, idque ſæpe & parum. Vinum non aquam bibat, eique indantur guttulæ aliquot olei cort. arant. præcipue tum, cum ventris cruciatus inſtar colici, adſit, quem veſparum quoque (*Mariposas* Hiſpanis dictæ) nidus ex vino potus, vel ventri impoſitus, clementer mitigat. Idem feliciter præſtant Herbæ caſtæ ſive mimoſæ in aceto frixæ. Quando neceſſitas ad magis corroborantia & aſtringentia compellit, his & ſimilibus remediis quæ Braſilia profert, utendum. Summitates fructuum *Bacoba* aut *Banana* ſemitoſta aut arefacta ex vino rubello vel vino de *Acaju* & immaturo pomo *Ianipaba*. Teſtæ teſtudinis fluviatilis toſtæ raſuram & corallum album maritimum omnes incolæ in hoc fluxus genere, feliciſſime propinant, quod valide aſtringant. Idem præſtant jecur capreæ toſtum & ex arte exhibitum; & caſtanea celeberrimæ arboris Cedri Braſilienſis.

CAP. XII.

De Teneſmo.

CUm omnia quæ ad ventris fluxiones ſpectant, in examen revocaſſe neceſſum ſit, operæpretium duxi, ea quæ circa Teneſmum, (Belgis Druyploop / Luſitanis *Pucho* dictum) cottidie obſervavi paucis exhibere. Morbus nimium familiaris & merito formidabilis prægnantibus, quod fœtum ſimul cum fœta, miſere extinguat. Irritus enim hic conatus ex quovis acri & ulcerifero humore ano adhæreſcente natus, nullam aliquando niſi ſpumæ vel ſanguinis

guinis aut puris excretionem comitem habet. Quibus, ſi oculi nictantes, inquietudines, cruciatus, longæ vigiliæ atque excubiæ nocturnæ accedant, tunc ægre finiri ſolet. Ex aliis ſubinde dyſentericis fluxionibus naſcitur hic morbus, quibus medetur ac finem imponit, curatuque tunc eſt facilior, cum tantum ſint reliquiæ & ſanies ulceris inteſtini recti. Interdum vero ex pituita acida & bile mordaci dyſenteriam præcedit, quæ ſi non exturbatur, eam lethalem efficit. Quemadmodum enim omnes morbos ſucceſſione deteriores fieri conſtat, ita præcipue hunc ob jacturam virium & dolores prægreſſos. Quando ex ſuperioribus ventris partibus, videlicet ventriculo, meſenterio & inteſtinis materia cruda delabitur; præter inceſſiones & reliqua quæ anum reſpiciunt, cauſa fovens revulſione per vomitum tollenda, idque præſtantiſſimo atque uſitatiſſimo illo remedio, Radice *Ipepacuanha*. Eadem porro curandi ratio fere circa externa, quæ eſt in ſanguinis profluvio, eaque humidis ſuffimentis & fomentis aſtringentibus tepefactis ex foliis arboris *Aroeira*, *Araca*, *Acaja* & ſimilibus, ſi protuberet aut hiet anus; ſi ulcus adſit, ſacculis ex lacte, ſemine pſyllii & cydoniorum, *Baſoure* ſummitatibus ac malvæ floribus, inſtituitur. His enim, tum intus tum foris continue admotis, multum promovetur; quippe quod ſymptoma ipſumque adeo morbum tollunt. Allium quoque aſſatum, ſi cauſa plane frigida, cum ſucceſſu admovetur. Somnus qua fieri poteſt, concilietur; primo pultibus ex *Carima* & hordeo. Quibus ſi minus provocetur, lenocinia ſoporifera addenda ſunt, interponendo clyſteres abſtergentes. A motu quoque & exercitio corporis abſtinendum, quo ſpectat illud Celſi conſilium haudquaquam negligendum: *Cum in omni fluore ventris, tum in hoc præcipue teneſmo, neceſſe eſt, non quoties libet deſidere, ſed quoties oportet, ut hæc ipſa mora in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducat.* Si tandem aſtringentibus remediis internis fluxibilitatem humorum cohibere conducat, præter ſuccum ſtillatitium pomi *Ianipaba* immaturi, raſura inſuper ligni ſancti Braſilienſis, alias *Iacaranda*, ut & nuclei fructus *Gueticaroi* triti & jejune ex convenienti liquore hauſti, eximie proſunt.

CAP. XIII.

De Cholera.

PErnicioſus nec infrequens his quoque regionibus eſt fluxus ille qui Cholera dicitur. Morbus ſemper ſymptomaticus & vere acutus, ab aëre calido & humido, corpus perpetuo ambiente, immodicoque fructuum fugacium & horariorum eſu proficiſcens. Omnem ætatem omni anni tempore infeſtat. Æſtate tamen ab æruginoſa porracea atque æſtuante bile, potu calido intempeſtive accedente, juventutem vehementius exercet, cum ſubita quadam ſpirituum effuſione ac lypothymia ex tetris & fuliginoſis vaporibus orta; adeo, ut ſi ante viginti quatuor horas non evadant, ſuccumbant. Quod ex manifeſta diagnoſi conſtabit, ſi nimirum pulſus debilior, aut impedita reſpiratio, exteriorum membrorum, tum ſudorum frigiditas, ſummum interiorum circa cor incendium, convulſioneſque interveniant. Hunc humorem efferum & quaſi orgaſmo ad ſuperiora & inferiora delatum compeſcere, res profecto haud exiguæ difficultatis eſt. Primum ad ea remedia quæ cor, ventriculum ac inteſtina modice refrigerando & aſtringendo corroborant & furorem acerrimæ bilis retundunt, confugiendum. Corpus enim evacuare (etiam invita Plethora & Cacochymia) quamvis benigne, periculo non caret; tum quod vires collapſæ atque exhauſtæ, ulteriori irritatione reformidandæ ſint. Ultra Tamarindos, quos hæc terra producit, quæque bilioſos & accenſos humores refrænant nihil tentandum; ſed ſyrupis potius & conditis de *Murucuja*, *Ianipapa*, limoniis, arantiis, *Araca*, *Guajaba*; ut & Ficubus Indicis, Ubapitanga, Murecy, imprimis Tipioca uteris, cæteriſque medicamentis roborantibus, & refrigerantibus ex Tipioca. Externis quoque ſequentibus inſiſtes. Fomenta & inunctiones ſint ex aſtringentibus & refrigerantibus. Tum cataplaſmata ex portulaca recentis plantaginis, myrto, *Araca*, oculis arboris *Imbaiba* confecta, quæ cum aceto præparata rite ægroto impoſita, præcordia fovent, ventremque ac anum afflictum demulcent. Clyſteres ejuſdem generis (modo tantillum temporis ſuperſit) requiruntur, cæteraque remedia in capite de dyſenteria & inflammatione ani prolixe enarrata. Verum, quemadmodum hæc ſæpe auxilio ſunt, non raro conſulto ob temporis anguſtiam & morbi ſævitiem, omittuntur, confeſtimque ad ſoporifera devenitur. Quæ duo potiſſime ſunt decantata illa ſuperius tradita. Extractum Croci Bontii, & conditum noſtrum magiſtrale, tam in anum per clyſterem, quam in os per potionem exhibita. Linimenta denique opiata, capiti & pectori admovere convenit. Adeo nihil tutum niſi ſomnum omni induſtria concilies. Cholera ſicca eiſdem remediis fere curatur, maxime ſi regione hepatis corneæ cucurbitulæ applicentur, quæ cum potentiſſime per ſuctionem operentur, merito de iis hoc teſtor, quod Galenus de Europæis, quas in colico affectu incantamenti inſtar operari tradidit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Cap. XIV.

De Dyſenteria.

SEquuntur fluxus cum febre & ſanguine, ut ſunt Dyſenteria, fluxus hepaticus & inflammatio ani, Luſitanis *Bicho* abuſive dicta. Affectus Dyſentericus nimium his terris eſt familiaris. Oritur potiſſimum ex ſudoribus vi frigoris nocturni ac venti mediterranei ſubito admiſſi retroactis; tum fructuum fugacium & fæculenti potus immoderato uſu, accedente aëre calido & humido. Hæc excretio ſanguinolenta licet pari vehementia per omnes Indias ſæviat, numquam tamen in Braſilia morbi Epidemici inſtar graſſatam, alioque per contagium migraſſe, conſtat. Quo non parum conferre videtur inſignis aëris ſerenitas & motus, ſiquidem à ſolis & venti orientalis aſſidua illuſtratione atque agitatione, ſemina quaſi contagii diſpelluntur ac prohibentur. Ita ut perpetuo nobis ſporadica & popularis, nunquam vero Epidemia exiſtat Dyſenteria: cum alias pertinaciſſima aliquando malignitas, ſi in alio quopiam, in hoc morbo imprimis apparet. Quibus excretio bilioſa, aduſta & ſpumoſa, ut in juvenibus ſæpe videre eſt, merito ab Hippocrate habetur calamitoſa atq; funeſta; quippe quæ nullis remediis cedat, licet hæc tellus, nobiliſſima minimaque vulgaria auxilia medica producat contra malum tam familiare, & præſtantiora induſtria ac ſolertia hominum indies ſuſcitentur. Verum miſſis iis, quæ ſatis ſuperque jam ante ab aliis de natura & curatione Dyſenteriæ dicta ſunt, ea tantum proſequar, quibus potiſſimum differant ab iis fluxibus qui in Europa graſſantur. Affectui huic (præſertim ſi multa cacochymia adſit) tot ſimul ſolent ſupervenire Symptomata, tamque horridi cruciatus, ut ſæpiſſime anguſtia rei & temporis legitimam methodum remorentur. Hac itaque neceſſitate exigente, venam tundere, haud conſultum habent (niſi ipſo quidem principio, aut febre atque hepate affecto id maxime poſtulantibus) quoniam, etiamſi revellendi indicationi forte ſatisfactum eatur; malignitati tamen materiæ morbificæ & virium inopiæ male fit, quod raro occaſio deperditum reſarciendi, adſit. Porro, vel ſolo Rheo, vel laxativo quovis benigniſſimo mordacem humorem provocaſſe, partiſque affectæ cruciatus ingeminaſſe, ægro perniciem nonnunquam attulit. Si quando tamen evacuationi locus, radicem *Ipepacuanha*, exquiſitiſſimum naturæ munus, ſyrupis laxantibus, cæteriſque remediis præferre conducit: quamvis ingenue fatear, omnes pariter incolas ad ſudorifera & cordialia, quam ad purgantia, benigniora licet, inclinare, etiam tunc cum æque magna cacochymiæ quam ulcerationis ſigna appareant. Interim morbo durante præter conſolidantes, abſtergentes & refrigerantes clyſteres, nutrimentis & anodynis ex juſculo gallinarum hordeaceo aut furfuraceo, lacte caprino chalybeato & ſimilibus inſiſtendum. Præ cæteris pulmento ex Tipioca & emulſionibus inde factis, quod multis indicationibus ſatisfaciant, utendum per inferiora æque ac ſuperiora, quippe mirifice conſolidante & refrigerante qualitate partes afflictas demulcent, fluxiones quoque ruentes compeſcunt atque coagulant & orificia venarum claudunt. Quod ſi neceſſitas ulterius inſurgat, viribus corroborandis & ſiſtendis fluxibus, hoc electuarium magiſtrale opiatum à ʒß ad ℥j. identidem exhibere ſoleo. Rec. pulpæ ſeu carnis cydon. ℥vj. Conſ. roſ. rubr. de *Araca* & *Guajab.* à ℥iiij. Diaſcord. Fracaſt. ℥iij. Confect. Alkerm. Diacinth. an. ʒij. Trochiſc. De terra ſigillat. De carabe an. ʒiij. Coral rubr. pp. lap. harmatit. pp. an. ℈iiij. ambr. griſ. Braſil. ℈ij.ß ſang. dracon. laud. opiat. an. ʒiij. Bol. Armen. ℈iiij. ſpec. Diamargar. frig. ʒij. requies Nicolai ℥j. Rob. fruct. Mureci & Murucuja an. ℥ij. Syrup. Granat. Diamor. Araca-goacu an. q. ſ. F. Electuarium. Vel optimam illam Bontii opiatam. Rec. opii elect. ſang. Drac. Benzoin. Croc. Oriental. an. p. e. ambræ nigræ partem tertiam, conjice in vas vitreum oblongum & collo anguſto, affunde aceti è vino fortiſſimi tantum, ut maſſam ſuperemineat in fundo tres aut quatuor digitos. Vitrum bene clauſum & obturatum, radiis ſolaribus expone. Hæc omnia hoc modo colata, fortiter exprimantur, expreſſa vi ſolis condenſentur, inque conſiſtentiam extracti cogantur. Hujus doſis à gr. ſex ad novem, in formam catapotii coacta vel in cochleari convenienti liquore diſſoluta, porrigantur, maxime noctu, quod ſummopere tunc inteſtinorum mala exaſperari ſolent. Ea quoque quæ lumborum, ventris & jecinoris refrigerio & robori ſunt, neutiquam intermittenda. Præterea ſingulis vicibus, quibus alvus dejicitur, fomentis tepidis, iiſque quæ conſolidant, immiſſis, putredines & calores, vel præſentes, vel futuri avertantur. De quibus latius dicetur in capite de inflammatione ani. Potus quo æger utatur, ptiſana ſit, ex decocto de *Carima*. Ovum quoque ſorbile cum tribus quatuorve guttulis olei Copaiba admodum conducit, quod confortando ſimul partes læſas conſolidet, ac proinde totidem guttulæ cum albumine ovi ex bombace ano inditæ vel per Clyſterem injectæ ſolamen adferunt. Aſſata elixatis præferantur. *Pacoba* & *Banana* ſemitoſtas, ſæpe pro alimento medicamentoſo accipiat. Iidem quoque fructus diſſecan-

ſecantur & in ſole ſiccantur, atque in maſſam, addendo aceti momento, coguntur loco panis. His accedunt plurima alia remedia nativa, aſtringendi ſimul & refrigerandi qualitate pollentia, quæ primi incolæ partim ut arcana celant, ſecumque interire cupiunt, partim innotuere & in tractatu de ſimplicibus tradita ſunt.

CAP. XV.

De Fluxu alvi Hepatico.

ANno 1638. urbe *Salvador* in *Bahia*, menſibus admodum pluviis obſeſſa, nulla clades æque exercitum noſtrum attrivit, quam fluxus ſanguineus, ſignis & curatione nonnihil à Dyſenteria diverſus (vide de hujus morbi cauſa Platerum & Sennertum) qui, licet non minus quam illa pernicioſus, ſymptomatibus tamen longe minoribus comitari ſolet. Sæpe enim ad finem uſque, abſque ullis torminibus, cruciatibus, exulcerationibus, cumque facili excernendi modo, exiſtit. Dejectio autem hæc eſt, vel puri ſanguinis, vel cum grumis vel loturæ carnis ſimilis; idque dupliciter fit: vel ab atonia hepatis, quæ licet curata, ad priſtinam cruditatem redit: vel à quantitate ex venis meſaraicis atque inteſtinis regurgitante, quæ plus timoris quam detrimenti inferat, & juventutem maxime infeſtet. Quippe tales excretiones aliquando febrium acutarum criticæ habentur, exque eutonia jecinoris, non inteſtinorum exulceratione cauſatæ ſunt. Fit demum hic fluxus ex qualitate ſimul, orificia venarum corrodente & reſerante. Atque tunc quidem Dyſenteriam propter ulcus & dolores inteſtinorum mentitur. Ea quæ ex hepate profluxio fit, iis remediis oppugnanda, quæ confirmando jecinori ſuam operam tam intrinſecus quam extrinſecus dicarunt. Raro in principio ſolamen ullum à clyſteribus conſolidantibus aut anodynis accedere videas. Venæſectio, tametſi in reliquis ſanguinis profluviis vix admittatur, in hoc tamen à veteranis incolis laudabilis habetur: noſtratibus vero utique mollioribus, intenſiorique calori non aſſuetis, cautius ac parcius inſtituenda eſt. Immo in cucurbitulis revellentibus, lumbis ac natibus impoſitis, aliquando ſubſiſtendum. Reliqua quæ tractu temporis exſurgunt circa curationem, quum Dyſentericis affectibus magis communia ſunt, iiſdem remediis, in capite de Dyſenteria monſtratis, propulſantur. Ad eum autem fluxum quæ ex atonia hepatis naſcitur, compeſcendum, irriti, ut plurimum, curandi fiunt conatus, ita ut præ virium lapſu ne quidem Rhabarb. myrobal. aliaque ſimilia adhibere conſultum ſit, ac proinde ad opiata ſæpe numero confugiendum. Ut ſunt imprimis Extract. illud Bontii, noſtrumque conditum magiſtrale ſuperius tradita. Quod ſi ex acrimonia malum profluxerit, ad ſemina frigida recentia accedendum. Tum ad ea omnia quæ urinam benigne provocant, ut ſunt, decoctum *Iuripeba* maris, radicis *Araca*, fructus Alkekengi, rad. liquirit. *Erva moira*, *Erva* de *Capitaon* & *Pagimirioba*, atque ſimilium quæ hepatis & venarum meſaraicarum ardores mitigant, & orificia demulcent. Horum præ cæteris palmam obtinent Emulſiones & pultes quæ *Carima* dictæ ex *Tipioca* de *mandihoca*. Inter fructus in pretio habentur, *Ianipaba*, *Murucuja*, *Guajaba*, *Araca* minor & major, quæ pyra & pruna ſunt Granatenſia. Aqua quoque ſtillatitia ex canna ſaccharea & flore *Guabiraba* cum albumine ovi pota, addito momento ſucci aurantiorum. Denique cataplaſmata ex portulaca & *Erva moira* cum aceto temperata, dorſo & ventri applicata, mirifice intemperiem hepatis ſolantur, fluxumque inordinatum compeſcunt.

CAP. XVI.

De Ulcere & Inflammatione Ani.

QUæ à Barbaris meaque longa experientia circa rationem & curationem tam funeſti & lamentabilis mali conſecutus ſum, in medium proferam. Hunc affectum Luſitani *Bicho del Culo* abuſive vocant, vel quod dolor pruriens principio ſentiatur, vel quod gangrænam, æque ac pedum illi vermiculi, inferat. Uſquam terrarum adeo quam in Braſilia hoc malum graſſari à nemine obſervatum memini. Nil autem aliud eſt, quam incendium & corruptio ani cum ulcere depaſcente, ſine vel cum ſanguinis fluxu dolorifico. Hunc morbum, aut præcedunt fluxiones Dyſentericæ cum inteſtinorum caloribus; aut per ſe, & citra ullum morbum prævium ingruit. Cum Dyſenteriam præcedentem habet, & ob medicinam adhibitam Symptomata excretioneſque ceſſant, non nimium fidendum eſt: niſi forte ſudor calidus & multus pulſuſque ac cætera omnia reſpondeant. Detenta ſiquidem materia acerrima, à calore nimio jam accenſa, maximeque à ſquallente & ſordida corporis colluvie intus alta, magnum putredinis gradum, cum tam atroci dolore & inflammatione acquirit, ut muſculum ſphincterem atque ora venarum hæmorrhoidalium ſtatim exedat. Unde fluxus cruentus exoritur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

altiuſq; ad inteſtinorum tunicas aſcendit, tam deformi aſpectu, ut anus late diductus cloacæ inſtar livido & plumbeo colore appareat, ac turpiter pateſcat. Nonnunquam vitium hoc per ſe manifeſtatur, nimirum ex dolore, cum retentione excrementorum, quæ jecinoris ac Meſarei calore areſecta atq; indurata, non ſine maxima difficultate & cruciatu egeruntur, egeſtaq; nigricantia apparent. Aliquando vero, ingenti licet conatu, nihil prorſus ejicitur (ut ipſe in me quoque expertus ſum) ano multum prominente. Hinc atroces ſæpe dolores ex retentis fæcibus ſuſcitantur, quos febres poſtea, laſſitudines, vigiliæ, pulſus vehementes, concitatio ſtomachi, ac capitis imprimis dolores & ardores ſequuntur. Quamobrem, antequam malum ſerpat (ſerpit autem citiſſime) internis & externis laxantibus & refrigerantibus remediis reſiſtatur. Clyſteres ejuſdem generis ſemel atque iterum admoveantur. Suppoſitoriis, inunctionibus lavacris, balneis, ſuffumigiis perpetuo inſiſtendum. Venæſectiones præcipuè non negligantur. Quibus omnibus ſi morbus non brevi cedat, proculdubio in lethiferum degenerabit. Multoties præterea fieri conſuevit, ut nullo morbo inteſtinali, vel quovis alio ſigno præcedenti, parti minus ſenſibili ſeminarium clam inſinuetur, ipſumque ægrum & medicum in principio lateat. Quod, quoniam gangrænam non raro inferat, incurabile habetur. Si autem prodat ſe malum, prævia utcunque hac diagnoſi fieri ſolet, ut, ſpontanea laſſitudine, capitis & membrorum doloribus, appetentiæ cibi languore, calida totius corporis intemperie, inſomniis, pulſu arteriarum inæquali nimiſque celeri, abſque manifeſta podicis afflictione, niſi forte aliquo pruritu aut inani exonerandi alvum deſiderio. Quamobrem in omni inteſtinali præcipue affectu, de añi diſpoſitione Medici percontari ſolent. Quo incolæ Empirici non contenti, viſu & tactu explorant podicem, num aliquid pręternaturale appareat; mox pulpæ limonum affrictu partes illas tentant & dolores excitant. Differt autem ab hæmorrhoidibus hic affectus, ſequentibus potiſſimum ſignis. Gravis capitis dolor adeſt, ac hiantis late ani oſtium fatiſcit. Dein, ratione prognoſeos, quod morbus hic *Bicho* (ut barbare loquar) nonnunquam mortem & quidem confeſtim adferat; hæmorrhoides autem non item, quæ eiſdem, quibus in Europa medicamentis, imo ſolis hirudinibus Braſilienſibus curantur, & liquore pulpæ Nucis *Cocos* putrefactæ ſæpius admoto, mitigantur. Cæterum, qui contra hanc labem ſe tueri ſtudet, aqua marina frigida vel tepida & limoniorum ſucco recentium, anum, quoties ventrem exonerat, probe abluat. Quando vero ex indiciis ſupra dictis conſtiterit malum invaſiſſe & ſerpere altius, doloris atrocitas, haud permittit, acribus medicamentis vel per anum, vel per os uti, ſed blandiſſimis. Si lapſus virium contra indicet venæſectioni, cucurbitulæ infra dorſum affigantur. Exinde ad clyſteres refrigerantes, conſolidantes & adſtringentes, qui anodyna imo ſtupefacientia opiata recipiant, progrediendum. Poſtea veterum incolarum ritu, aqua ſaccharea, gummi tragacanth. amyl. ex *Tipioca* de *Mandihoca*, ſoluta, duobus digitis inſertis poſteriora proluantur. Poſt hæc, dilutum ex ceruſſa, aqua roſarum & flor. *Guabiraba*, ſaccharo rubro, ovi albumine & lacte mulieris cum momento opii concinnandum, in quo tæda madefacta, ano profunde immittatur, idque frequenter. Idem fere præſtant herbæ quædam nativæ præ cæteris contra hunc morbum receptæ uſuque longo comprobatæ; ut ſunt, folia & flores utriuſque *Pagimirioba* & *Tapia* arboris longè præſtantiſſimæ, addita *Erva Moira*, toties inſerta quoties deſidendo tædæ vel ſuppoſitiora intromiſſa removentur. Quod ſi pars afflicta manuum attactum reformidet, ſuſſimenta ex emollientibus & ſiccantibus ſubſtituenda ſunt. Porro quantum ad victus rationem, alimentis frigidis & roborantibus maxime uti convenit, irritantia autem cane pejus & angue declinanda. Abſit motus corporis. Quum vero opii uſus à multis tantopere extollatur per omnes Indias, ubi morbi acutiſſimi, imprimis ventris fluxus maligni, graſſantur, profecto adverſus hunc ani affectum egregie opitulari, expertus ſum. Convenit ut ventriculo vacuo nec cibis deinde replendo, aſſumatur: Tum & poſt totius corporis evacuationes; ſecus enim pectus opprimit hoſtemque introcludit. Si dolor atrox vero ex reliquiis tantum materiæ calidæ & mordacis ſuperſit, morbum ſimul & ſymptoma tollunt opiata. Quod certe aperte propter tria quæ adſunt hic fieri conſuevit, nempe inſomnia, fluxiones contumaces & virium proſtrationem ex ingenti dolore.

CAP. XVII.

De Morbis Mulieribus & Infantibus Familiaribus.

QUod olim à prima ſtatim hujus regionis invaſione Medici Luſitani de Mulieribus & Infantibus, antequam vitia vitare didiciſſent, id ego jure de noſtratibus hodie conqueror. Maxima enim earum pars calamitates incurrit partis iſtius nobilioris, qua *ſexum* dignoſcimus; imprimis quidem frigidam uteri intemperiem, unde cætera mala, tam matri quam infanti enaſcuntur. Inſuetæ calori diurno & frigori nocturno mulierculæ noſtræ obeſiores &

ſeden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſedentariæ, aërem frigidiorem dejectis veſtibus ac ſtragulis, captant. Quo fit, ut paulatim noxium hoc & penetrabile frigus, fœcundum illum alias naturæ agrum, debito & naturali ſuo calore defraudet, ſterilitatemque, ſi non penitus inducat, tonum tamen uteri dejiciat. Ita ut ſi vitalem, raro tamen longævum fœtum edant. Accedit potus ille frigidiſſimus, quem domi ex acidiſſimis Limoniis conficiunt: tum nimius & aſſiduus fructuum horariorum uſus. Unde tandem cum ipſo ventriculo uterus, ob affinitatem mutuam, ſumme refrigeratur, profluviumque & hydropem patitur; imo propter debilitatem ac laxitatem ligamentorum, ejus aliquando procidentia ſuccedit. Quid mirum ſi generationi deſtinata matrix ob ortam intemperiem magno illo naturæ opere deſtituta, cloacæ inſtar tot excrementorum & cruditatum fiat receptaculum, inque varias calamitates mulieres detrudat. Affirmare auſim noſtratium ut & Judæarum (quæ intempeſtivis balneis ex religione obſtrictæ) ne quidem dimidiatam partem profluvia uteri evadere. Quod, vel ex pudore vel negligentia dum occultare ſtudent, pallidæ, exſangues, triſtes & viris ingratæ, tanto temporis decurſu, conduplicare malum ſolent. Hiſce morbis, partim ex inſtitutis authorum, partim methodo Incolarum remediis nativis occurrere oportet. Cum enim hic affectus, licet aliquando compoſitus, ex frigiditate tamen potiſſimum natus cenſeatur, calidis curari poſtulat. Quamobrem abſtinentia ſit à fructibus frigidis, lactucis, potuque omni frigidiore & crudiore. Ob imbecillitatem corporis ſint coopertæ, noctu imprimis, loco à mediterraneo vento libero vivant. Venæſectiones requiſitæ vel ad deplenda vaſa, vel ad humores derivandos, ſuccedant. Purgationes ex maſſa noſtra Panchymagoga, ad pituitoſam cacochymiam præparandam & minuendam inſtituantur. Cætera evacuantia, præſertim tunc, cum profluvia hæc modum, tempus & colorem variant, ſecund. Aphoriſm. 36. lib. 5. non negligenda, quibus præmiſſis opiata ſubſequantur, quod iis mirum in modum vires reſtituantur, humoreſque ruentes coagulentur. Decoctum poſtea Carcaparill. & radicis *Viſqueira* atque *Vbiraeé* ad ſudores & urinas movendas, quodque robur addant partibus, dies aliquot exhibendum. His aliiſque ejuſcemodi præmiſſis, locus affectus conſiderandus, cui imprimis conducit mel ſilveſtre decantatiſſimum remedium in hoc & ſimili affectu, inſigniter abſtergens & confortans; tum ventriculi & inteſtinorum, mox renum & uteri cruditates & viſciditates, digerens. Exhibetur jejunis utcunque vel ſimplex vel compoſitum hoc Medicamentum addito vino Hiſpanico & aromatibus, tum & cæpis ſi nihil impediat, ad conſiſtentiam vini coctum. His ſuccedat exercitium. Si neceſſitas major urgeat ante dictum potum exhibitum, per ſpatium ſemihoræ circiter ingrediatur balneum ex aquæ fontanæ partibus tribus & una vini confectum, cum Myrta, artemiſia, foliis piperis longi, *Betele*, *Malva Iſca* Camomel ſilveſtris, *Albahaca*, Mentaſtro, *Iaborandi* & ſimilibus, quas profert Braſilia. Hæc per duodecim vel quindecim dies pro re nata continuentur, ex quo ſingulis vicibus probe abſterſæ, corpori corroborando aliquid alimenti capiant. Veſtitæ ſedeant, & ſi de doloribus uteri quærantur, per infundibilum, ſuffitum ex calefacientibus & ſiccantibus accipiant, tum & peſſaria ſyringaſque, ſi maritatæ fuerint. Quin minime contemnendum oleum illud ex toſtis vermibus in palmis viventibus, confectum; quod circa umbilicum illinitum, multum prodeſt. His & ſimilibus remediis haud vulgares effectus vidiſſe contigit, & quæ inter ſteriles habitæ, ſibi & generationi convaluere. Ex imprægnatione magnum ſubſidium ob ſiccitatem & duplicatum calorem ſubſequi ſolet. Hactenus de Mulieribus non gravidis. Sed quia uterum ferentes magis diſſolutum ſæpe modum inſtituunt, laxatis appetitus habenis, plurima vitia incurrunt: quibus haud facile eſt applicare medicinam quod vel difficultates pariendi vel abortus promoveant. Infantes enim in lucem editi, vel leviſſimo extinguuntur morbo, minorque pars ad pueritiam pervenit. Huc accedit quod præduris illis ac ſtrictiſſimis faſciarum involucris non exiguo ſanitatis diſpendio, conſtringantur. Cum tamen Indigenæ ipſique quoque Luſitani, miſſis iis quæ ſummopere perſpirationem impediant, ab ipſa nativitate denudato corpore, capite præſertim, infantes feliciter educari frigidaque eos tempeſtive lavari ſatius exiſtiment. Nutrices denique Braſilienſes & Æthiopiſſæ, lacte ſuo ſaluberrimo complures noſtratium infantes enutriunt; cum Europæis mulierculis lactis vires ingenitæ, ob ſupradictum vivendi genus, non raro depraventur aut extinguantur. Præterea haud tutum exiſtimant Incolæ ante biennium ſubſtrahere nutricem; quod tenelli, mutationi huic ferendæ impares, ſenſim deficiant; vixque bimuli, morbos graves incurrant. Hinc fit, ut toties triſtes, decolores, aquoſoque humore inflati, ob debiliora viſcera extenuentur, duriſque paulatim hypochondriis contabeſcant. Si quæ medendi præſidia adhiberi contingat, raro proſunt. Quædam tamen, longo uſu comprobata ab Empyricis accepi, eaque potiſſimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

externa, ut unctiones, frictiones, ſuffumigia, illotiones, cataplaſmata, & emplaſtra emollientia, attenuantia, & aſtringentia. Ex omnibus probatiſſimum quidem amplexus ſum (nunc emplaſtri nunc linimenti forma præparatum) quod ex radicibus *d'Erva de Capitaon* & Nimpheæ, cum oleo earundem herbarum Aninge & capparum, atque ſimilibus concinnatur, & per multum tempus applicatur. Interno ſi remedio locus, extractum ex cortice *Vbiraeé* ad mellis conſiſtentiam ægro propinatur, gratumque & tutum eſt medicamentum. Præter lumbricos inteſtinorum, quibus divexantur pueruli, vermium quoque genus exiguum & ſordidum in ventriculo (ut in diſſectione infantium aliquoties vidi) generatur, quorum morſibus provectioris quoque ætatis homines, invitis medicamentis, interire ſæpe contingit. Nihil horum videre eſt in Braſilienſibus Mulieribus vel earum ſobole. Nam robuſtæ, vegetæ agileſque, ſive prægnantes, ſive puerperæ, vivacem enituntur prolem. Antequam finiam, illud ſubjiciam, quod non prorſus extra limites inſtituti noſtri ſit, ſed inter Ariſtotelis forte diſcipulos de viribus imaginationis & ſuperfœtatione, lites movebit. In Paranambuco Anno 1638. ex Æthiopiſſa & Luſitano Gemelli Maſculi naſcebantur, validiſſimi, alter alba cute, alter nigra, criſpis capillis, oculis cæſiis.

CAP. XVIII.

De Morbis Contagioſis.

VIdere eſt in Braſilia morbos Endemios familiares, imo malignos, licet rarius, è tetris & fuliginoſis exhalationibus, terræ paludoſæ & aquæ ſtagnantis natos; nulli autem ex mutatione tali tempeſtatum, quæ ſtatis temporibus ſæviunt, aut ſyderum maligno influxu & noxia qualitate cælitus deſcendente, oriuntur. Anno 1639. magno noſtrorum commodo, juxta ſinum omnium ſanctorum, tertia pars claſſis Hiſpanicæ maligno & contagioſa febre extincta eſt. Quippe hoſtis longo & faſtidioſo itinere defatigatus, & ſub æquatore diu propter ſolitas malacias hærens, multa fætida pluvia, cibique ac potus corruptione & penuria fractus, paulatim attritus eſt. Contigit quoque pecora ſemel atque iterum, miro aſtrorum aſpectu, pluviis ex continenti ortis, ac mollioris venti mediterranei afflatu, morte repentina periiſſe. In tantum vero aëris malignitatem unquam accreviſſe, ut peſtis exinde enata ac graſſata fuerit, nemo unquam expertus eſt. Mihi bis tantum contigit toto ſeptennio, febre petechiali laborantes videre, maculis per totum corpus diffuſis, morte poſtridie ſequente. Anthraces maligni crebrius, ſed non contagioſi graſſantes, ac curatu multo quam in Europa faciliores, dantur. Magnos autem & frequentiſſimos illos Dyſentericos ac malignos affectus, nunquam in Epidemios tranſiiſſe admiratu dignum. Vlcera porro (ut hoc obiter dicam) luis Venereæ & alia mala contagioſa & ſerpentia, beſtias æque ac homines mutua converſatione inficiunt. Idem faciunt fœtida illa Variolarum ulcera.

Quod autem ad Variolas & Morbillos (quos *Beſigas* uno vocabulo Luſitani vocant) attinet, etſi non evadant eos Meridionalis Americæ Incolæ, benignius tamen corripi iis ſolent. Citius curantur laborantes, ob perpetuam pororum apertionem, victum ſimplicem, humorumque minorem fœculentiam, modo ab aëre nocturno ambiente ſibi caveant ſedulo. Quemadmodum autem ventum declinando facile reſtituuntur; ita per aërem vel clementiſſimum retropulſæ, mortem accelerant. Cum febres paulo vehementiores & ardentiores præcedunt, Luſitani non verentur in principio ſecare venas, idque cum ſucceſſu. Epidemiæ ex accidente bis quantum conſtat factæ ſunt variolæ. Neque enim peſtiferæ variolæ vagari ſolent in pueros ſicut Proſp. Alpinus de Ægypto bis anno fieri teſtatur. Primo, ante annos triginta Æthiopes Angolenſes Braſiliam ingreſſi, & variolas ex Africa adducentes, inſigni mancipiorum ſtrage, reliquos infecerunt. Et nuper Anno 1641. idem fere accidit. Ita ut aliunde derivata, non inter nos nata Epidemici iſtius morbi principia, humidiſſima accedente hyeme, per integra territoria prope annum, graſſata fuerint. Luſitani autem his remediis vulgaribus, tanquam ſacræ anchoræ ſe fidebant, ſuoſque non infeliciter curabant. Fimum equinum areſactum & in pulverem tritum ex convenienti liquore iterum atque iterum ægrotanti propinant. Poſtea pectori & gutturi defendendis, gargariſmo & potionem ex albo Græco, cannæ ſacchareæ & aurantiorum recentium ſucco concinnatam præparant. Pro alimento medicamentoſo ex *Tipioca* de *Mandihoca* pultem optimam, pro potu, ptiſanam ſeu dilutum ex eadem *Tipioca*, exhibent. Utrumque hoc ardores compeſcit & nutrimentum ſuppeditat. His ſuccedit mel ſilveſtre vel ſimplex, vel, ſi calor obſit, dilutum ex aqua cannæ ſaccha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

reæ quod hydromelis inſtar immundities pectoris & viſcerum abſterget, ægroſque ſuaviter demulcet.

CAP. XIX.

De Lue Venerea.

LUes quædam ex coitu non tantum per contagium, vel parentum hæreditario malo in liberos, ſed ex leviori attactu atque per ſe contrahitur, orta potiſſimum ex alimento fœtido & ſalſo, potu rancido & corrupto. Inter Afros non ſolum atque Indos, ſed Luſitanos & Belgas quoque ſævit, tumoribuſque ſchirroſis & virulentis ulceribus, totum corpus infeſtat. Quæ quidem lues huic regioni eſt Endemia & *Bubas* ab Hiſpanis & Braſilianis appellatur. Et ſicuti citius ſanatur à ſolis remediis indigenis; ita citius contaminat, quam illa quæ lues gallica vulgo vocatur & ad Incolas huc defertur. De qua diſſertationem inſtituere non eſt propoſiti mei, ſed de præſenti, quæ licet in quibuſdam conveniat cum illa; accidentibus & curatione tamen maxima ex parte differt. Empyrici initio data opera eam negligunt, quod curationem ante quintum vel ſextum invaſionis menſem perperam inſtitui ajunt, humoriſque tenacitatem, in quo mali fomes maxime inhæret, tot menſium intervallum requirere ad præparationem, credunt. Vitam interim intemperatam vivere interdicunt, aquæ calidæ lavacra inſtituunt, frigus nocturnum, ne perſpiratio cohibeatur, maximopere arcent, carnes recentes, imprimis ferinas, toſtas, remoto omni piſcium genere, præcipiunt. Vinum permittunt, quod ſudores & fuligines non ſine ægrotantis levamine, per poros expellere, comperiantur. Qui ab hoc medendi modo recedunt, ſymptomatum quidem pro tempore levamen allaturos, ſed poſtea recidivam artuumque dolores ſucceſſuros, ratum habent. Tandem præparato hoc modo corpore, evacuationes inſtituunt: mox, eos, qui præſertim tenuioris ſortis ſunt, ad molendinas ſacchareas igneſque luculentiſſimos ablegant; & ſolo decocto, cujus baſis *Caaroba* & Carcaparilla, curationem ex inſtituto propemodum Europæo, feliciſſime abſolvunt. Ulcera quoque ſolo attritu aut lotione *Caaroba* aliarumque herbarum exſiccantium & abſtergentium ſucco, tollunt. Indi autem foliis *Caaroba* nunc coctis pro balneo, nunc ore jejuno maſticatis, ulcera, quæ per ſe non evaneſcunt, exſiccant & malignitatem extrahunt. Quod ipſum aliquoties per Chirurgos in Noſocomio imitari juſſi, & voti nos compotes reddidit. Ne quis autem fallatur, hæc lues ſive ex Hiſpanica mixta, ut ſæpe fit; ſive ſimplex Endemia, Europæis præſertim, non adeo parvi facienda ſive in principio ſive in progreſſu. Neque enim ut quidam exiſtimarunt, intra Tropicos levior ob halituum à ſole perpetuam extractionem; gravior tantum in ſeptentrionalibus regionibus datur. Ac ſi nocturnum frigus modo leviter admiſſum, apertos diurno calore poros non cum ſummo detrimento ægri altius occluderet, diſcuſſionem tetrorum vaporum impediret, verſuſque perioſtium, in quo dolor, repelleret. Sicut quotidie fit, vel ægrorum vel medicorum incuria, qui differentias diei & noctis contemnunt. Et tunc quidem male morata ulcera, quibus hoc malo infeſtati turpiter ſcatere ſolent, ſi maligni illi halitus minus exſpirent, cariem in oſſibus, cæteraque ſymptomata, æque ac in patria cauſari videas.

Addam quæ de Gonorrhæa, *Scantamento* Luſitanis dicta, notatu digna exiſtimavi. Gonorrhæa ſimplex, ſicut haud difficilis habetur curationis, ita facile acquiritur, modo à ſola equitatione ſub æſtu meridiano. A purgantibus initio ſibi cavent in omni Gonorrhæa, vixque blandiſſima ex Manna, Caſſia, ſyrupis laxantibus exhibent, ne quid cacochymicum provocetur aut irritetur. Tam ſalutaria contra hunc affectum domi nanciſcuntur remedia Incolæ, ut raro in exotica, quæ in officinis proſtant, inquirere illis neceſſum ſit. Præferunt, *Guabipoiocaiba*, Luſitanis *Pao Podre*, quam ego Arborem Siliquoſam, in tractatu de ſimplicibus appellavi. Ejus radix in taleolas diſſecta & in aqua ex canna ſaccharea deſtillata, macerata, aërique expoſita, eam abſterſoria & diuretica qualitate imbuit, quæ mane & veſperi pota, paraſtatas & renes inſigniter mundificat. Cavendum tamen ne immodice hoc medicamento valido utare, quod ſanguinem ducat. His accedit *Iuripeba*, Canna *Iacuacanga* dicta ſilveſtris, radix item *Iaborandi*, quæ noctu ſub dio macerata in aqua fontana diluitur, ejuſque diluti quatuor plus minus unciæ per quindecim circiter dies bibuntur, unde renes & veſica repurgantur. Poſt hæc pro potu quotidiano, ejuſdem cannæ ſilveſtris decocto utuntur. Atque alternatim ob calores ſuſcitatos, mane phtiſanam ſeu liquorem ex *Tipioca* exhibent. Dilutum radicis de *Malva Iſco*, *Pagimirioba*, *Fedagoſo*, *Caapomonga*, Emulſiones ex *Tipioca*, nuce Coco recenti & ſeminibus frigidis, cannæque ſaccharex aqua præparatæ, familiaria illis ſunt remedia. Contra retentiones & inflammationes lotii, poſt frigidam dorſi & perinæi inunctionem, genitalia emollientibus fomentant, nempe decocto ſummitatum *Baſurinha* & *Imbaiba*, floribuſque malvæ Americanæ & fabarum vulgarium, atque id genus aliis. Calorifica vero, tam à medi-

camentis quam epulis procul eſſe jubent, ne virulentia & incendium invaleſcant. Ego tamen nimium refrigerantium uſum aliquando noxam intuliſſe expertus ſum, quod tonus genitalium inde debilitetur. Semper enim condonandum eſt Empiricis, utpote exquiſitioribus in exhibendis medicamentis quam in diſtinguendis morborum cauſis. Quippe ſicut ex his medendi formulis apparet, profluvia genituræ cum Gonorrhæis videntur confundere. Quod qui levitare velit, adeat Plat. Ob. pag. 729. Lang. Epiſt. 2. l. 5. Solenand. pag. 199. v. 45. Hof. pag. 540. Quocirca in Gonorrhæa virulenta malignitate exturbata ſubſiſtunt peritiores, quando indicatio aſtringendi, conſolidandi & ſiccandi eſt. Quod quidem optime fit balſamo *Copaiba*, ſaccharo vel oleo olivarum diſſoluto atque per os & penem injecto.

CAP. XX.

De Vulneribus & Ulceribus.

TAmetſi pleraque vulnera & ulcera ejuſdem fere naturæ & curæ in novo hoc orbe ac in patria exiſtant; ea tamen in quibus differunt, ſilentio præterire nolui. Sicut enim in multis malis internis conſiderandum quæ infra hepar ſint aut quæ ſupra; ita maxime in externis. Quæ ſuperne ſunt, præcipue in capite, multo benigniora & curatu faciliora exiſtunt. Tum quod ab humorum peccantium affluxu libera, tum quod capitis vulnera aëris calidioris beneficio & ſola mundificatione reſtituantur ſæpe. Ea autem quæ in inferioribus partibus corporis, maxime in pedibus exiſtunt, difficillimæ curationis ſunt; partim ob perpetuum deſcenſum & mobilitatem calidi humoris in acrimoniam degenerantis; partim ob facultatem retentricem debiliorem. Atque hæc quidem veriſſima deprehenduntur, ſi tempus anni reſpondeat, nimirum conſtitutio calida & humida; æſtate enim ſicca, ſponte vel felicius ſaltem curantur. Quid mirum, ſi hac regione quæ toto cœlo ab Europa diſtat, vulnera & ulcera aëri expoſita, diverſum quid & peculiare habeant, cum authores paſſim teſtentur, nonnunquam ob diverſum urbis aut regionis ſitum, aut pejora, aut meliora tum capitis, tum pedum mala fieri. Longa experientia obſervatum eſt ab Incolis, oleis, unguentis aut emplaſtris, minus profici quam in Europa, ob impeditam perſpirationem halituum. Haud facile ſe dimoveri patiuntur à vegetabilibus quæ aſtringendi facultate pollent; etiam tum, cum ob malignitatem altiorem, ad Ægyptiacum, præcipitatum, alumen uſtum & ſimilia aſcendere debent. Tamen ab ipſo principio uſque ad curationis finem, ſive loci affecti corruptelæ, ſive vicinæ carnis mollitiei invigilantes, nativas ſuas aſtrigentes & ſiccantes herbas, reſinas & pulveres non deſerunt. Quod cordatiores, præmiſſis generalibus purgantibus, tentant. A vino & fructu imprimis illo celebri *Ananaſs*, ſibi cavent. Quia non ſolum curationem vulnerum & ulcerum remorari, ſed & in pejus diſponere, recidivamque facere conſtat, quod calore infenſo humores accendat. Diæta utique illis tenuis & refrigerans eſſe ſolet. Porro iis, quibus recens inflicta ſunt vulnera, duo præcipue hic obſervanda ſunt. Primo æſtum diurnum devitent, ne ſanguis attenuetur, venarumque orificia aperiantur, quod ingenti virium jactura ob diſſipationem ſpirituum & febrilis caloris accenſionem in caſtris aliquoties contigiſſe memini. Deinde ne noctu ſub dio cubent, unde maximam calamitatem, ſpaſmos, convulſiones mortemque ipſam poſtea incurrant. Cum vero in curatione vulnerum & ulcerum Luſitani plerique & Braſiliani peritiores longo uſu facti, & ſilvas remediorum quavis regionis parte, omnique anni tempore ſibi in promptu habeant, ea proferam quæ oppido approbata & à noſtris recepta, longaque rerum experientia confirmata ſunt. Optato ſucceſſu balſamis illis fragrantibus *Cabureiba* & *Copaiba*, vulnera reſtituunt, haimorrhogiamque non tantum ſiſtunt, ſed & interne ac externe exhibita nervis opitulantur. Gummi illud præſtantiſſimum admodum familiare, *Icicariba* (quod Elemni vere dixeris) nervorum & capitis affectibus præ cæteris remediis medetur. *Tipioca* autem, ſicut pota fluxus ſanguinis hepaticos & dyſentericos internos coërcet, & incraſſat; ita haimorrhogias à vulnere concitatas, ſive hauſta, ſive plagis emplaſtri aut cataplaſmatis forma applicata, mundificat, temperat & ſanat, quod excellens remedium ſi tamen ſimplex exhibitum minus proſit, opiatum aliquod admiſcendum; ut coagulentur ſimul humores moti. Porro ſuccum ex arboris *Ambaiba* ſummitatibus expreſſum mira operari perhibent, quippe graviſſimis quoque inſtillatus vulneribus ſolatium adfert. Populare eſt medicamentum hoc corroborans, mundificans & exſiccans, quod ex radicibus *Araca* & Limoniorum myrtique foliorum ſucco fit. Communia denique ſunt remedia, folia Nympheæ, *Lavapratos*, *Iuripeba*, eorumque decocta, *Figuero d'Inferno*, *Herva de Noſſa Senhora*, *Pagimirioba*, *Cuipouna*, *Ambaiba*, *Tapia*, *Folhos do Spinhera*, ſuccus *Bacoveira*, aliaque pene infinita incolis uſitata, de quibus mox in hiſtoria ſimplicium. Addantur, ſi ſimul pedum tumores adſint, balnea vel fomenta ex corticibus arboris *Cepipira*, ſummitatibus *Aninga*, Myrto ſilveſtri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

veſtri, *Baſourinha*, *Guabiraba*, *Camara* & ſimilibus. Gangrænam, Europæis relictis remediis, ſolis foliis recentis Tabaci contuſis, toties ab Empiricis reſtitutam vidi, quippe majores facile ipſis redeunt fructus in curatione multorum malorum, ex uſu foliorum viridium eorumque ſuccis & oleis; quam cæteris orbis incolis, ex fumo exſiccatorum. Furunculos & Apoſtemata maturare ſolent foliis *Araticu* vulgaris, *Bredos*, *Pulgera*, *Pagimirioba*, *Herva Mimoſa*, & bulbis Lilii Braſilienſis, *Meeri* dicti: Tum & radicibus mirabilis Peruanæ rubræ.

CAP. XXI.

De Papulis & Impetigine.

INter vitia Cutanea nondum Scabiem, Lepram, Elephantiaſin obſervaſſe contigit, ſicut in Ægypto aliiſque fervidioribus regionibus graſſari teſtatum eſt ab Autoribus. Sed papulæ ſeu ſudamina, quibus cutis exaſperatur & rubet (vulgo **de Roothont**) advenas fere omnes recens Braſiliam ingreſſos, genioque imprimis largius indulgentes, ſummo cum pruritu invadunt. Vid. Tulpii Obſ. 44: l. 3. Hæ puſtulæ totum corpus ſæpenumero arrodunt, fixæque ac ſtabiles totam ventris regionem occupant, ut *Zona* dici poſſint. Quod malum, balneo quidem aquæ marinæ frigidæ cum limoniorum ſucco compoſito, abolere plerique ſtudent, ſed minus tamen conſuetum eſt exhibere quod ardores intropellat, ſeu frigidæ lotione, balneoque nimis aſtringenti id fiat, ſive per fortiora purgantia acrem humorem à circumferentia revocare inſtituas. Si vero malum nimis excreſcat, longiuſque ſerpat, leves admodum & faciles purgationes ex temperatis componantur, quæ hepatis calorem, ſentinæque corporis, meſenterii ſcilicet, obſtructiones tollant, ut ſunt, ſyrupus ex novem infuſionibus & ex cichoreo cum Rheo. Cremor tartari Tamarindi. Decocta radicis *Iuripeba* & limoniorum quæ cichoreii vicem ſupplent. Venæſectioni ſemel atque iterum inſiſtendum eſt. Externis ita utare, ut ſudore crebro abſterſo, ſubuculam frequenter mutes. Mox fomentis ex aqua ſulphuris & nitri, albumine ovi, ſeminibus frigidis majoribus, cum aceto & limoniorum ſucco coctis, immiſſo linteamine, corpus defrices. Quæ, licet primo attactu acres ſæpe dolores excitent, cutemque vellicent, ſtatim tamen ceſſare ſolent; quos, ſi quis impatientior ferre non potuerit; eorum loco, balneo tepido ex refrigerantibus & emollientibus herbis utatur. Sciendum eſt, quod plerique quamdiu hoc malo tentantur ac pruriunt, à multis morbis ſint immunes, ac proſpere valeant. Quamobrem qui hæc incommoda ſanitatis gratia aliquatenus obdurare malint, meo quidem judicio rectius fecerint. Ante omnia moderatam vivendi rationem inſtituant, ciboque ac potu frigidiore utantur, ut materia attenuata, felicius per ſudores evocetur, ne ex intempeſtiva illa materiæ bilioſæ repreſſione ad interna, fluxus ventris Dyſenterici enaſcantur, quod aliquoties factum memini.

Quum vero eruptiones hæ bilioſæ per poros exitum ſibi quærentes, intra cutem detentæ, vique frigoris aut auræ ſubito admiſſæ repreſſæ atque obſtructæ in acres & igneos halitus degenerent, cum multa materia ſalſa & aduſta, in orbem quaſi ſe cogunt & conglomerantur, pertinaciterque ad annos ſæpe cuti adhæreſcunt. Et tunc quidem perverſam & plane alienam naturam induunt. Aliquando autem mobiles puſtulæ ſejugatæ non ſine cruciatu, maximoque ſcalpendi ardore ac pruritu, præcipue æſtate juvenes ut plurimum infeſtant. Has **Ring-worm** noſtrates, Luſitani *Empige* ab Impetigine vocant. Quando inſtar Herpetis exedentis, aliquandiu malum duraverit, externis ſupradictis facile refragatur. Inter topica tamen remedia quæ requiruntur exactiſſima illa graminis juncei ſpecies, *Erva d'Empige* dicta & Siliquæ ſilveſtres longiſſimæ, inter ſimplicia deſcriptæ primarium obtinent. Horum attritu morbus non leviter emendatur, imo in totum nonnunquam tollitur. Interdum locus affectus mutatur & æque vehementer poſtea hominem ſi ab interna cauſa foveatur, divexat. Quamobrem medicamentum compoſitum ex ſuccis ſupradictis ad lavamenti vel unguenti formam, partibus affectis applicuiſſe, eximiam utilitatem præſtitit. Rec. ſucci graminis & ſiliquarum prædictarum partem unam, ſulphuris vivi & nitri partem dimidiatam, Turbith. albi parum ung. refrigerantis caphurati partes duas. *(Vide porro remediorum inſignium copiam contra impetiginem, quam Paulus Ægineta & alii nobis ſubminiſtrarunt.)* In tractu Paraybienſi exercitatiores incolæ nullum remedium præferre ſolent cortici *Cebipira*, cujus affrictus & lotio, ſicut ſcabiem, malignaque quævis ulcera exſiccant & curant; ita abſtergendi beneficio hanc quoque impetiginem feliciter reſtituunt. Multoties tantæ malignitatis hic affectus conſpicitur, ut venæſectionibus, purgationibus ſudoriferis ex ſarſaparilla ſimilibuſque remediis, & diætæ refrigeranti, licet rite inſtitutis, vix cedat. Tunc curationem niſi per ipſum Mercurium, tanquam proprium antidotum, non recipit. Ex quo tamen intempeſtive intus aut externe ſumpto, nonnullos ardentioris pruriginis impatientes in morbos animiq; deliquia non ſine vitæ diſcrimine

 inci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

incidiſſe vidi, ob materiam virulentam ad cor uſque repulſam, quod facile fit, ſi pectus, collum & emunctoria obſita, Mercurii litum non ferant. Enecare autem hominem, per ſe hoc malum ſi corpus cinxerit, ego ſane, quidquid authores ſcribant, nondum comperire potui.

Cap. XXII.

De Externis Malis quorundam Inſectorum.

Bicho dos pes.

MInutiſſimos vermiculos Luſitanis *Bicho*, Braſilianis *Tunga* hæc terra nutrit. Qui ſæpe cum pruritu, raro cum dolore pedum digitorum extremitatibus innaſcuntur. Maximopere infeſtant præ cæteris eos qui nudis pedibus, loca arenoſa perambulant; in quibus utpote calidiſſimis vivere amant inviſibiliter, fugiuntque pavimenta lythoſtrata. Initio in cute exteriori aliquandiu latitant. Mox ingenti cum pruritu, præcipue circa plantas pedum, cutem ſine noxa penetrant, inque ea ſe recondunt. Nihil cum Guineenſibus vermiculis commune habent, qui longi, lati & albicantes chordarum ſpeciem referunt. Hi vero exigui intuſque paulo profundius occultati & veſicula orbilata incluſi, nigricantes apparent, eoſque per Mæſocopium explorare oportet; ſecus enim ne à lynceo quidem exacte ſatis perſpici poſſunt. Tandem ubi ad juſtam magnitudinem, quod eſt circa triduum vel quatriduum excreviſſe compertum fuerit, tunc maxime de exciſione cogitandum, quod ſolius aciculæ aut argenteæ cuſpidis beneficio à Braſiliano aut Æthiope, facillimo negotio fieri conſuevit. Ea ſolum adhibenda cautio, ut vermis membranula incluſus integer eximatur, ne vitioſus humor quidam contentus, quod ſæpe contingit, diſpergatur. Tunc enim nova parti vitiatæ exſurgunt accidentia. Rupta enim veſicula, ſtatim novi generantur, qui vicinas & illæſas partes depaſcunt. Et tunc quidem non minus calamitoſi, quam illi in Guinea habentur, adeoque gangrænam ipſam intuliſſe memini, ut pedum digitos amputare non ſemel coactus fuerim. Videre mihi contigit in Noſocomio, cutem in calce pedis calloſam, ſub qua innumeri latitabant vermiculi, militibus penitus fuiſſe reſectam. Remedium quo præcautionis gratia Luſitani æque ac Braliani inungunt plantas & digitos pedum, eſt mordaciſſimum illud oleum glandium, qui pomis arborum *Acaju* adnaſcuntur. Quod quidem oleum ſit extractum ex immaturis & crudis glandibus; nam ſi maturuerint, qualitate uſtiva caret, & gulæ potius delicias, quam huic affectui remedium præbet. Lachryma flavæ arboris *Camacari* dictæ admotum eidem malo prodeſt. Quod ipſum quoque gentem nauticam pice navali præſtare videmus.

Maribonda *Luſ.* *Braſil.* Copueruçu.

INfeſtiſſima veſparum examina in arboribus nidificantia non armenta, ſed viatores, aufugientes licet, perſequi amant; imo turmis equitum non parcunt irritata, *Mariposas* vel *Maribundas* Hiſpanis appellata. Nidus earum quem in ramorum extremitatibus fabricant, in medicinam receptus eſt, atque contra frigidos affectus, tum interne tum externe potiſſimum abhibetur. Magnitudine & figura Europæis veſpis haud diſſimilia ſunt, ſed crabronibus atque æſtris omnibus infenſiora. Noxia hæc inſecta velociſſima, ipſo eodemque momento, quo inſultant, aculeo rigidiſſime faciem petunt, atque mox avolant. Unde atrociſſimus dolor cum ardore ſummo exſurgit, duratque ultra horam, manente rubore & elata cute. Vix ullum ſatis præſens tam immani cruciatui exiſtit remedium conveniens, quod pars eorum balſamis indigenis, atque refrigerante quodam unguento de *Imbaiba*; pars cauteriis potentialibus, calorem extrahendo præſtat.

Moſcites *Luſ.* *Braſ.* Mariguè.

ALiud porro genus datur vermiculi alati nigrum, adeoque parvum, ut tactus ſenſu potius quam viſus percipi ſoleat. Culicum more gregatim volitant. Nunquam apparent niſi ſumma exiſtente malacia, idque veſpertino tempore potiſſimum, circa fluviorum ripas inter paludoſas illas arbores *Mangues* dictas, hærent. Merito ab omnibus pariter incolis extimeſcuntur hæc inſecta moleſtiſſima; quippe adeo exercent & lancinant agricolas, ut non ſolum membra eorum nuda, ſed & leviter veſtita morſu doloroſo infeſtent, acuumque mucrones referant. Scapha fluvium lento gradu aſcendentibus mecum Hiſpanis, adeo intumuerat, veſiciſque ac rubore conſperſa erat nobis facies, ut à familiariſſimis ne quidem dignoſceremur amicis. Æthiopem juſſu domini ſui palo affixum, perque integram noctem (mirum ſupplicii genus) relictum, poſtridie delirio captum, ex meris doloribus, memini. Peregrinantes per

deſerta

deſerta denſaque Braſiliæ nemora, quo defatigata aura marina vix pertingit, præſentiorem cautelam non amplectuntur, quam ipſum ignem integroſque rogos: tum quoque balſamum *Copaiba* & *Cabuberiba*, quibus membra nuda inungunt. Ante horam unam atque alteram, humores & puncturæ evaneſcere ſolent, modo non nimia frictione vel frigidæ aſperſione irritentur partes læſæ. Dolores apprime ſedantur mucagine cardui littoralis, tum & herba *Pagimirioba* & *Imbaiba*, cæteriſque ejuſdem generis ſuccis inſpiſſatis, quæ frigida & anodyna qualitate pollent.

GUILIELMI PISONIS, M. D.

LIBER TERTIUS,

Qui agit

De Venenis eorumque Antidotis.

MAgno venenorum proventu, quibus paſſim animalia, plantæ, ac mineralia turgent, univerſus Orbis terrarum luxuriat. Præter primum Naturæ inſtitutum accidit, ut quiddam alicui ſit malum & noxium. Nam quod multis alimento, quibuſdam eſt veneno; ac viciſſim, quod uni eſt veneno, ut cicuta homini, quibuſdam animalibus ut Capræ & Sturno eſt alimento. Sic radix altilis *Mandihoca* à venenato ſucco nondum repurgata, homini lethalis, equis & bobus cæteriſque animantibus nutrimentum præbet. Celebris quoque illa herba Mimoſa *Iuquiri* dicta, oves & capras pinguefacit, interimit homines. Baſiliſco venenum eſt naturale & aliis animantibus minime. Non autem Plinio aſſentiendum, qui in eum finem à natura produci teſtatur, ut iis pro libitu homo, incurabili vel animi vel corporis morbo detentus, utatur ac violentis toxico hauſto cruciatibus & vitæ finem imponat. Niſi hoc forte attribuendum huic genti Barbaræ, artibuſque Magicis ſupra modum deditæ & in omnibus prope venenis dignoſcendis mire ſolerti, quibus hoſtes & ſocios, lucri aut libidinis cauſa, pari ſorte exſtinguunt. Mancipia illa ex Africa huc deducta, ubi horrendi voti compotes fieri nequeunt, cum dominorum vitæ inſidiantur, duriſſimæ ſervitutis jugi, inediæ ac variarum calamitatum impatientes, ad unicam illam libertatis viam, nemini non perviam, confugiunt. Veneno ubique obvio, ſibimetipſis atroces manus inferunt. Gratulantes ſibi naturæ renuntiare, vindictamque, dominis plus juſto ſeveris, reponere. Sed hæc, relicto abuſu, ſecus interpretanda ſunt: cum animali non ſolum rationali, ſed & irrationali inſtinctus ſit datus, per quem creatis omnibus dextre utatur, bona & vitæ utilia ſeligat, fugiatque nocitura. Ecquid enim, per Deum immortalem, ex quo non aliquam percipiat utilitatem? ex ipſis viperis adverſus viperas conficit Antidotum, quo venenis omnibus & venenatis morbis reſiſtat. Ex *Mandihoca* radice, maximo ſcatente veneno, optimum alimentum non ſolum, ſed & Antidotum concinnatur. A Scorpio, Scolopendra, Colubro, reliquiſque Serpentibus ictus, ab iiſdem petit remedium. Elephantiacos viperarum eſu frequenter ſanitati reſtitutos Galenus auctor eſt. Nec exiſtimandum benignam naturam remedium denegaſſe, ubi morbum invexerit, ſed omni veneno alexipharmacum indidiſſe atque oppoſuiſſe. Baſiliſci lethifero veneno, muſtelæ virus, ſalivam hominis jejuni, Serpenti, Viperæ, Scorpio cæteriſque venenatis adverſari conſtat. Adeo placuit Naturæ nihil eſſe ſine pari. Equidem vix dixeris venena an alexiteria plura ſint pronata; & ubi ſpecificum incognitum, Diaſcordii & Theriacæ uſus, vicem ſupplet. Sic folia, flores & fructus Herbarum *Tangaraca* & *Iuquerij*, venena Braſiliæ facile prima, propriam ſuam unaquæque radicem, oppoſitum habet Antidotum. Bufoni *Cururi* aliiſque inſectis venenatis, ſolius *Nhambi* decantatæ illius Panaceæ ſuccus ſuffuſus, præſentem mortem infert. Plurima alia hujuſmodi hic producuntur, Barbaris multo quam Europæis ac eruditis, notiora. Qui viperarum pinguedinem & capita, tum & integra inſecta quæ vulnera intulerint, ex arte parata, audacter & felici cum ſucceſſu, venenatis ictibus applicant. Adeoque per ipſos effectus comprobare nituntur in omni venenato contineri ſuum Antidotum. Videatur locus Galeni lib. 11. de Simplicib. cap. de Dracone marino; & libr. de Theriaca cap. 11.

Quamvis autem occaſione multoties deſiderata multa nondum explorare licuerit, ea tamen quæ aſſequi atque addiſcere potui, poſteris ulterius indaganda relinquo. Nec enim facile eſt veneni ſpeciem cito diſtinguere; neque etiamſi cognoſcatur, protinus illius proprium

alexi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

alexipharmacum ſuccurrit. Accedit, quod aliqua reperiantur; quæ in Europa venenata, hic veſca, vel ſaltem minus noxia ſint, & vice verſa; quippe ranæ & piſciculi hic dantur præter opinionem venenati: E contrario formicæ illæ grandiores, tum carnes aliquot ſerpentum, lacertorum, bufonum, vermium & glirium ſilveſtrium, primis incolis inter delicias habentur. Idem Plinius de Africa confirmat lib. VI. cap. 29. Celſus lib. V. cap. 36. Scaliger Exercit. 189. ſect. 4. In India atque Æthiopia non ſolum innoxios ſerpentes multos, ſed etiam eſculentos dari, ita ut Ophiophagi dici poſſint.


Præ cæteris autem in Braſilia, centipedes *Caraſitu* & *Caramouritu* virides & nigri, toſti & eviſcerati; tum imprimis vermes illi *Iarumai* & *Caramatori*, pingues & albicantes, inque medulloſis ſilveſtrium palmarum truncis viventes, in pretio illis ſunt. Plinius lib. XVII. cap. 24. Ælianus lib. XIV. de Animalib. cap. 13. narrant vermes in uſu multis Indis eſſe.

Innumera alia portentoſa à Tapuyeris fando accepi, quæ, quod eorum aliqua forte fabuloſa, ſilentio prætereo; tantiſper donec ulteriore inveſtigatione atque experimento eorum veritas magis illuceſcat. Multa equidem inter hæc notatu digniſſima, à nemine tamen, quod ſciam, Luſitanorum, ſcriptis mandata, adeoque neglecta, ut ne veſtigium quidem horum ac ſimilium naturæ mirabilium exſtet, unde lucubrationes Phyſicas quis illuſtrare poſſit. Quædam nativa recondita habent veterani agricolæ, quibus ſibi ſuiſque Europæis remediis deſtituti, coguntur ſuccurrere. Quamobrem maximam partem, multis precibus à Barbaris extorquere neceſſe fuit: qui ſicut tenebriones ſunt in porrigendis venenis & pertinaciſſimi in revelandis ejuſmodi ſecretis; ita officioſi in exhibendis antidotis; dictoque citius ubi de natura veneni conſtiterit, in ſilvis efficaciſſimas herbas colligunt, quas contuſas inſtar potionis ægris ſubminiſtrant, animaſque pene exſtinctas ſuſcitant. At vero, his remediorum generibus non contenti miſeri mortales, ac ſuperſtitioſi barbari, futilia illa ac illicita, ut faſcinationes, incantamenta, philtra ac ſortilegia amplectuntur. Quod tamen ex parte condonandum huic genti profanæ, utpote nullis literis vel Dei cultu imbutis, ſed Stygiis tantum atque infernalibus auguriis, ultra quam credi poteſt, deditæ. Illud mirum, reperiri etiam inter Chriſtianos, quos inſana hæc & ridicula credulitas involvat. Pudet profecto, quam indigne homines cætera cordatos, mancipiorum & pecorum ſuorum externos & internos affectus, neſcio quibus præſtigiis à ſe curatos gloriari, meamque incredulitatem haud parum accuſantes, audiverim. Quum tamen quæ primum technis impoſtorum, veneficiis ac magicis incantamentis obvelata erant, longo poſt tempore ingenii aciem intendentibus, detecta ſtolidam opinionem exemerunt. Nemo equidem tam excors, quin fateatur plurimos præter expectationem Medici, citra artem, abſque manifeſta cauſa ſanitati reſtitui vel ſola imaginationis vi; quin imo væcordia potius eſſet, omnia manifeſtis qualitatibus aſcribere & occultas illas totius ſubſtantiæ proprietates tollere. Videatur Andræas Cæſalpinus quæſt. XIII. Sed hæc nihil ad præſtigia aut patrocinium impoſtorum reſpiciunt. Verba & characteres ſunt Medicinæ dæmonum, ſyrupi & Apozemata hominum, inquit Paracelſus. Ex Agyrtis & circumforaneis qui pluſculum ſapiunt, norunt quo tempore & quibus morbis ſua amuleta inſtituant. Si ſucceſſu res careat, æger incuſatur. In minimo enim qui peccat, omnium fit reus. In myſteriis magicis, qui cadit ſyllaba, cadit cauſa. Plebecula maxime dedita ejuſmodi nugis, plus fidei & ſpei iis concipit, gaudens falli ſpecie recti. Orationes cum certis cæremoniis dicendas ſuſcipit, & jam vix demurmuratis verbis vi fortiſſimæ imaginationis, aliquam convaleſcentiam ſentire ſe clamitat. Quod ipſum quoque Galenus his verbis teſtatur; plures ſanat, cui plures fidunt. Unde merito credulos Agrippa ad ſacra magiæ cæremonialis admittit. Sed longius provectus, dum me tantæ credulitatis piget tædetque, revoco me & ad venenatorum enarrationem redeo. Quorum occultæ qualitati, abdita quoque medicamentorum proprietate (quæ per experientiam fuerit revelata) ſuccurrendum.

Inter venenata Braſiliæ animantia, Serpentes primum locum occupant, è quorum numero circiter viginti hactenus innotuerunt, ut ſunt, *Boiguacû*, ſive *Iiboya*, *Arabô*, *Boiobi*, *Boicininga*, *Boitrapô*, *Boycupecanga*, *Boipeba*, *Cucurucu*, *Caninana*, *Curucacutinga*, *Guinpaiiaguara*, *Ibyara*, *Iacapecoaja*, *Ibiboboca*, *Iararaca*, *Manima*, *Vona*, *Tareiboya* & *Cacaboya*, *Amorepinima*, quorum tres noviſſimi ſunt angues aquatici. Frequentiores ædes & ſilvas perreptantes, in hoc habitato Parnambuci tractu attingo; reliquorum minus cognitorum naturam, cogor præterire. Horum Serpentum Americanorum aliqui, Europæis minus ſunt noxii, utcunque tamen majores & vegetiores iis exiſtunt; quaſi harum regionum calor externus, nativum in hiſce frigidis animantibus intendat. Præter Galeni aliorumque teſtimonia, multa ſunt argumenta ab ipſa experientia deſumta, quæ evincunt temperiem nactam eſſe frigidam, omnem lacertorum & Serpentum cohortem, contra Avicennæ opinionem. Nam non ſolum contactus ipſe frigidus vel maxima æſtate, hoc arguit, ſed eorum nonnulli ad menſes, nonnulli ad ſeptimanas aliquot vivi abſque cibo reſervati, hoc confirmant; cum tamen ſi quid eſculenti illis

illis præberetur, comederent. Idem teſtatur magnus Scaliger commentariis in Hiſtoriam Animalium, lib. 11. &c.

BOICININGA.



Primo Serpens ille, *Boicininga*, quem *Caſcavel* & *Tangedor* Hiſpani nominant, propterea quod ſonitum inſtar tintinabuli caudâ edat, in triviis juxta ac deviis locis cernitur, tamque celeriter proreptans ut volare videatur. Huic tam pernicioſo colubro, benigna natura, cautionis quaſi gratia, nolam addidiſſe videtur, ut illius ſonitu admonitus quilibet tempeſtive ſibi caveat à vicino hoſte. Brachii eſt craſſitie, longitudine interdum quinque pedum, lingua biſulca, dentibus longis & acutis, colore fuſco & ad flavum vergente. Quotannis articulus, quo infeſtare ſolet, in cauda creſcit, cujus extremitate in anum hominis immiſſa, mortem infert confeſtim; venenum autem quod ore vel dentibus infert, multo lentius vitam tollit. Ex vulnere mox ſanies cruenta effluit, caro livet, ulcuſque paulatim ſerpit. Ad remedia extrahentia, vulnus dilatantia, ſcarificationes, cucurbitulas, & ſi pars læſa intercipi poſſit, ad vincula feſtinandum, idque junco *Iacape*, cui remedio maxime fidunt Braſiliani; ſin minus, cauterio utendum eſt. Interim dum veneni qualitas ad cor penetrat, curandum ut interius præmuniatur *Tipiocæ* hauſtu, ſudoreſque evocantibus inſiſtendum. Præſentiſſimum præ cæteris remedium, quod Barbaris contra hujus aut qualiſcunque Serpentis morſus reſtat, eſt ipſius nocentis caput, quod contundunt, contuſum emplaſtri forma vulneri calens applicant: cui remedio ſimul addunt, in omni fere morſu, ſalivam hominis jejuni, qua perpetuo partem affectam demulcent, (Plinius lib. VII. cap. 2. Galenus lib. X. Simplic. Scaliger in Hiſtor. Animal. lib. 11. cap. 18. hanc ſalivæ vim quoque agnoſcunt) adeoque his duobus Antidotis nituntur, ut deſperent, ſi in illis voti compotes non fiant. Ego hæc & ſimilia remedia, quæ longa illis experientia dictavit, jubente neceſſitate, lubenter ſum imitatus. Non intermittendo tamen ea quæ à venerandâ antiquitate & authoribus nobis ſunt relicta. Ne nimium temere hiſce novitiis, aut pertinacius veteribus viderer adhærere.

CUCURUCU.




CUCURUCU eſt anguis craſſus, cineritii coloris, interius flavus, externis maculis nigris diſtinctus, & iiſdem ut *Caſcavel* ſquamis veſtitus; novem & interdum duodecim pedes longus. Maxime eſt venenatus & plurimum metuendus, licet caro ejus præparata à Barbaris comedatur. Præcipuum illi venenum in capite, ideoque Braſiliani intercepto quantocius caput amputant & cooperiunt humo. Ab illo ictus, corripitur vertigine, tremoribus, torminibus, animi deliquiis, febribus ardentibus, quibus ſudor frigidus ac ipſa denique mors, intra diem naturalem, aliquando & celerius ſuccedit. Præter enarratas qualitates, peculiare eſt huic Serpenti, quod morſu ejus virulento, venæ erodi videantur, tantamque inflammationem & ardorem efficiat, ut ſanguis bulliens mox è naribus, auribuſque, imo manuum & pedum unguibus promanet. Huic malo ſi quæ Medicina detur, ipſius Serpentis, qui morſum intulit, caput emplaſtri forma, vulneri applicatum; tum & folia Tabaci recentia, leviter tantum ab ignis flamma tacta, mirabiliter proſunt, cauterii loco. Idem præſtat contra hujus, aliorumque Serpentium morſus radicis *Caaapia* decoctum. Deinde ſuccedunt ſudorifera, vel ipſo ſtatim initio convenienter exhibita, ut ſunt radices *Iurepebæ*, *Vrucu*, *Malviſco*, *Iaborandi*, inter ſimplicia ſatis ſuperque deſcripta.

BOIGUACU.

BOIGUACU, ſive *Iiboya*, Serpentium omnium facile maximus, pectus fere hominis craſſus, Luſitanis *Cobre de Veado* dictus, quod Dorcades integras devoret, idque ſugendo potius quam maſticando. Ex horum genere quidam octodecim vel quatuor & viginti pedes reperiuntur longi; Cineritio, ſpadiceo variegato ſunt colore. Non æque veneno, ut multi alii, turgent. Carne eorum non ſolum Indigenæ & Nigritæ, ſed & noſtrates veſcuntur. Famelicus hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


anguis vel ex dumetis proſilit, caudæque ſuæ nitens, horrende ſe erigit & ſtrennue cum feris & hominibus luctatur, & ſibulat irritatus: vel ex arbore inſidioſe in viatorem deſilit, eumque



validiſſimis cingit amplexibus, ita ut vel ſola complexione interimat: nec minus validi atque feroces exiſtunt, duo ingentes illi *Arabo* & *Cucuraciu*, hominibus æque ac capreis inſidiantur. Quippe omnes hujus generis ſolidis vertebris & coſtis præditos ex Anatome animadverti. Ictus eorum vix cenſetur venenatus, & per ſe aliquando, etiamſi nullo vel leviori ſaltem adhibito remedio, curatur. Ita ut hi inter non venenatos Serpentes, de quibus paſſim auctores multa teſtantur, debeant numerari: quibus *Caninana*, *Mavina* & *Vocia* annumerare licet, quod nihil vel parum ſaltem hominibus noceant. Vide Voſſium de Idololatria Gentili lib. IV. cap. 58.

IARARACA.

Brevis eſt hic Serpens, raroque ſemicubiti longitudinem excedit, venis quibuſdam in capite prominentibus, inſtar viperarum, & haud aliter quam illæ ſtridens: rubris & nigris ma-



culis inſignis, cæterum terreo colore: ejus morſus venenatus non minora adfert ſymptomata, quam vel reliquorum Serpentum, exceptis iis qui lentè & clam vitam depaſcuntur. Ipſa fera poſtquam vulnus inflixit, à cute, cauda, capite & intraneis repurgata, & in aqua radicis *Iurepeba*, cum ſale, oleo, porro, anetho & ſimilibus cocta, à vulneratis comeditur, magnoque illis ſolet eſſe præſidio. Convenit denique præ cæteris, *Caatia*, quæ merito *Herva de Cobras* dicitur, quod foris & intus exhibita, hujus aliorumque Serpentum morſus facile reſtituat. Idem feliciter præſtant acini arboris *Guibira*, contuſi & morſibus applicati.


BOITIAPO.

Boitiapô Braſilienſibus; Luſitanis, *Cobre de Cipo*, anguis eſt vix brachium craſſus, ſeptem pedes longus, Olivacei coloris, victitans ranis. Maxime venenatus, ac æque calamitoſis malis auctor exiſtit, quam morſus *Cucurucu*, quippe eadem vi, eodemque modo ab extremitate membrorum ſanguis diſtillat. Remedio autem vix ulli cedit, niſi igni forte vel ferro, modo pars læſa tam violentum remedii genus admittat.

IBIIARA.

IBIIARAM viperam (Iconem vide apud Marcgravium) *Cobre Vega*, vel, *Cobra de dos Cabecas* appellant Luſitani, quod duo capita videatur habere, ſed falſo. Ipſe Plinius, qui idem de eadem teſtatur aliorum forte relatu, deceptus fuit. Familiaris & frequens eſt, ſub ruderibus in terra latitans; Formicis veſcitur: digiti eſt craſſitie, ſeſquipedis longitudine, atque argentei coloris. Ejus morſu nihil eſt virulentius, non tamen citra ſpem curationis exiſtit, ſi ſupradictis remediis tempeſtive interne & externe utaris. Quæ, quod nihil immutandum occurrit, toties repetere ſupervacaneum duco.

IBIBOBOCA.



IBIBOBOCA Braſilienſibus, anguis pulcher, Luſitanis *Cobre de Corais* appellatur, duos pedes longus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

longus, pollicem autem craſſus, colore niveo, & nigris, rubriſque maculis variegatus. Morſus illius venenatiſſimus, non extemplo vitam depaſcitur, ſed tarde ſe promovet. Sanatur emplaſtro è capite Serpentis concinnato & efficaciter appoſito. Pulvis plantæ *Nhambi*, tum & ſuccus foliorum *Caapeba* & *Caiatia*, vulneri inſtillatus, extrahit virus.

BOIOBI.

BOIOBI Braſilienſibus, Luſitanis *Cobre verde*, ulnæ eſt longitudine & pollicis craſſitie; coloris porracei & pulchre micantis. Ædificiis gaudet, neque ulli nocet niſi irritanti; morſus tamen illius venenatus, remedio quamvis eximio vix cedit. Radix autem illa nodoſa herbæ *Caa-apia* contuſa & ex aqua pota, ſummopere prodeſt, cæteriſque herbis antidotalibus facile palmam in hoc caſu præripit. Miles quidam gregarius anguem hunc inter arbuſta latitantem, dum pede forte conterit, ab eo in femore demorſus, paucis poſt diebus, toto corpore tumefacto & liveſcente, deficiente radice *Caa-apia*, cæteriſque remediis fruſtra adhibitis, præſentibus commilitonibus, quam miſerrime exſpiravit.

CANINANA.

CANINANA Serpens, ventre eſt flavo, dorſo autem viridi, octo circiter palmos longus, inter minus venenatos habetur: ovis victitat & volucribus: Capite & cauda reſectis, ab Afris & Americanis comeditur. De peculiari illius antidoto, nihil adhuc certi affirmare poſſum. Vulgaribus alexipharmacis ſive Europæis, ſive indigenis ſupra enarratis, malum ſi quod infert facile expugnatur. Familiare autem illud decoctum antidotale, ex radice *Iurepeba*, cum pauxillo ſalis, huic aliiſque morſibus vel puncturis venenatis ſæpe applicandum eſt; nec non fructus *Ananas* viridis, iſque in cataplaſmatis modum contuſus. Denique ſi neceſſitas ulterius urgeat, pars læſa ſcarificetur, moxque vivus gallinaceus pullus imponatur.

IBIRACOA.

IBIRACOA Braſilienſibus, Serpens eſt variegati coloris, albis, nigris, rubriſque maculis inſignis. Ejus morſus eſt admodum venenoſus, & peſſima ſymptomata infert, haud ſecus quam *Cucurucu*, ut à Braſilienſibus accepi; quippe ſanguis quantocius à morſu, ex auribus, naribus & oculis profluit & niſi ſtatim ſubventum fuerit, moritur vulneratus. Si virus nondum ad cor abierit, carne ipſius anguis cocta cum radice *Iurepeba*, *Iaborandi*, *Malva Iſco*, *Caapeba*, *Capypuba*, additis ſummitatibus *Nhambi*, ex vino interne exhibitis vulnerati reſtituuntur. Addatur externum remedium, ex capite ipſius feræ contuſo & cum *Herva de Cobre*, aliiſque ejuſmodi ante enarratis, præparatum.

TAREIBOYA & CACABOYA.

Poſtremo angues duo amphibiorum more, modo in lacubus, modo in ſicco degentes conſpiciuntur, ac proinde hydri vel natrices jure dici poſſunt, tametſi non æque pernicioſi ac noſtri Europæi eſſe perhibeantur. Atri ſunt prorſus nec valde magni. Irritati nocent, vulnuſque facile curabile infligunt. Prior *Tareyboia*, poſterior *Cacaboya* appellatur, qui lutei eſt coloris, ſex palmas longus, ruricolis potius extimeſcendus quod Gallinas devoret, quam quod homini lethale venenum inferat. Tamen ſecuritatis cauſa Herbæ *Nhambi* & *Erva de Cobras* appoſitæ ex arte, vim veneni, ſi quod modo ſit, retundunt.

CROCODILUS.

Crocodili in fluviorum, ſtagnorumque latebris degunt, Africanis Crocodilis ſimiles, ſed utique minores: raro quinque pedum longitudinem excedunt, *Iacaré* Braſilienſibus, noſtris Caymans dicti; hominibus natantibus inſidiantur, rictu late diducto, acutiſſimiſq; dentibus, ingentia vulnera inferunt. Quæ vulgaribus remediis coaleſcunt, præſertim vero adipe ipſius animantis. Vulnerati pariter, & non vulnerati Crodilos ſummo ſtudio venantur, partim propter virtutem Medicam adipis; partim ob ipſorum teſtes myrothecium inſigniter redolentes, quos magno pretio divendunt. Omaſus quoq; hujus *Iacare* exſiccatus & in pulverem redactus, contra morbos calculi ab incolis exhibetur. Ova quæ plus quam viginti vel triginta ſubinde profert, anſerinorum ovorum magnitudinem excedunt, nec ſolum à Barbaris, ſed & militibus noſtratibus expetuntur & comeduntur. Idem de ipſa carne Crocodili exenterata dictum volo.


BIBORA.

Inter tot lacertorum exercitus, qui paſſim in ſilvis, ædiumque ruderibus conſpiciuntur, unicus tantum, quantum quidem conſtat, reperitur venenoſus, qui *Bibora* dicitur. Cæteris lacertis non adeo quidem diſſimilis eſt, ſed minor, digitique majoris magnitudinem vix excedit. Cute eſt cineritia & magis albicante. Corpore omnibuſque membris craſſioribus, venenoque tumentibus; cauda denique multo breviori & latiori exiſtit. Plaga ab eo illata dilutam fœtidamque ſaniem effundit, cum tumore livido, cardialgia, torminibus, ac magnis crucia-

tibus. Peculiare huic malo antidotum nondum eſt inventum. Quapropter hæc aliaque communibus alexipharmacis tam exoticis quam indigenis, exturbanda ſunt.

SCOLOPENDRÆ. AMBVA. SCORPIO.

Scolopendræ grandes & exiguæ, ut & centipedes hirſuti *Ambua* dicti, ac arcuatim repentes ad Venenatorum ordinem referuntur. Illæ ædes, hæ ſilvas perreptant, olerumque hortenſium frutices non ſolum, ſed & homines infeſtant. Scorpiones Europæis ſunt ſimiles, licet non æque noxii, proinde ictus eorum curatu minus difficiles. Verum cum horum trium inſectorum natura & curatio ab Auctoribus paſſim ante me tradita ſint, nec quicquam ad ulteriorem illuſtrationem occurrat, acquieſcam. Quippe ſolum oleum quod eorum viventium qualitates abſorbuerit, contra morſus vel ictus cum ſucceſſu applicatur.



NHANDVGVACV.

Ex Araneorum genere inſignis & ſtupendæ magnitudinis hic reperitur (forte idem cujus Plinius meminit in Indiis paſſeris magnitudine conſpici) qui in ruderibus & veterum arborum concavitatibus nidificat, *Nhanduguacu* appellatus. Eum cæterorum minorum ritu texere nondum compertum eſt. Exuvias deponit; niger eſt hirſutus, dentibus acuminatis & prælongis armatus, ob pulchritudinem & uſum in pretio habitis. Irritatus venenatum aculeum cuti infigit, ita tenuem, ut vix conſpici poſſit. Hinc tumor lividus non ſine cruciatu, multoque dolore exſurgit. Nonnunquam ratione partis percuſſæ & ſymptomatum ſupervenientium malum adeo exaſperatur, ut incurabile reddatur, omnibuſque remediis, cum ab Indis, tum à me inventis, prorſus refragetur. Proinde ratio habenda ut vulnus dilatetur, remediaque paſſim ex officinis & authoribus petita, forinſecus & intrinſecus adhibeantur: Inter quæ ſit Cancer *Aratu* præparatus eodem modo ſicut in capite de Piſce *Guambajacu* ſum dicturus.

PISCES VENENATI.

Inter planos Piſces cartilagineos dantur Paſtinacæ marinæ, Torpedinum & Rajarum ſpecies, læves, cæruleæ, ſine ſquamis vel aculeis in toto corpore, præterquam in caudæ principio, ubi duo breves non ſerrati, ſed ad ſagittæ figuram formati apparent, ac proinde hi Piſces à noſtratibus merito **Pijlſtaert**; à Braſilianis *Narinari* appellantur. Iconem vide apud Marcgravium. Non procul à littoribus degunt, veſcuntur Piſcibus, quibus ex occulto inſidiantur, radiumque iis infigunt, quo ablato edules ſunt, ſicut fere omnibus illis terreſtribus & marinis pecoribus contingit, quæ ictu vel morſu tantum venenum infundunt. Pars vulnerata infeſtiſſimo dolore, aliquando & paralyſi miſere afficitur. An aculeus etiam mortua paſtinaca vires ſuas ſervet, atque non ſolum in animantes, ſed & in ſaxa & herbas, exſerat eas, ſicut Oppianus, Ælianus, & alii teſtantur de Europæa paſtinaca, ego nondum comperi. Dolores ſedantur optima illa radice *Mangue* aſſata, eodemque modo ſicut in ictu Piſcis *Niquî* dictum eſt. Dein dilatato vulneri ejuſdem Piſcis jecur, & teli ipſius cineres cum ſucceſſu applicantur. Ita ut hic quoque Piſcis veneni ſui antipharmacum in ſe habere videatur.

De Braſilienſi Torpedine, ejuſque malo, vix ad horam unam atque alteram durabili, quia cum Europæa in pleriſque convenit, iiſdemque remediis & eodem modo curatur, particulatim nunc agere ſupervacuum duco.

MOVCICV.

MOVCICV Braſilienſibus, excrementum maris pellucidum; pulchre rubrum & leviſſimum; bullæ inſtar, figura varia, nunc ovali, nunc triangulari fere, aquis ſupernatat; fla-




tuque intus contento turgidum, ſtrepitum edit ſi vi rumpatur. Qui nudis pedibus littora obambulant, bullamque hanc venenatam minus provide conculcant, magno doloroſoque ardore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ardore afficiuntur in plantis pedum licet calloſis. Ad horas aliquot durat malum, invito quovis remedio refrigerante & anodyno, ad quod confugiunt ſæpe fruſtra: ego felicius cauſticis & calidis ad extrahendum ardorem uſus ſum: applicato mordaci illo oleo caſtaneæ de *Acaju* diſſoluto in ſpiritu vini.

NIQUI.

Noxiis piſcibus annumerantur quoque uterque illi, qui Niquî dicuntur Braſilienſibus. Aculeis in capite & dorſo præditi ſunt admodum noxiis, quibus irritati, tanta vehementia



pungunt, ut dolor non ſolum intenſus inde exoriatur, ſed membrum paralyticum pro tempore maneat, præſertim ſi telum (quod aliquando fit) in parte vulnerata relinquatur. Præſentiſſimum remedium eſt, dilatatio vulneris, applicata mox radice *Mangue* aſſata & contuſa. Unde quidem dolores in inſtanti exacerbantur, ſed mox ceſſant.

Hactenus de Natura Serpentum eorumque animantium, quæ morſu vel ictu virulento hominibus inſidiantur & toxico ſuo nocent. Quibus calidas & humidas haſce regiones abundare haud mirum eſt, quod pauca agricolarum induſtria excultæ, nec vi frigoris à venenatis & noxiis animantibus repurgatæ, eæ in immenſum multiplicentur. Nunc ad illa venena quæ intra corpus aſſumuntur deſcendamus. Quæ quidem duorum ſunt generum, nempe venenata tantum, vel etiam manifeſta qualitate nocentia. Utriſque ſua remediorum genera, manifeſtæ vel occultæ qualitatis oppoſita ſunt, quæ licet diverſa, tamen in curandi modo conveniunt. Nam cujuſcunque generis venena ore percepta, ſi in prima adhuc corporis regione hæreant, per vomitum & clyſteres exturbare convenit: ſin in corporis receſſus abierint, circumferentiam verſus trahuntur. Interim cor adverſus hoſtem admiſſum, muniri debet, modo vera & infallibilia ſigna veneni intus aſſumti compareant. Non enim æque manifeſte hic atque in morſu vel ictu Serpentum morbi cauſa ſe profert, ſed fere latet, quia qui venena ſubminiſtrant variis technis dolum non ſolum tegunt, ſed execrandis artibus, novas quotidie mixturas comminiſcuntur, applicando activa paſſivis, & qualitatibus, aut addendo, aut demendo, ut longo tempore poſt, ſigna illa & ſymptomata ulla vix ſe prodant. Nec enim (ut fieri ſolet iis qui forte improvide ſimplex aliquod venenum hauſerint) ſemper animi & virium defectus, cordis anguſtia, vertigo, vomitus, torvus aſpectus, aliaque ſimilia ſubſequuntur, ſicut Galenus docet cap. VI. de locis affectis evenire. Quid; quod ſubinde vix ulla primis menſibus triſtitia aut leviſſimum ægritudinis indicium in illis notetur. Donec tandem longo temporis intervallo, ungues & corporis extrema livere incipiant. Aliquando nihil niſi poſt mortem exterius apparet prorſus, atque unum vel alterum viſcus corruptum ac tabidum per anatomen ſeſe offert. Cur & quantum venena lateant docet Thom. à Vega Com. in loc. Affect. Utinam Barbarorum nequitia numquam excogitaſſet tam pernicioſos horum venenorum abuſus, minorique ſolertia præparare noviſſent, ut ocius vel tardius operarentur, Nam licet ob majorem vel minorem ſubjecti reſiſtentiam, ea arte concinnare illa neſciant, ut ſtata hora interimant: tamen ut experientia potius quam ratione conſtat, ignaviorem eſſe cicutæ ac opii operationem, quam arſenici aut ſublimati: ita venena illi habent vel ſimplicia vel compoſita, quæ exhibita & admota ad menſes aliquot ſepulta manebunt, antequam ſuas facultates exerant. Unde liquet venena haud una eademque ratione operari, neque recta ad cor ſemper ferri, ſed eam partem maxime occupare, cum qua occulte inimicitiam exercent: Cum alias teſte Avicenna oporteret omnia venena eſſe frigida & ſicca. Nam ſicut Solanum & Hyoſciamus; ita quoque fel piſciculi *Guambajacu* cum capite antipathiam habet. Fungi & *Manipuera* nervos infeſtant, ſpaſmos convulſioneſque mortiferas inducunt.


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Supplicium quidam Braſiliani venefici ſubituri, mihi obnixe roganti, ut me horum arcanorum priuſquam è vita diſcederent, participem facerent, inviti pauciora quædam revelarunt, faſſique ſunt, impune non ſolum ſe hæc & ſimilia veneficia exercere; ſed & regium eſſe laudemque mereri inter ſuos, ingenii ſolertia excellere, novaſque veneni miſcelas excogitaſſe. Illi namque ſagittas, aquam, aërem, veſtes, cibos & fructus creſcentes inficiunt, ut tardius & pedetentim, non ſtatim homines extinguant.

Sic fellis Bufonis *Cururu* & vermiculorum ex venenato ſucco *Manipuera* pronatorum, herbarum denique *Tangaraca*, *Iuquery*, fructuum *Ahovay* & *Mucuna* aliarumque multarum vires artificioſe & variis modis ab illis intenduntur ac retunduntur. Ita ut in his ac ſimilibus venenis, ad innatam abditamque eorum vim, occulta quædam mixtura accedat, ac proinde curationis aliquando ſit exſors. Quapropter ipſo Veneno, quo noxa eſt illata, incognito, ad communia primum antidota, paſſim à Dioſcoride, aliiſque authoribus prodita, dein ad propria illa nativa, ab incolis primis celebrata, confugiendum. Multa ſane ad hanc doctrinam facientia deſiderantur, ac fortaſſe ſemper deſiderabuntur, invito ſedulo ac indefeſſo, occulta remedia inveſtigandi ſtudio, adverſus tot abditas & tam malignas rerum qualitates, calamitoſo generi humano infeſtas. Si vero contingat ſigna venenorum calidorum & frigidorum, tum & obſtruentium, ſuffocantium atque erodentium in ægris apparere, ſingulis ſtatim qualitatibus ſua opponenda eſſe remedia contraria nemo ignorat. Minus tamen conſultum ſolis illis fidere; quia licet manifeſtarum qualitatum ſymptomata multa graviora videntur, aliis latentibus, occulta tamen magis exitialia adeoque pluris facienda ſunt.

CURURU.

Inter venena quæ deleteria potiſſimum vi pollent eſt bufo *Cururu*, inſignis & tumens, duploque Europæo major, cineritii vel ſpadicei coloris, nimium notus, ac quovis modo vel mictu & ſaliva exterius, vel intus, longe quidem pejus, ſanguine, imprimis felle aſſumto, inficit. Hos perditiſſimi Barbari aliique eorum æmuli torrefactos in pulverem redigunt, & lethalia inde pocula conficiunt, eaque vel minima quantitate clam propinant. Hinc faucium ſtatim & gutturis inflammationes, ſiccitates, anhelitus, fætores, ſingultus, vomitus, dyſenteriæ, animi deliquia, oculorum caligines, convulſiones, deliria, ac pallores. Si remedio locus, corpus ſtatim per ſuperiora & inferiora evacuant & liberant à reliquiis veneni, exercitio, balneo, ægro in furnum calentem vel animal diſciſſum impoſito. Generalia alexipharmaca, compoſita, per dies aliquot, juxta & *Tipioca*, tum radices nativas antidotales ex vino propinant. Præ cæteris vero herba *Nhambi*, quæ prærogativam à benigna natura videtur accepiſſe, tam magno malo adverſam, exhibenda. Nam etiamſi bufo, hic tam pernicioſo turgeat veneno, non tamen ita invincibile eſt, ut ſuo contrario non cedat. Quippe ſolus ſuccus Nhambi, expreſſus & capiti vel dorſo bufonis (præſertim prius in terram fricato) inſtillatus, illum dicto citius interimit. Ranæ quoque dantur variæ, terreſtres & paludoſæ, partim edules, partim, ſicut in Europa, non edules. Idem Plinius lib. XXXII. cap. v. de quibuſdam ranis teſtatur.



COTORA.

Illa quæ *Cotora* à Braſilianis nuncupatur, intus aſſumta, veneno eſt, quod ſupradictis remediis facile expellitur: forinſecus vero applicata & ex arte linimenti vel emplaſtri forma præparata, doloribus articulorum & membrorum ex frigore natis, medetur.

PISCES VENENATI.

Inter tam immenſa fluviorum & marium pecora Americana, quædam in totum edulia, quædam parte aliqua vel externa, vel interna venenata habentur. Quod ut in aliis animantibus, ita in Serpentibus & quibuſdam Piſcibus evenit. Sicut enim Draco marinus in Europa ſolis ſpinis, Paſtinaca ſolo radio, Julides ſolo morſu venenum infundunt, aliis partibus ſine pernicie edulibus: ita imprimis in his Piſcibus *Guambajacu* videre eſt, qui non minus externa facie, quam interna qualitate ſunt admirabiles. Cæteris autem ejuſdem ſpeciei præeminet familia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

familiariſſima rana piſcatrix, *Guambaiacu atinga*, parvus, vix palmam longus, pictus, pulchris oculis, rotundus, qui inter Orbes habitus, Luſitanis & Belgis merito ſufflator dicitur, quod mirum in modum ab aquis extractus ronchum quendam edat & ad orbis figuram ſe inflet, atque in momento intumeſcat ac detumeſcat. Multum expetitur & pro epulis, maximo interdum vitæ diſcrimine, ab imperita plebe apponitur, ſi à folliculo fellis non probe liberetur. Intra horæ namque ſpacium, ejus particula vel ciceris magnitudine aſſumta, tam horrenda ſymptomata infert, ut mox ægro caligent oculi, mens vacillet, lingua tardeſcat, membrorum tremor, ſudorque frigidus ſubſequatur, facultates omnes reſolvantur & ſileant, moxque veneno extinguantur. Sed benigna mater natura, præſens ac facile remedium huic calamitati oppoſuit. Cum prædicti enim orbes *Guambajacu* juxta fluviorum oſtia, ubi paludes & ſtagnantia loca ſingulis æſtibus inundantur, ſedem figant, iiſdem quoque locis plurima Cancrorum genera vivunt & arbuſta habitant paludoſa. Quos inter non ita magni reperiuntur, multiplici ac variegato colore, cæruleo, albo, rubro, violaceo, chelis æqualibus armati, quorum crura pilis nigricantibus ſunt veſtita. Hos *Aracu* appellant Braſiliani. Ex his unus contuſus & ex vino, citra moram aſſumto veneno (nam ante horas quinque vel ſex lethum ſæpe infert) propinatus, per vomitum virus exturbat, qualitateque occulta malo validiſſimo reſiſtit. Præmiſſis ſpecialibus, communia quoque præſidia ſuperius tradita non negligenda, ut ſunt *Tipioca de Mandihoca*, radices *Iaborandi*, *Ipepacuanha*, *Caiapia*, *Urucu*, aliaque ſimilia remedia quæ neceſſitas excogitavit. Nec forte natura differt hic Cancer Braſilienſis, ab illo de quo Galenus in libro ſimplicium contra Pelopem præceptorem ſuum contendit, Cancrum rabioſis conferre occulta, non manifeſta qualitate. Et Plinius lib. IX. cap. 31. eos contra Serpentum ictus mederi dicit. Et imprimis illud lib. V. cap. 32. Cancri fluviatiles triti potique ex aqua recentes, contra omnia venena proſunt. Morſis vero à cane rabido, item Phalangio, Scorpio aliiſque venenatis prodeſſe etiam apud Ariſtotelem legere eſt lib. IX. cap. V. Dioſcoridem lib. II. cap. 12. & Galenum lib. IX. de ſimplicium medicamentorum facultatibus; Ætium lib. VI. cap. 24. Æginetam lib. V. cap. 3.

Alius datur *Guamajacu guara* Braſilienſibus dictus, priori multum ſimilis, ſed viridioris coloris. Noxam fere eodem modo infert fel illius, ſed longe remiſſius, quam præcedentis; curatur autem eiſdem remediis.

Tertius denique *Guamajacu-ape* Braſilienſibus, ejuſdem quidem generis, non tamen orbicularis, ſed potius triangularis; à ſquamis quoque ut cæteri nudus, verum quaſi ſcutiferus & loricatus. Hic ſi ex cacabo ferventi accipiatur & calidus comedatur, adeo mentem ſtatim turbat, ut nonnulli ebriis, quidam & phreneticis ſimiles videantur: Sin vero coctus per integram noctem ſervetur, cæteris piſcibus dignitate neutiquam concedit, atque tuto convivis apponitur.

FUNGI.

Novem fungorum ſpecies diverſis nominibus ſunt diſtinctæ, ſicut alibi traditum eſt, quos omnes generali nomine *Carapucu* nominant. Horum quoque in hoc Americæ tractu, ſicut in Europa, alii venenati, qui confracti varii ſunt coloris, lividi & cæſii, ex Sterquiliniis lignoque putrido protuberantes: alii edules ac copia tantum nocent, quia ventriculum frigore & flatibus nimiis diſtendunt, caloremque naturalem extinguunt & craſſo lentore ſtrangulant. Ob regionis temperiem calidam & humidam, noctium denique frigus & vapores venenatos, minus tuti judicari debent qualeſcunq; Fungi, quam in aliis regionibus frigidioribus. Inter illos pejores qui ſunt, ſingultum excitant, inteſtina exulcerant, corpori ac faciei inducunt pallorem, urinam remorantur, arterias intercipiunt: ad hæc frigus, tremorem, ſudorem frigidum, mortem denique afferunt. Præter communia alexipharmaca calidiora, eximium & præſens natura produxit Antidotum, utramque nimirum radicem *Iaborandi*, de quibus ſuo loco agemus, quæ ſudores & urinas cunctantes provocant, & colorem nativum ſuffocatum à frigido malignoque vapore vindicant: imo deſperatos revocant à letho, ſi ſtatim à ſumto veneno, ſuccus illarum ex hauſtu vini exhibeatur.

TANGARACA.

Tangaraca omnes ſpecies lethiferæ (ſicut in tractatu ſimplicium dicemus) ac proinde incolis & advenis pariter deteſtabiles habentur. Quarum folia & flores, facie licet externa, non tamen efficacia differunt: foliis enim aut floribus deguſtatis, corpus mox intumeſcit, mens turbatur; oculi incipiunt caligare, vertigines, animique deliquia oboriuntur, denique mors ipſa ſequitur, ſi remedium non protinus adhibeatur. Reliquis antidotis merito præferuntur radices illæ decantatæ *Pecacuanha* & *Caiapia*, toties deſcriptæ. Aliqui præ cæteris Antidotis tutiſſimum exiſtimant, ipſi radici hujus plantæ *Tangaraca* fidere, quam miro ac felici cum ſucceſſu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ceſſu, indiſcreta quantitate exhibent. Barbara hæc gens raro certæ doſi nititur, quaſi id cujuſque judicio relinquens. Quod quidem in his Antidotis, aliiſque medicamentis, illis empyricis non ſolum, ſed & rationalibus practicis familiare eſt. In exceſſu enim peccare malunt, quam in defectu, ne Antidoti inopia forte à veneni copia vincatur.

HERBA CASTA ſive MIMOSA.

Eximiæ illæ herbæ caſtæ ſive Mimoſæ à Cluſio, aliiſque Exoticorum conſultis deſcriptæ, ſed à nemine adhuc, quod ſciam, earum qualitates bonæ vel malæ explicatæ.

Primo quidem earum folia in pulverem redacta, & exigua quantitate aliquoties exhibita, clam exitium hominibus inferunt, pecoribus alimentalia exiſtunt.

Secundo radices earum non minus tutum præſtant Antidotum, quam folia pernicioſo turgent veneno, ſi multum & ſæpe in uſum adhibeantur. Providi autem eſt Medici in hoc & ſimili caſu, præter ſpecifica ad generalia quoque confugere alexipharmaca, ſive exotica, ſive domeſtica. Tum quod ſcelerati homines hæc & ſimilia venena, varie componant & clam cibis immiſceant, tum quod ſubinde in principio vix quicquam evidenter ac ſignis præviis appareat, ſenſimque vitam depopuletur. Quippe non ſolum pro ſubjecti reſiſtentia ſed veneni quoque miſcela & quantitate, tardius vel citius vitam depaſcitur hæc herba, ut cachectici, anheloſi, triſtes incedant, donec tandem vita defungantur.

MANIPVERA.

Tametſi in tractatu de Mandihocæ radice, de medica & veneno ſa qualitate egerim in genere, ordo tamen nunc poſtulat, non intactum reliquiſſe venenum tam familiare, ne dicam domeſticum, *Manipueram*, id eſt, ſuccum de *Mandihoca*, qui potatus vehementer inflat corpus, ventriculum afficit dolore, cum ructu, nauſea & teneſino: hinc mox oculi obfuſcantur, vertigines, perpetuique dolores capitis accedunt, tandemque extremorum frigus, animi deliquium, & ipſa mors ſuccedit. Quapropter famulis hanc radicem præparantibus, ne à noxiis vaporibus inficiantur, flores *Nhambi* & radices *Vrucu*, eſculentis & potulentis admiſcere neceſſe eſt, ad muniendum cor, & ventriculum. Sed diabolici venefici tam præſenti veneno non contenti, ex ſucco hoc, ſtudio reſervato uſque ad totalem ejus putredinem, altiorem corruptionis gradum ex vermiculis inde pronaſcentibus (qui *Tapuru* ipſis dicuntur) quærunt, iiſque in pulverem redactis, hominibus pro libitu inſidiantur, ita ut exigua licet quantitate, vitam certiſſime & citiſſime adimat, ſi ſimplex exhibeatur; ſi compoſitum & viribus imminutis (quod potiſſimum pulvere herbæ de *Noſſa Senhora* & *Nhambi* fieri ſolet) longo poſt tempore, ne nefanda ſcelera in publicum prodeant, miſere interimat. Multa quidem remedia contra hoc malum excogitata, omnium tamen præſtantiſſima ſunt, quæ ipſo ſtatim principio morbi per vomitoria inſtituuntur. Horum *Ipecacuanha* & *Caiapia* facile præcipua ſunt, quod alexiteria & vomitiva vi ſimul polleant. Clyſteres veneno frigido reſiſtentes, ac flatus tetros diſcutientes mox ſuccedant, eoſque *Tipioca* & radix *Iaborandi* imprimis ingrediatur, quorum antidotalis vis alte poſita eſt à Natura. Poſthæc præter Diaſcordium & Theriacam, malum per ſudores & urinas educentia, familiaria præſidia ſunt, radices de *Malva Iſco*, *Pie de Galinha*, *Nhambi*, *Iacape*, *Iurupeba*, *Vrucu*, *Viſqueira*, *Caapeba*. Adhæc radix & præſertim ſuccus fructus *Ananas*, largiter & crebro hauſtus.

ARATICV PANA.

Sequitur fructus arboris *Araticu pana*, qui (licet à nonnullis comedatur, quia copia tamen lædit) dum frigore nimio calorem naturalem opprimit, eademque ventris ſymptomata excitat, quæ venena frigida ſolent movere, ad venenatorum claſſem referri ſolet. Nihil ulterius de hoc fructu dicendum reſtat, quod in præcedentibus ſit intactum, quippe iiſdem medicamentis, quibus Fungorum & *Manipuera* noxiæ qualitates, hæc quoque expugnatur.

MVCVNA GVACV.

Mucuna guacu faba, in tanta Siliquarum & Silveſtrium multitudine, cæteris pulchritudine ac magnitudine facile præcellit. Creſcit ex arbore quæ ejuſdem eſt nominis. Faba autem hæc nigra pelle lapidis fere duritiei, pilis flavis molliter eſt veſtita, manum longa, & tres digitos lata. Vi effracta, pulcherrimi globuli, interſtitiis diviſi, exinde prodeunt, tres quatuorve, punicei & rubri coloris, rotundi, læves, magno hylo, qui ſi in aqua macerentur vim noxiam ex parte deponunt, & cum *Tipioca de Mandihoca* præparati Barbaris edules fiunt. Ita ut venenata eorum qualitas, non uſque adeo alte poſita à natura videatur, quin retundi ſe patiatur à correctorio convenienti. Quippe cum interior fabæ ſubſtantia acris ſit & mordicans, viſcera vellicet & uſque adeo corpus turbet, ut vomitus violentus & alvus moveatur.

Refri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Refrigerans & demulcens, alimentum hoc medicamentoſum ex *Tipioca* factum, cæteris Antidotis præferri ſolet.

AHOAY.

Duplex datur AHOAY arbor; altera *Ahoay-guacu*, ſive major, altera *Ahoay-miri*, ſeu minor, dicta. Propter arboris non ſolum, ſed & fructuum quoque magnitudinem, differunt. Quippe hæc poſterior vix nucem avellanam, cui multum ſimilis eſt, adæquat: illa plus quam caſtaneæ magnitudinis nuces profert. In diſſitis tantum nemoribus hæ arbores reperiuntur, foliis magnis oblongis, deterrimi odoris, quarum fructus monſtrare, toties negarunt Barbari, præ metu ne aliquando in illos hæc cuderetur faba. Cum enim præſentius venenum, quam nucleus prædicti fructus, ab illis nondum ſit inventum, id ſecretum ſibi ſervandum arbitrantur, ut tuto veneficia ſua diabolica exerceant. Nucleos enim illi in pulverem redactos, variis dolis & technis præparant, & clam ciborum obſoniis vel Nicotianæ immiſcent, ut ocius vel tardius vires exerceant. Scrupuli enim plus minuſve quantitas ore aſſumta, graviora facile ſymptomata, quam ab aliis illis venenis illata, inducit. Quibus ſpecificum antidotum ad hæc uſq; tempora nondum eſt inventum, quamobrem mortem quantocius adfert, ſi generalia & communia alexipharmaca nihil proſint. Horum fructuum putamina, duriſſima ſunt & tinnula, quare ab illis tintinabulorum vice uſurpantur, & brachiis pedibuſque circa talos in ſaltationibus potiſſimum circumdantur ornatus gratia. Quo modo filis è goſſypio inter ſe connexa ſint, videre eſt ex Icone, quam dedit C. Cluſius in Exoticis, in notis ad Hiſtoriam Garciæ ab Orta, lib. II. cap. XI.

GUILIELMI PISONIS, M. D.

LIBER QVARTVS,

Qui agit de Facultatibus Simplicium.

CAP. I.

De Sacccharo.


POSTQUAM illa Americæ pars, quæ nunc vulgo BRASILIA dicitur, inter duos fluvios *Maranhon* & *de la Plata*, ſita, paulo poſt Capralis acceſſum à Veſputio Emmanuëlis Regis Portugalliæ auſpiciis, paulo accuratius anno circiter CIƆ IƆ. eſſet explorata, Luſitani, intra promontorium Olindæ amœniſſimum & Inſulam *Itamaracam*, primum littora antea incognita legerunt. Ubi juxta rupem fiſſam Braſilianorum tuguriis conſpectis, ad terram appulerunt, & de nomine loci ſolliciti, quantum potuerunt inquirentes, *Paranambuco*, hoc eſt, mare perforatum vocari, à Barbaris reſponſum tulerunt. Unde hodie quoque omnium Præfecturarum Braſilienſium feliciſſima & princeps, idem nomen obtinet. Cujus receſſus cum altius explorarent, indignum exiſtimarunt, ligno rubro, licet maximi proventus ad tingendos pannos, acquieſcere: præſertim cum præter confragoſos montes & ſaltus inacceſſos, miro Dei beneficio, longe lateque partim in planities ſolutas, partim in colles clementer aſſurgentes terras conſpicerent; tum & præſtantiſſimis fructibus & frugibus Europæis invectis, mirabili proventu, ea producere & fœtificare experirentur. Tandem fœcundum hoc ſolum cannis Sacchariferis aptiſſimum judicarunt: eaſque à campeſtribus quondam hominibus detectas in Inſulis Fortunatis, huc detulerunt, quæ tandem ob ſuavem ſuccum quaſi ad manus traditæ, uſum quem pollicebantur, olim ſilveſtres, nunc excultæ & domeſticæ, toto fere generi humano præſtant. Ita ut cœleſte hoc donum, Attico melli multis partibus præferendum, excelſis incluſum arundinibus, hiſce regionibus imprimis conceſſum ſit. E quibus tum aquaria mola, tum boum indefeſſo labore agitata, dulciſſimus liquor expreſſus, in ahenis excoqueretur, quemadmodum hac ſequenti imagine expreſſum videtur.

Multæ hodie Luſitanorum & Batavorum hujus generis machinæ hic conſpiciuntur. Nec ulla hujus terræ merx eſt, ex qua plus lucri & emolumenti ad negotiatores redundet. Nam Saccharorum ex omni Braſilia olim colligebantur Arobæ decies centies mille, idque quotannis, atque in Europam devecta, certiſſimo compendio divendebantur.

In Ægypto Sacar Arabicum (unde Saccharum noſtrum dictum volunt) ex humili & exigua planta, inſtar cryſtalli vi Solis coagulatur. In India vero Orientali, ex *Manbu* arbore arundinea (vide Garc. ab Orta cap. XII.) & nodoſa, populo inſigni non abſimili, *Sacar Manbu*,

quem

quem *Tabaxir* appellant, viſcoſum albicantemque liquorem promanare conſtat, ut Avicenna, Rhaſis, & Serapio teſtantur. Tamen alterutrum vel inſita qualitate, vel conficiendi dexteri-



tate adæquari huic arundinaceo poſſe, nemo credat. Planta ſiquidem hæc noſtra fruticis inſtar firmitate prædita, ſucco dulci turget. Silveſtri arundini externa facie eſt ſimillima; niſi quod hæc crebrioribus articulis aliquando diſtinguatur, imprimis ſi anni, terræque intemperies minus reſpondeat. Quo enim majora internodia, eo feliciorem meſſem, quo breviora eo infeliciorem agricolæ prænuntiant.

Hæc arundo, *Vîba* Braſilienſibus dicta, minus in montibus & collibus, licet irriguis, quam pratis gleboſis & pinguibus, luxuriat, ſicuti videre eſt in Parnambucenſis præfecturæ maxima fertilitate & planitie agris, optimeque canniferis: qui inclytis undiquaque amnibus dividuntur, & à pluviis & inundationibus ripas egredientibus rigantur; quarum beneficio à formicis cæteriſque inſectis noxiis liberantur, ſicut per nivem in Europæis regionibus ſolent. Sed miſſa digreſſione ad propoſitum redeo.

Primo agri vomere invertuntur, cratibuſque aut ferro ancipiti ſarriuntur, inque rectos & æqualiter diſtantes ſulcos proſcinduntur. Quibus cannarum taleæ ita inhumantur, ut ſummitates utriuſque ſe contingant: atque ea ratione lacunæ vomere factæ, manent repletæ, quæ ipſa eadem terra poſtea adimplentur. Plus terræ æſtate, qua operiantur, requirunt, ne intenſior Solis æſtus penetret, cannaſque exſiccet: Hyeme vero minus, ut facilius uligine imbuantur, & terræ pondus germinationem retardet. Quo major humiditas, eo citius exſurgit arundo, hincque quilibet articulus novam producit cannam, ab omni parte cannas ſuas ac radices, ex lacuna cui impoſita eſt, extendens. Nodo cannæ circumcirca pullulat turio, à quo, terræ incumbens, truditur, frutexque emergit: ita ut decem aut ad ſummum duodecim menſium ſpacio, canna matureſcat, inque juſtam longitudinem excreſcat. Expertiores agricolæ menſes Auguſtum & Januarium plantationi conſecrarunt. Auguſto tamen, qui menſium hibernorum poſtremus, felicius hæc inſtituunt, quod tellus noviſſimis pluviis imbuta, plantas ſuo gremio mollius foveat.

Arundo maturata tempore præfato exſcinditur; nonnunquam & ad annum uſque ſequentem in agro relinquitur, & tunc canna vetus nominatur, quaſi ſeges reſtilis. Intra hoc tempus nova denuo progerminat, quæ poſtea ſimul cum veteri reſecatur. Si intra biennium non ſcindatur, nullius exinde pretii habetur: paulatim enim in agro marceſcit, ac deficiente humore extinguitur; niſi forte peculiari terræ beneficio prorogetur ultra ordinarium durationis tempus. Plantæ tenellæ & juvenes bene inhumatæ, denuo propagari numquam fere indigent, quod diuturnitate temporis non emoriantur, ne ad quadraginta vel quinquaginta annos quidem; ita ut ſuapte natura vel nemoris durationem adæquare valeant, nimirum ſolo bene pingui; nam quæ in ſitienti & arduo creſcunt, vix ultra quinquennium vivunt. Interitum autem ex accidenti cannis inferunt, ſideratio, caries, potiſſimum vero ſi immiſſo æſtate incendio, nec ſupervenientе pluvia ad radicem uſque præ nimia ſiccitate comburantur, magno hercle poſſeſſoris damno. Proinde qui cannas inutiles & frugiperdas exſtirpare, ſuoque bono comburere cogitat, ut novæ renaſcantur, hyberno tempore, non æſtivo, hoc inſtituat. Immodica quoque inundatione cum nulla cacumina, emergunt, cannæ ſuffocantur: ita ut utriuſque exceſſu, nimio æſtu exareſcant, nimiaq; fluviorum illuvie, eaque ſtagnante refrigerentur, unde ſtirpitus evelli, aliæque de novo plantari poſtulant. Genus denique quoddam vermiculi nigri alati *Guirapeacoca* Braſilienſes, *pao de Galinha* vulgus appellat, in locis potiſſimum uliginoſis, radices corrodit, cannaſque interimit. Poſtremo ab herbis voluntariis male illis fit, quæ mirum in modum ſæpe luxu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

luxuriantes, hiſce ſativis admodum obeſſe ſolent. Proinde ſingulis annis ter quaterve, imo & ſæpius aliquando, ſi terra poſtulet, ager à noxiis herbis liberetur, idque tantiſper, donec ad tantam maturitatem pervenerint taleæ, ut ſuo robore zizaniis obniti poſſint. Terra ſiquidem earum herbarum quas ſponte profert mater eſt, cæterarum vero quas quaſi vi coacta ſuſcipit, ſæpeque invita fovet, noverca judicatur.

Porro cannæ maturæ factæ, circa fundum ac in ipſo geniculo abſcinduntur, quod in eo aqueus quidam humor contineatur. Mox amputatæ, frondibuſque, quibus maximam partem veſtiuntur, reſectis, in faſciculos coguntur & currui imponuntur.

Molendina tribus graviſſimis axibus ex ſolidiſſimo ligno confectis, circuliſque ferreis obductis, nituntur. Inter quos arundo continenter inſerta & axium ſe contingentium anguſtia compreſſa, liquorem fundit dulciſſimum. Mola aquaria nullis indiget jumentis, aquæ ſiquidem impetu circumagitur, quæ longiſſimo canale deducta, lapſu impetuoſa ex alto in ſuper nos eximiæ magnitudinis rotæ lintres decidit. Quod quidem licet celerius fiat, pluſque ſacchari inde redundet, quam à ſex vel octo robuſtiſſimis bobus: eorum tamen contentione exactius & fidelius canna exprimitur.

Cæterum liquor hic qui in Saccharum ipſum poſtea abit, ad viginti quatuor duntaxat horas durat, moxque aceſcit, & ad conficiendum Saccharum prorſus fit inidoneum: ſed ſi diutius ſervetur, bonum inde naſcitur acetum.

Axes aſſereſque per quos ſuccus expreſſus fluit, tum & alveus, per quem decidit, bis ſpacio viginti quatuor horarum, vel una Tareffa (Tareffa eſt ſpacium terræ, cujus quadra viginti circiter eſt paſſuum, & tot cannas profert, quot per diem Naturalem moli poſſunt) lavari debet.

Canna primo à tergo axium excepta, vicino denuo immittitur, ut ſi quid ſucci in ea ſit reliquum, penitus exprimatur, tunc *Bagaſſo* vocatum, quod tanquam inutile excrementum flammis abſumitur. Adeo coruſcantes & formidabiles, nocte dieque conſtruuntur ignes, qui ahenis ſubjiciuntur, ut à quindecim lignorum vehibus ad quadraginta uſque ſpacio diei naturalis, pro ut cruditas liquoris requirit, abſumantur, integræque ſilvæ exſcindantur.

Succus quem *Caldo* vocant Hiſpani, per canales & ductus ligneos, in ampliſſimos æreos cacabos derivatur, in quibus continenter, nunc vehementius nunc lenius, toto quo molæ agitantur tempore, ferveſcit, frigidæque aſperſione intenſior ebullitio coërcetur, ut ſubſtantia minus conſumatur. Ab hoc ſucco in primo aheno conſiſtente, modicoque ſubſtructo igne, paulo fœculentior & copioſior ſpuma aufertur, vocaturque *Cagaſſa*, quæ ſolis pecoribus eſcam potumque ſuppeditat.

Sublata *Cagaſſa*, liquor ſeu *Caldo* in proximum ahenum, *Caldera de mellar* Luſitanis, effunditur, in quo coquitur & prægrandi cochleari, crebris foraminibus pertuſo, à ſordibus liberatur. Ut exquiſitius immunditiesſecernatur, forte quoddam lixivium affunditur. Hinc per linteum percolatur, ac tandem ſuccus eo pacto noviſſimum excrementum, ſi quod habet, deponit. Hæ fæces mancipiis victum ſufficiunt, qui iis contenti tam improbos atque indefeſſos labores exhauriunt: quippe toto ſemeſtri æſtivo, noctes atque dies perpetuo molendina



agitantur. Vinum quoque exinde, vulgo *Garapa* dictum, conficiunt, intermiſcendo aquam: quod avidiſſime expetunt incolæ, eoque, ſi vetus ſit redditum, ſe inebriant. Vinum itaque Sacchareum, vinum aduſtum, acetum, mel coctum, ipſumque Saccharum ex primo hoc liquore concinnari poſſunt.

Porro minores qui ſubſequuntur cacabi, *Tachas* appellant, quidam ſunt ad concutiendum, quidam ad coquendum parati. In quibus ſuccus jam dictus, tantiſper condenſatur, donec Serapii & mox Sacchari conſiſtentiam acquirat. Ad hæc vehementi & arduo labore, primum in majoribus, tum in minoribus ahenis inter coquendum, capaciſſimis cochlearibus agitatur, quatiturque, & ad altitudinem viginti plus, minus, pedum attollitur, unde rurſus in vaſa prolabatur.

In Cacabis minoribus ob ignem intenſiſſimum vehementioris ebullitionis habenda eſt ratio, ſtatutiſque temporibus olei modicum guttatim inſtilletur, ne ignis vehementia Saccharum aliquid detrimenti capiat. Obſervatu dignum, quod oleum ſi majoribus inderetur ahenis, in quibus liquor, primo *Caldo* dictus, purificatur, Saccharo conficiendo plane foret ineptus. Viciſſim, ſi minoribus lixivium ſicut majoribus, infundatur, æque impoſſibile, Saccharum conficere. Si denique momentum ſucci Limonii, vel acidi quid injiciatur, Sacchari conſiſtentiam numquam acquiret, ſed in totum perditur.

Formæ porro fictiles innumeræ, quando ſuccum fluidum acceperunt, ordine aſſeribus perforatis, in ampliſſimis ædibus (*Caſa do purgar* vulgo) imponuntur; mox ſuperimpoſito luto humefacto, dicta vaſa, à melle, quod ſubfuſco antea colore Saccharum tingebat, repurgantur. E formis excuſſum, candidum à nigricante, *Maſcovado* dicto, ſeparatur, & in fruſtra redactum ſoli ſereno exponitur, probeque exſiccatur, donec ciſtis recondatur. Hæc omnia incredibilis ſunt laboris & ingentium ſumtuum; præterquam quod operariorum multitudo; jumentorum inſuper & mancipiorum affluentia, multum ex emolumentis derogat.

Medica Sacchari auxilia, quoniam maximam partem Europæis cognita, paucis tantum ſunt perſtringenda. Cannæ viridis ſuccus frigidus eſt, multoque ſi deſtilletur per Alembicum durabilior & efficacior; multis oculorum malis, tum hepatis, renumque ardoribus medetur. Sed cum medulla hæc cannarum tot mutationes ſubeat, antequam repurgata in grana reducatur, primam naturam deponit, imo alienam induit, palato magis gratam, quam valetudini proficuam. Saccharum enim, multa lixivii fortiſſimi vi albefactum, in deliciis quidem optabilius; ſed qualitatem facile acrem, viſceribus & capiti infeſtam retinet. Quamobrem illud quod ſanitatis gratia culinæ vel Pharmaciæ infertur, præſtat ut modice tantum repurgetur: quippe quod ingenitas reſervet vires, intenſiuſque ſerapia, electuaria & ſimilia dulcificet. Imo rubrum Saccharum, alias inferius habitum (ſicut & illud quod ex Inſula S. Thomæ affertur, omnis lixivii expers) minime contemnendum, præcipue in clyſteribus. Saccharum itaque primo gradu licet calidum & humidum, tamen quo antiquius & defecatius eo calidius eſt, faciliuſque in bilem convertitur, atque intenſius digerit & ſolvit. Recens vero non ſolum pectori & Stomacho, ſed & veſicæ renibuſque prodeſt. In omni denique ægrorum condimento, veteri Saccharo & melli longe debet anteferri.

CAP. II.

De Mandihoca.

FRumento complures Indiarum regiones ad hæc uſque tempora caruerunt: ea tamen, quibus hominum & animalium ſuſtentatur vita, deſiderari, benigna mater Natura noluit. Radix enim ſativa ſeu altilis, quæ Mandihoca Barbaris appellatur, in farinam redacta tritici locum ſupplet. Qua planta licet Angolæ & Hiſpaniolæ atque aliarum Inſularum incolæ gaudeant (ubi radicem hanc *Hiuccam*, præparatam & in farinam redactam *Caſſavi* vocari Monardes teſtatur) Braſiliæ tamen naturalem, ſummoque ſtudio excultam conſtat.

Plures hujus fruticis, quem *Maniiba* & *Manduba* Braſiliani vocant, dantur ſpecies: quæ licet prima fronte inter ſe haud differre videantur, tamen ab experientibus agricolis dignitate, caule, & colore diſtinguuntur ac diverſa ſortiuntur nomina, quorum hæc præcipua ſunt: Prima, *Mandiibabuaræ*. Secunda, *Mandiibparati*, albicantibus radicibus & truncis. Tertia, *Mandiibucu*. Quarta, *Mandiibumana*. Quinta, *Aipi*. Sexta, *Tapecima*. Septima, *Arpipoca*. Octava, *Mandyupeba*. Nona, *Macaxera*. Hæ ſeptem poſteriores rubentibus ſunt & lacteſcentibus radicibus & caulibus. Omnium harum ſtirpium radicibus ſolum *Mandihoca* nomen inditum, & alimentoſis, medicamentoſis, venenoſiſque qualitatibus, licet impari inter ſe gradu, pollent. Quas proprietates, utpote admiratione digniſſimas, penitius introſpexiſſe operæpretium erit. Hæ frutices omnes eleganti ac ſtellatim ſeſe explicante ſunt folio. Caule recto, nodoſo, hominis ſtaturam raro excedente. Ejus craſſities pro fœcunditate ſoli, cœlique temperie, varia. Florem fert exiguum, ſemen autem, Ricini Americani ſemini ſimile, ſed mutile. Reliqua ex ipſa planta ad vivum depicta cognoſcere licet. Fructum vero ſubterraneum, ipſam ſcilicet radicem eſculentam Mandihocam, paſtinacæ haud diſſimilem producit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

cit, quæ lacteum trahens ſuccum, ab oculis prorumpentibus, è trunci internodiis natis, hoc liquore egregie intumeſcit.

Terra minime glebosa aut irrigua, ut canna ſaccharifera gaudet, ſed ſicca potius, ſitiente & montoſa, atque in tuberculos, quaſi à talpis, egeſta. Adeo humiditatis omnis inimica eſt, ut æſtivis dumtaxat menſibus, terræ committi velit, idque locis apricis ac minime umbroſis. Quod, ſicuti in hac, ita in quavis plantatione obſervandum, quia guttatim ex arboribus deſtillans aqua perquam noxia habeatur. Cum adeo acclive & arenoſum ſolum requiratur, malunt incolæ denſiſſima demoliri nemora, demolita exurere, eaque arvis & ſegetibus (*Chocas* Luſitanis) deſtinare.

Tres hujus plantæ trunci, frondibus ſpoliati, figura propemodum pyramidali, haud profunde ſimul terræ grumis, trium circiter pedum inter ſe diſtantia, inſeruntur, prominenteſque ad palmæ altitudinem, ſuperius ſe invicem amplectuntur. Qui foliis licet denudati, novis tamen ilico veſtiuntur, nec quicquam radix inde detrimenti patitur, modo caulis integer & illæſus maneat.

Dignitate & mole excellit *Mandihoca*, ſi anni terræque temperies ſicca fuerit: tunc enim quælibet radix ſeſquipedem, vel duos, interdum etiam tres pedes longa evadit, craſſitiem habens brachii vel etiam cruris humani, quando ſatis adoleverit.

Ratio habenda ut ager à zizaniis, quæ valde ſuppullulant, ter quaterve repurgetur, donec plantæ adoleverint, ad octo nimirum vel decem menſium ſpatium. Maturitatem aſſecutæ radices, quod annuo circiter à plantatione ſpatio fieri ſolet, ad tertium vix ſub terra durant; altero tamen plerumque anno pars illarum putreſcit & corrumpitur: ideo ad ſummum linquuntur annuo ſpacio, & de novo per taleas plantantur. Ingruente nimiæ humiditatis neceſſitate, exſcindi ſtatim poſtulat, ſex menſibus ante juſtæ maturitatis tempus.

Mandiba quæ vocatur *Mandiibumana* omnium citiſſime creſcit & matureſcit, atque optima inde conficitur farina. Hæc planta maxime gaudet ſolo arenoſo & magis ambuſto quam reliquæ. Primaria omnium, inque quotidiano uſu & lucro, producitur quidem promiſcue in quavis terra, vocaturque *Mandiibparati*.

E terra evulſæ radices, vix per triduum durant, etiamſi fideliter horreis recondantur. Mundatæ, & à cortice, quem tenuiſſimum habent, liberatæ, molæ truſatili, cujus Iconem hîc daturi ſumus, à duobus hominibus circumactæ, admoventur, ferriq; cuſpide conteruntur; & contu-



ſarum radicum farinam excipit alveus. Alii radendi modi pedetentim exoleverunt, ob majores labores & ſumtus. Pauperibus tamen uſus Scobinæ manualis ſupereſt, quæ ab Indigenis *Tapiti* nuncupatur. Raſura deinceps torculari vel prælo ſubjicitur, quo magna vi humor ille ſuperfluus & noxius exprimitur, ut ſicca atque abſque ulla humiditate maneat. Mox cribro, *Vrupeba* dicto percolatur. Exinde planefacto fictili aut æneo injicitur, in quo ſubſtructo igne circumagitatur tantiſper donec coquatur. Semicocta vero & adhuc mollis eſculenta eſt, & vocatur *Farinha relada*, quod eſt farina cocta non exſiccata. Reliquum quod ſupereſt & reſervare volunt, ſupra majorem vel minorem ignem pro arbitrio miſcent, atque exacte ſiccant. Farina enim hæc quo plus exſiccata & excocta, eo durabilior eſt. Optime tamen ſiccata & fideliter ab aëre defenſa, ultra annum vix ſervari poteſt: nam ſi vel leviſſima uligo eam infecerit, corrumpitur, unde non parvam militum ſtragem in caſtris exortam vidi. Quapropter noſtri, Barbaros imitati, eam in bolos, quos vocant *Bejus*, paſtillos & liba cogunt, ſuperque craticulos modico igne induratam in penu aliquandiu recondunt.

Ex hoc frutice expreſſo manat liquor *Manipuera* Barbaris dictus, qui vaſi infuſus poſt duas horas fundo adhæreſcit: ex quo alia fit farina, melior priori, ac majori affluentia floris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

quam cremorem de *Tipioca* vocant. Ex aqua farinæ in fundo ſubſidente, bolos quoque conficiunt, *Tipioceto* dictos, optimi ſaporis. Tum Gummi quoddam ſeu potius amylum ex ea fit, atque eidem uſui inſervit. Hic liquor *Manipuera*, quod dulcis ſit ſaporis, ab animalibus avidiſſime hauſtus, vi quadam venenata ea ſtatim exſtinguit: ex radice tamen non expreſſus (quod mirum) cætera animantia, excepto homine, nutrit.

Præterea è radice à Sole exſiccata, alia farina & pollens albicans, imo & panis ſiligineus & biſcoctus, qualis è tritico (cui & ſimillimus eſt) pinſitur. Hoc alimentum integrum & non comminutum pro jumentis & pecoribus, quibus in pabulum cedit, reſervatur.

A vermibus & integris formicarum cohortibus, hæc planta miſere ſolet infeſtari, magno agricolarum incommodo, non ſolum folia atque caulem, ſed ipſam quoque radicem depopulantur, ferarum greges & animalia domeſtica. Ipſi Braſiliani, Æthiopes, & noſtratium non pauci, hujus plantæ folia amant, adeo ut contuſa, cocta & probe condita pro cibis & lactucis apponant, atque in maſſam efformata, *Manicoba* nuncupant Braſiliani.

Porro radix hæc quatuor aut quinque dierum ſpacio in aqua macerata & emollita, *Mandiopiba* dicitur, quæ aſſata, maxime ab agreſtiori Indorum & Barbarorum multitudine expetitur & manducatur. E ſedimento hujus conſiſtentiæ, farina mollis notæque melioris conficitur, quam Braſiliani *Vipeba*; Luſitani, *Farinha freſca* cognominant.

Ex *Mandihoca* contuſa, butyro & ſaccharo, inſignes fiunt boli vel paſtæ, ad edendum optimæ.

Pultis denique genus præparant ex *Mandiopeba*, quod nomen accepit *Mingau-petinga*.

Mandihoca illa mollis, illis *Puba*, igni impoſita exſiccatur, exſiccata appellatur *Carima*. Ex hac Angolenſes panem optimæ notæ conficiunt, quem *Muſam* vel *Angu*, interdum *Enfonde* appellant. Omnium autem præſtantiſſimum pultis genus condiunt, quod vocant *Mingau de Carima*, cui aromatum loco momentum piperis Braſilienſis, & floris Nhambi admiſcent: quod optimi cum ſit ſaporis, ſanitatique conducat, frequens illis in prandiis eſſe ſolet; nec ſuaviter ſe vivere exiſtimant niſi hoc alimento utantur. Sanis æque atque ægris ejuſmodi pultes, emulſiones, atque adeo ptiſanas ſaluberrimas inde confectas exhibent. *Tipioca* ſiquidem & *Carima* pota, vel ſyrupi ſpecie cum aqua florum auriacorum & pauxillo ſacchari exhibita, antidoti loco plerumque eſt. Ego quanti dignitates *Tipioca* & *Carima* faciam, in deſcriptione morborum Endemiorum ſatis explicavi. *Tipioca* enim, ſi multa lotione defœcata atque exſiccata, probe ab omni humiditate reſervetur, Tabidis & Dyſentericis ex arte propinata, medetur. Febricitantes, animo deficientes, veneno infectos reſtituit. Præter hæc, violento exercitio fractis vires recuperat, ſudoreſque immodicos compeſcit, Ptiſana illius ſimplex. Quaſcunque hæmorrhagias, imprimis ex vulnere inflictas, tum intus aſſumta, tum emplaſtri forma applicata, cohibet.

Ex *Macaxera* optimum fit vinum, ſerum lactis ſapore referens. *Mandihoca* raſa, vulneribus & ulceribus antiquis impoſita, ea mundificat, atque attemperat.

Manipuera cocta craſſeſcit pultis in modum, alimentoque convenienti exiſtit. Quod ſi oryzam & Saccharum, cum aqua deſtillata ex floribus aurantiorum ſuperinfundas, conſervæ gratiſſimæ formam induet, mutatoque nomine *Marmelada de Mandihoca* appellatur. Poſtremo illa ſpecies *Macaxera*, præterquam quod vicem farinæ prædictæ ſuppleat, igne etiam aſſata, abſque ulla alia præparatione, comeditur, ac *Macapera* appellatur.

A cæteris radicibus abſtinendum eſt, quod præſens ſint venenum. Dantur enim quædam, quas citius combuſſeris, quam ut virus ſuum deponant, & ad edendum idoneæ reddantur. Quin ipſi Braſiliani olim minus exercitati, in ſeparatione alimentoſi & venenoſi, multoties mortem oppetierunt: nunc eruditiores facti, non ſolum illis præcipuo exiſtit vitæ ſuſtentaculo, ſed omnibus Luſitanis & noſtratibus. Idque pani triticeo præferre non verentur, licet minoris habeatur nutrimenti.

Æthiopes & Braſiliani inter edendum pugnos farinæ plenos in os injiciunt, ut manu quoque longius ab ore remota, vix tamen mica pereat. Raro aut parum inter prandendum potu utuntur, quod farina aquam nimis imbibat, & ſtomachum inflet.

Cum aratrum ejuſque uſus hîc ignoretur, & improbi ac multi jugi laboris tædia declinent, facilem hanc & nimis ærumnoſam agriculturam, tam vitæ ac rei familiari tuendæ, quam æri corradendo, egregie adhuc amplectuntur. Quippe unius dumtaxat mancipii induſtria & labore, centum tuberculos, aliquando unius diei decurſu abſolvunt. Hujus autem farinæ una, quæ viginti cantharos noſtrates continet, aut ſeſqui *Alkeira*, hoc eſt, modius unus aut ſeſqui, homini robuſto & laborioſo, in menſem integrum plerumque ſufficit. Quem modium ſex aut ſeptem aut ad ſummum octo ſolidis comparaveris.

Hæc ſunt quæ uſu & ſedula in hanc radicem inquiſitione, à ruſticis & hortorum cultoribus reſciſcere potui; quæ fuſius & explicatius perſequi volui, quod hæc planta ubique frequens

quens ſit & domeſtica, tamque excellentis uſus, ut vaſtiſſimi orbis Americani incolis, abunde victum ſuppeditet.

Tapuyeri vita & moribus agreſtiores, nec Mandihocam hanc, nec quicquam ſimile plantant, ſed arborum fructibus, variis herbis & melle agreſti ſe ſuſtentant. Inter radices quas co-



medere amant, eſt *Mandihoca* quædam ſilveſtris, ſponte proveniens, frutexque arboreſcens: cæterum ſativæ ſimillima, ſi caulem & folia conſideres, verum dignitate longè inferior. Mediterraneis *Cuguacucuremia*, maris accolis *Cuacû-mandÿba* dicta. Cujus Iconem expreſſam hîc videre eſt.

Cap. III.

De melle Silveſtri.

Miſſis iis, quæ vel ab aliis ante me tractata, ut Ambra griſea & nigra, Lapis Bezoar, vel aliunde huc ſunt tranſlata, ut Zinziber, Tabacum, Oriza, Goſſipium, Milium Turcicum, Anil, vel Indigo; aliiſque præteritis, quæ potiſſimum quæſtui, non autem Medicinæ ſunt comparata: Illa tantum perſtringenda duxi, quæ Incolis longa experientia innotuerunt, atque in Medicinam ſunt recepta, atque à me ad artis noſtræ incrementum proſpero uſurpata ſucceſſu.

Inter prima quidem, Braſilianorum ſolertia, etiam antequam Canna ſaccharifera hîc coleretur, mel Silveſtre, quod ipſi *Iira* vocant, ex vaſtiſſimis ſilvis & ſaltibus ſibi comparavit, quod in uſu atque deliciis, Europæis æque ac gentilibus, tam ſanis quam ægris habetur. Cujus dignitates ingenti mortalium bono quotidie magis magiſque illuſtrantur.

Apes, *Eiruba* illis dictæ, diverſorum generum hîc reperiuntur, quæ in arboribus, miris & variis modis nidificantes, noſtris quidem non plane ſunt diſſimiles, ſed utcumque paulo minores, quarum examina ubique peregrinari videas. Regem vero eligant, necne, non ſatis hactenus conſtat. Reliqua quæ de illarum regimine produntur, ob difficiles ad eas in nemora aditus, nondum experiri datum eſt. Ignavum pecus, fucos, crabrones, œſtra, veſ-

pas

pas melliferas & non melliferas, pluraque alia inſecta ſimilia, de quibus in Inſectorum Hiſtoria dicetur, quæ nimis quam multa Braſilia nutrit, viatoribus & armentis infeſtiſſima, nunc prætereo.

Induſtria atque uſus præſtantia, cæteris omnibus inſectis alatis, præcellunt facile Apes mellificantes, quarum duodecim ad minimum genera obſervantur, ut ſunt *Amanacay-miri*, *Amanacayneu*, *Aibu*, *Mumbuca*, *Pixuna*, *Vrutuetra*, *Tubuna*, *Tuiuba*, *Eirucu*, *Eixu*, *Cubiara*, *Curupireira*, quarum ultima *Curupireira* à Braſilienſibus contemnitur. Quæ autem inter illas omnes merito obſervandæ, ſunt potiſſimum hæ ſequentes.

Primo *Eiriricu*, grandiores, non pungentes, quæ bonum faciunt mel, licet non quotidiani uſus. In concavitatibus arborum nidificant, è quibus veluti alveariis Braſiliani arte & dolo mel eliciunt per ductus aliquos ut foras emanet.

Deinde *Eixu* & *Copij* apes minores, nigricantes, exterius in cortice nidum affabre conſtructum componunt inſtar alvearii, favis ex arte & concinne diſpoſitis, ac propoli & cera candida veſtitis, è quibus optimum mel colligitur, ſed minore quantitate, & quia inſigniter aculeo appropinquantes infeſtant, minus expetitum.

Denique apes *Munbuca* flavæ & exiguæ in arboribus nidificant: optimum hoc mel, de quo potiſſimum ago, & ſaluberrimum producentes, quod ab Indigenis arbores proceras conſcendentibus, ad Europæos incolas, magna quantitate, exiguoque pretio affertur. Maxima autem copia hujus reperitur in Inſula Maranhon, cum multa cera nigra, ubi copioſius colligitur, vaſiſque integris completis, æſtate, cum flores Silveſtres maxime vireſcere ſolent, ſervatur. Inter hoſce flores reperitur unicus in arbore *Tapuraiba* flos, quem poſtquam apes guſtarunt, mel amarum conficiunt, ſicut de apibus in Syria Abſinthio inſidentibus teſtantur Authores. Qualitate & dignitate, nihil hercle hoc Europæo melli concedit, in ſecundo gradu calidum, conſiſtentia admodum fluida, clara & tenui, odore ſuavi quidem, ſed Silveſtri, nec nimia aut ingrata dulcedine, nauſeam parit, ſed gratiſſimo acore, oxymelis inſtar, palatum afficit. Abſterſoria qualitate, partiumque tenuitate, tantum ſtomachum, viſcoſis humoribus obſitum abſtergit, quantum calidâ, languidum confortat. Inteſtina imprimis & renes, ſive ſuperius, ſive inferius exhibitum à cruditatibus vindicat, atque urinas promovet. Tum & infantibus ad abſtergenda & demulcenda viſcera, à reliquiis variolarum & morbillorum obſita, ſummopere prodeſt. Simplex vel compoſitum (ut in capite de Mulierum morbis dictum eſt) uteri intemperiei frigidæ ſummum adfert ſolatium.

Longæ durationis & magnæ dignitatis vinum quoddam inde confici ſolet, fortiſſimum quidem & admodum abſtergens. Sin temperatius placeat, hydromel vel mulſum ex aqua fontana, ſine coctione rori nocturno exponitur.

Pharmaca denique non ſolum, ſed & cibos potuſque quotidianos ingreditur decantatum hoc trium apum mel, ſicut in Tractatu de aëre, aquis & locis dictum eſt: meritoque de illo idem prædicare licet quod Plinius lib. XXII. cap. 24. teſtatur. Mellis naturam talem eſſe, quæ corpora putreſcere non ſinat: tum, multos exſtitiſſe qui ſenectam longam mulſi tantum nutritu toleraverunt. Hac tantum adhibita cautione, ne bilioſis, hepatis, renum & ſtomachi ardore laborantibus, niſi ſumme dilutum exhibeatur.

Cera ejus, quæ nigricans eſt, Europææ poſtponenda quidem, ſed ad emplaſtra emollientia & digerentia, contra mala è frigore nata, utiliſſima habetur.

CAP. IV.

De Copaiba.

PRovinciæ Braſiliæ varia Balſama producunt, quorum facile princeps eſt quod vocant de *Copaiba*, à nomine arboris è qua emanat. *Copaiba* autem arbor eſt ſilveſtris & procera, cortice cinereo, quæ ſuperius in ramos diſpeſcitur. Folia habet ſemipedem longa, majora quoque & minora, duo ſibi invicem oppoſita, in extremitate autem duo conjuncta: oblonga, acuminata, nervo & venis paulum rufeſcentibus, ſuperius viridiora, inferius dilutiora. In extremitate ramorum majorum multi ramuli congeſti ſunt, quibus folia frondium figura inſident; ubi & flores enaſcuntur; quos ſequuntur fructus baccæ lauri magnitudine & figura, initio virides, poſt maturitatem nigri, cum pauciſſima carne, ſubdulcis ſaporis, à qua nigra cutis facile ſeparatur, quæ craſſior eſt, ut in pruni ſilveſtris fructu: lapidem continet ovalem, durum, qui nucleum album in ſe habet farinacei ſaporis, ſed non edulem. Fructus, qui menſe Aprili matureſcit, comeditur à Braſilienſibus, qui ſuccum exſugunt & exſpuunt cutem. Simiæ valde illis fructibus delectantur. Has ipſe menſe Junio collegi baccas, & mox ſemigerminatas, mandavi terræ, lætequc provenerunt. Pinguis autem & odoriferus ille liquor, quo

vaſta

vaſta hæc arbor abundat, ab inciſo cortice ad medullam uſque, luna plena, tanta quantitate deſtillat, ut ſpacio trium horarum, ad duodecim libras olei effundat. Sin nihil forte profluat, ſtatim vulnus cera aut argilla obturandum eſt, ne quid effluere poſſit, & duabus poſt hebdomadis cum fœnore moram compenſaſſe videbis. Non adeo frequens in Præfectura Parnambucenſi hæc arbor, quam quidem in Inſula Maranhon, ubi valde luxuriat, unde quoque copioſe illius balſamum ad nos affertur.

Non autem ſolum mirifica pollet vi mundificandi & conſolidandi, & ad quævis vulnera prima intentione reſtituenda, morſuſque ſerpentum curandos & cicatrices tollendas: ſed & ab omnibus pariter incolis & à me interne exhibitum, inſignem præbere utilitatem, obſervatum fuit. Tam ſuavis tamen odoris, ſicut Maffeus vult, non eſt. Calidum in ſecundo gradu, craſſum, valdeque pingue & reſinoſum.

Pectori, ad ſtomachum languidum, ventri ad colicos frigidos cruciatus, illitum conducit: guttulæ aliquot convenienter exhibitæ per os, robur addunt viſceribus, illiſque tonum reddunt: fluxiones muliebres, curſus ventris & gonorrheas quoque ſiſtunt. In anum per clyſteres, in penem per Syringam cum Saccharo ex aqua plantaginis, vel oleo roſarum diſſolutum, adverſus eadem mala proſpero ſucceſſu injicitur.

CAP. V.

De Cabureiba.

DUas arborum *Cabureiba* ſpecies, non in habitata Braſilia, ſed in remotiſſimis deſertis trans immenſa illa montium juga, vidi. Utraque eſt excelſiſſima, vaſtiſſima & odorifera, ſed cortice & ligno differentes. Altera rubeſcentis eſt coloris, odoreque Cedro Braſilienſi, quæ Incolis *Acajacatinga* dicitur, non diſſimilis. Altera, de qua nos in præſenti agimus, folio eſt exiguo, inſtar Myrti, cortice cinereo, digitum craſſo, tenui membrana miniati coloris, exterius cooperto, ſub qua flavus liquor, quo totus cortex turgere ſolet, latitat, qui vetus gratiorem ſpirat odorem quam ſi recens ſit, ſitque conſiſtentiæ craſſioris & coloris punicei.

Revireſcente arbore circa Februarium & Martium, luna plena, ex læſo cortice, pendulis vaſculis, excipitur hoc Balſamum fragrantiſſimum & præſtantiſſimum *Cabureicica* dictum.

Ædes non ſolum, ſed Lucos integros gratiſſimo odore, Peruviano perquam ſimili, inficit. Subſtantia eſt compacta & tenaci, ſed calefactum ſequaci & ductili. Circa fluvium potiſſimum Ieneiro & in diſtrictu divi Vincentii & Spiritus Sancti, quam in Parnambucenſi, crebrius reperitur, licet non adeo magna quantitate inde ad nos deferatur.

Ad internos & externos affectus non inferiori gaudet qualitate quam *Copaiba*. Calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu diſſolvens, digerens & confortans. Aliquot illius guttulæ per os jejunis exhibitæ, Aſthmati proſunt: intemperiem quoque ventriculi, viſcerum languores inveteratos corrigit: tepidum pectori & hypochondriis illitum, eorum oppilationes & frigiditates tollit. Irrigatione & frictione capitis & cervicis ex panno rubro, corroborat cerebrum & præſervat à Paralyſi & ſpaſmo; imo debilitatum omne nervorum genus in priſtinum vigorem reſtituiſſe, ſæpiſſime hic ſumus experti.

Cæterum Luſitani æque ac Braſiliani adverſus vulnera & morſus venenatorum animalium ineſſe illi virtutem quandam ſingularem teſtantur, ad quam animalia, inſtinctu ſolo naturali confugientia, corticemque deterentia, parti læſæ, præſentiſſimum inveniant remedium. Quæ omnia in caſtris & Noſocomio noſtro, tum imprimis militibus ictis à feris atque Barbaris, mecum per deſerta peregrinantibus, comprobavi. Quippe ſolo hoc eximio Balſamo recenter ex ipſis corticibus collecto, vulneratos & luxatos reſtitui. Iconem videre eſt G. Marcgr. p. 137. Cap. 14. l. 3.

CAP. VI.

De Acaju arbore & illius fructu.

QUantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi, tantum inter cæteras Braſiliæ arbores eminet *Acayaiba*, divino beneficio harum regionum incolis conceſſa. Quæ ut aſpectu pulcherrima, ita multifaria virtute celebratiſſima. Ac quamvis umbroſa & patula, ramiſque proceris ſpecioſa, non tamen adeo in altum exſurgit; ſed cum revera malus ſit, variis & ſinuoſis flexibus ſeſe incurvat, ramis humum verſus dependentibus. Eſt duriſſimo ligno à naupegis valde expetito, ac Gummi optimo turgente, quod ſua ſponte æſtivis menſibus erumpit, ob facultatem, pellucidum colorem, fragrantemque odorem Arabico vix cedens. Arbor hæc nuſquam locorum, quam arenoſis & ſitientibus reperitur. Foliis eſt, ſi nervos, ſi figuram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ram ſpectes, juglandi ſimilibus, ſed fragrantioribus, nec aromaticum odorem deponentibus niſi diſtillatione forti. Multo autem magis odorifera illa folia, quæ verno tempore Braſi-



lienſi pullulant, & hinc quidem pulchrè & ſaturè rubicantia paſſim in ſilvis videas, annuaque folia tamquam inutilia detrudunt, circa hibernum tempus. Mox flos prorumpit pulcherrimus, variegatus, roſaceoque ſubinde colore; adeo odoriferus, imprimis mane (quod Sol de die vires multas attrahat & herbarum arborumque flores vehementer afficiat) ut totis tribus menſibus Septembri, Octobri & Novembri, integras ſilvas repleat & viatorem mirifice oblectet. In Alembico per ignem communicant aliquem odorem aquæ, minus tamen fortem aut gratum.

Circa Decembrem pomifera hæc arbor incipit deſloreſcere, caſtaneamque phaſeoli forma ac cineritii coloris è ſummitate pomi producit, oleo adeo mordaci & cauſtico, inter duos cortices, ut contrectanti valde noxium habeatur, quamobrem non niſi inter erodentia numeratur. Calidum eſt à tertio ad quartum gradum, nec niſi cancroſis & malignis ulceribus, vitioſa carne laborantibus, adhibetur. Lychenes quoque, Scabiem, pedum vermiculos, *Bichos* dictos, aliaque cutis vitia expugnat.

Matureſcente autem caſtanea ipſa cum oleo intus contento ſenſim miteſcit, ac vim ſuam maxima ex parte deponit; quod principio quidem auſterum & acidum, dentibus ac palato ingratum & noxium, mox à Sole excoctum & matutino rore turgidum, noſtris Europæis gratiſſimum, & in deliciis eſſe ſolet.

Braſilianis vero non minus quam Arcadibus olim Quercus, pomum hoc, tum glans ei adhæreſcens & ſuperinnaſcens, à tot jam ſeculis, vitæ ſolatio fuerunt. Bella, quæ frequentia inter illos excitari ſolent, ex parte hujus fructus amore geruntur. Victores enim caſtris poſitis loci expugnati poſſeſſores tamdiu manent, donec omnem arboris fructum depaſti fuerint. Ætatem exinde ſuo more dimetiuntur, nam ſemel in anno dumtaxat celebris hic fructus provenit, idque menſibus Decembri, Januario & Februario, tunc enim deficit ſub latitudine Parnambucenſis Præfecturæ; quia meſſis & vindemiæ tempora pro ſitu regionis mutari ſolent.

Pomum modicè refrigerat & fauces conſtringit: ventriculo gratum, ſi maturum, ſin minus, & immaturum inſtar Limoniorum ſucci, corroſivum eſt ac mordaci acore infeſtum. Figura

gura eſt oblonga & turbinata, pyrum, haud malum diceres: odore grato & fragrante, colore qua Soli obvertitur, roſaceo, cætera croceo & ad aureum vergente. Subſtantia intus ſpongioſa eſt & multo ſaporoſo liquore tumens, ſed acinis & ſeminum cellulis carens. Crudum æque cupidè ac coctum & præparatum, expetitur. Saccharo quoque conditur à Luſitanis & noſtris.

Vinum quod ex hoc malo ab Indigenis exprimitur, inſigne eſt; nec dubium quin diu perdurare, & complures in annos, ubi deferbuerit, firmum & floridum ſervari poſſit. Vetus citius inebriat quam recens, non ſecus ac ſicera Europæa; licet adſtringat, urinas tamen egregie movet, ut in me & aliis comperi. Aquam quoque deſtillatitiam, optimumque acetum inde elici & componi videmus, quod urceolis exceptum, vicem aceti ſupplere ſolet.


Caſtaneæ autem ſeu glandes pingues & ſecundo gradu calidæ, renis leporum figuram æmulantur. Crudæ ac recentes, ſi cum vino & momento ſalis manducentur, juglandes guſtu referunt, ſin aſſatas aut ſaccharo conditas comederis, multo ſuaviores, & durabiliores comperies; quapropter quoque pro deliciis inter bellaria apponuntur.

Incolæ arboris gummi redactum in pulverem, ex liquore convenienti propinant mulieribus obſtructione menſtruorum laborantibus. Hæc de *Acajú* arborum Braſiliæ facile principe, dicta ſufficiant. Utinam æque copioſe in deſertis & remotis Braſiliæ montibus & ſilvis à natura eſſet collocata, ſicuti in locis mari vicinioribus.

CAP. VII.

De Icicariba, & illius Reſina Icica.

IN arenoſis & effætis nemoribus excelſa reperitur arbor gummifera, quæ à Barbaris *Icicariba* appellatur à lachryma quam fundit, quæ ipſis *Icica*, Luſitanis *Almaciga* dicitur. Arbor hæc Fagi in modum creſcit, caudice non ita craſſo, cortice glabro & gryſeo. Folia fert in ramulis, duo ſemper ſibi invicem oppoſita & tertium ſolitarium in fine. Sunt autem pyri foliis ſimilia, oblonga, anterius acuminata, craſſa inſtar pergameni, læte viridia & ſplendentia, nervo ſecundum longitudinem, & venis oblique diſcurrentibus. In ramulis ad foliorum exortum copioſi pronaſcuntur floſculi, racematim ſeu verticillatim poſiti ſive congeſti, parvuli, quatuor foliolis viridibus conſtantes, ſtellulæ pene figura: Foliola autem illa in ambitu lineola alba ſunt circumdata, & in medio exſtant ſtaminula aliquot flaveſcentia. Poſt florem ſequitur fructus, figura & magnitudine Olivæ, colore autem mali granati, intus habens pulpam odoriferam, uti & lachryma eſt arboris. Cortex exterior ſi manu vel paulum mulceatur, inſignem mox odorem de ſe fundit.



Cortex hujus Arboris altè vulneratus, plenilunio imprimis, ſtatim, nonnumquam poſtridie, aut tertio poſt die gummi ſeu reſinam fundit odoratiſſimam (odoris inſtar Anethi recentis contuſi) præſtantiſſimamque, colore albicante & vireſcente. Eſt gummi Elemni plane ſimile, quod tamen noſtro officinarum, utpote recentius, odore, & qualitate efficacius. Calidum eſt ad tertium gradum, primum molle, mox indureſcens, præcipuè frigefactum. In omni topico, ſive ſimplex, ſive compoſitum, ad vulnera aperta & ad interiora mala, ex frigore potiſſimum nata, adeo expertum, ut profanum habeatur illud aut ignoraſſe aut non applicuiſſe. Hoc cum, partim ruſticorum indulgentia ad me allatum, in quotidiano uſu eſſet, vix ulli umquam emplaſtro ſtomachali, vel ceroto corroboranti adeo ſum fiſus, quam huic. Viſcera enim roborare, flatus diſſipare & doloribus feliciter mederi aliquoties ſum expertus; ita ut in frequentiori praxi hoc præ cæteris commendare, reliquiſque omnibus præferre voluerim. Poſtremo, ut hoc quoque adjiciam, capitis vulnera, licet graviſſima, ſanat, ac prima intentione reſtituit; cujus rei veritas facili experimento eluceſcit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Cap. VIII.

De Ietaiba arbore & illius lachryma.

RAriora quidem aromata & balſama, pro ſua fertilitate, hic Braſiliæ tractus profert, quoad reſciſcere potui, quæ tamen gummi & lachrymarum copia compenſat. Inter hæc perpetuo virore conſpicua nemora, præſertim in Paraybæ diſtrictu, ſpiſſam & ſpecioſam producunt Arborem *Ietaiba*, ligno duro, albo, cortice lento, punctulis ex albo flaveſcentibus variegato, & hinc inde clypeiformibus maculis, ex albo ſubflaveſcentibus. In ramis continet folia directe oppoſita, figura parva, ſed oblonga, viridia, ad tactum lævia, nervo ſecundum longitudinem & venulis tranſverſis, eleganter inferius conſpicuis, prædita. Fabas producit magnas, miniati coloris, quibus farina alba edulis, juxta tria lapidea grana, digitalis longitudinis continetur: è quibus vi fractis prodeunt nuclei molles, oblongi & miniato colore nigreſcentes, admodum odoriferi, optimique ſaporis, amygdalis Europæis minime inferiores, quibus animalia non tantum, ſed peregrinantes ſæpe ſe ſuſtentant. Ex ipſa autem arbore lachryma ſeu reſina deſtillat pellucida & nunc albicans, nunc flavens, ſuccino fit maxime ſimilis colore & duritie (Braſilianis *Ietaicica*, Luſitanis *anime* vocatur) & prunis impoſita ſuaviſſimum præbet ſuffitum; facillimæ autem eſt conſumtionis.



Hoc gummi per meatus corticis interiores decidere certiſſimum eſt; illud enim, tellure effoſſa, ſub arboris trunco & radice occultatum extrahere ſolent. Quod potiſſimum fit ſub finem æſtatis menſe Februario. Monardes ex vulnerata arbore, in Nova Hiſpania, colligi teſtatur, haud aliter quam Maſtiche aut Thus. Eo non ſolum Medici, ſed & vulgus familiariter utuntur, præcipuè in capitis illo affectu tollendo, qui ipſis *Chabequos* dicitur, quem Cephaleam vel Hemicraniam recte dixeris. Solus autem illius ſuffitus ad roborandum non ſolum caput, ſed & reliquas corporis partes frigore affectas, valet. Calida eſt & ſicca in ſecundo gradu. Cæterum vi quadam aromatica & peculiari ſuo calore hoc gummi præſtare ac partibus nervoſis illitum, vel emplaſtri forma applicatum, prodeſſe aliquoties ſum expertus.

Folia arboris contuſa lumbricos enecare, ſi exhibeantur, conſtanter affirmant.

Interior corticis ſubſtantia raſa & aquæ impoſita, contra ventriculi ventoſitates, ad potiunculæ formam præparatur, alvumque ſimul movet.

Cap. IX.

De Caopia arbore ejuſque facultatibus.

HUmilis ac tenera hæc arbuſcula guttifera, à Luſitanis *Pao de Lacra* appellatur, quod gummi ſeu gutta quædam viſcoſa ex cortice ejus defluat. Paſſim & è quovis terræ genere progermi-

germinat. Ligno eſt lento, cortice è cinereo ruſeſcente: diſpeſcitur in multos ramos. Folia habet ſolida, inferiori parte ex viridi quaſi ruſeſcentia & aſpera, ſuperna dilute viridia & ſplendentia. Florum in umbellas congeſtorum rudimenta ſunt globuli brunni, magnitudine lentis, qui ſucceſſu temporis protrudunt flores quinque foliolis conſtantes, exterius ex viridi flaveſcentis coloris, interius tomento albo veſtitis, & ſtaminulis luteis ſubtilibus repletos. Poſt flores proveniunt baccæ, primo virides, magnitudine ceraſi, rotundæ, quæ diſſectæ ex molli, quo teguntur, cortice, ſucci multum eleganter flavi exſudant: intra corticem autem continetur pulpa alba conſtans meris cylindris juxta ſe poſitis, qui ſibi invicem cohærent.

In extremitatibus ramorum, qui florum rudimenta aut flores ſuſtinent, ſemper duo foliola acuminata brunni coloris compacta ſunt invicem, quaſi ſemiglutinata eſſent, & haſtam ſive venabulum referunt: hæc decerpta ex pediculo croceum humorem emittunt.



Florent hæ arbores potiſſimum menſe Novembri & Decembri: Ianuario & Februario baccæ ſunt maturæ.

Si cortex medius hujus arboris incidatur, præſertim quando florere incipit, & linquatur per unum atque alterum diem, exſudat lachryma croceo rubra, egregia, coagulaturque; quæ initio mollis, poſtea indureſcit. Convenit colore & conſiſtentia cum *Ghitaremi* ſive *Gutta gamba*, & eodem fere modo purgat; eſt è flavo paulo ruffioris coloris, quam illud, nimirum ſiccatum, nam molle croceum: tingit colore luteo ſive aureo paulo ſaturatius. Diſſolvi poteſt eodem modo in ſpiritu vini, & tincturam facit croceam. Nonnumquam ignes luculenti ſtruuntur juxta arborem, quorum poteſtate cortex dehiſcit, majoremque fundit lachrymæ copiam, quæ in maſſam coacta in uſum Medicinalem ſervatur. Quod à me primum tentatum, optime ſucceſſit, à nemine autem antea factitatum, Indigenæ & Luſitani teſtantur.

Olim affrictu hujus reſinæ in aqua diſſolutæ, impetiginem tollebant. Licet autem tantæ efficaciæ non ſit, quam gutta Cambides (quod an inſitæ tarditati, an præparandi modo ſit imputandum, dubito) tamen à drachma dimidiata ad drachmam unam, per integram noctem in aceto ſquillitico, aut ſpiritu vini macerata, & ex vino propinata, ventrem ſolvit, fortiterque per inferiora exonerat. Meo tamen judicio rectius faciunt, qui dilutum ex aceto prædicto, in pillulas accedente ſtimulo conglobant, quam qui potiones ex illa conficiunt, quod ob tenacitatem difficillime ſolvatur.

CAP. X.


De Palmis, earumque variis ſpeciebus.

PLurima Palmarum genera producit Braſilia, quarum quædam ſponte ſua creſcunt, quædam incolarum induſtria terræ inſeruntur, inque ſpecioſam altitudinem exſurgunt.

Inter ſilveſtres frequentiſſima eſt *Pindova*, eximia & procera arbor, denſiſſima nemora conficiens. Palma autem mas & fœmina dactylifera; tum imprimis *Cocero*, non procul à littore in prædiis Belgarum & Luſitanorum excolitur, tamque ad ornatum, quam uſum edu-

 catur,

catur, omnique anni tempore, adulta licet, ſitienti & triſti fundo, feliciſſime tranſplantari ſolet. Circa diœceſin Paraybajenſem è remotiſſimis nemoribus ad hortos ob elegantiam traducta Palma conſpicitur, cujus brachia ſive rami caudam Pavoniam æmulantur. Barbari *Caranaibam* & *Anache cariri*, Luſitani *Tamar* appellant, forte, quod fructus dactylis ſimiles ferat. Eſt autem arbor Palmæ dactyliferæ altitudine: habens lignum ruffum, durum, craſſis nervis intus conſtans, nullius tamen uſus: cortex exterior gryſeus & cartilagine à terra ad aliquod ſpacium ſquamatus, ſquamis ordine cochleatim poſitis; quæ primo longiores, ſenſim fiunt breviores, imo tandem decidunt ſuperne: nam arbores adultiores caudicis ſuperioris medietatem habent glabram, inferiorem ſolum ſquamatam. Squamæ enim nihil aliud ſunt, quam ramorum qui exciderunt reliquiæ; arbore in altum ſurgente & enaſcentibus aliis ramis. Arbor in ſummitate ramos ſuos orbiculatim expandit, directe ſurſum, deorſum, & ad latera, ut palma dactylifera, ſed longe elegantiori aſpectu. Ramus quilibet duos vel amplius pedes longus, ſatis craſſus, compreſſus in utroque latere, ſpinis duris nigris armatus, figura Dentiſcalpium referentibus.



Unicum in cujuſlibet rami extremitate folium rotundum, figuræ & ita plicis donatum, ut manuarium fœminarum umbraculum coloris viridis, ab extremitate ad medietatem fere introrſum ſectum, in multa alia carinata folia, foliis palmæ dactyliferæ ſtructura ſimilia: quodlibet ex his ſectis foliis, duos circiter pedes longum.

Inter ramos folia ferentes alii prodeunt longiores, nimirum quatuor aut plures pedes longi, in multos ramos & in ramulos lanugine albeſcente obductos, expanſi alternatim, ſive quaſi ex vaginula prodeuntes. In ramulis hiſce alternata ſerie exiſtunt floſculi pallide flavi, ſine pediculis, ſinguli tribus foliolis conſtantes.

Poſt floſculos illos proveniunt fructus, figura & magnitudine olivæ, primum virides, amari, non edules; mox maturi nigreſcentes evadunt dulces menſe Februario, & licet noſtratibus nullius uſus, gentilibus tamen tam crudi quam præparati in deliciis habiti, *Tirade* nuncupantur. Tarde creſcit hæc Arbor.

Folia apprime ſerviunt ad tegendas ædes & corbes.

Ea vero quæ inter palmas ſilveſtres *Vrucury* indigenis vocatur, ut & *Tucu*, in tantam proceritatem non excreſcunt, multoque cæteris ſunt humiliores, minuſque cognitæ; ſpinis aſperrimis horrent & ligno ſunt ferreo, ſed nullius uſus.

Fructus autem ſunt fructibus Pindovæ minores, cæterum ejuſdem ferme naturæ & racematim quoque creſcentes.

Quæ *Pindova* dicitur, lignum albicans & ſcabroſum corticis loco habet, ligni autem loco fungoſam & intus filoſam medullam facile combuſtibilem, è qua ſana & fortiſſima lixivia norunt conficere. Nullum præterea aut certe exiguum præſtat uſum: ad ornatum duntaxat ob inſignem altitudinem & ramos pulchre porrectos expetitur; iis ſiquidem eleganter comatis & foliis radiatis utrimque veſtitis, Luſitani atria & templorum parietes exornant, Indigenæ



vero loco tegularum tuguria ſua ad pluvias & alia arcentia ſternunt. Fiſcellas quoque & vaſa viminea ex illis conficiunt. Folia autem hujus arboris non ita dependent in orbem, ut *Cocoeiro*, ſed maximam partem ſtant ſurrecta.

Prope foliorum exortum, etiam rami proveniunt penduli, proferentes racemos quatuor vel quinque pedes longos, plenos floſculis, poſt quos etiam racematim proveniunt fructus ovi gallinacei figura & mole aut etiam majore, faſtigium habentes acuminatum: altera autem extremitate inſident calici vel cupulæ, ut nux pinea, foliis triangularibus conſtanti.

Maturus fructus exterius ex viridi flaveſcit, vel etiam bruneſcit. Cortex exterior filamentoſus eſt, ut in *Coco*, verum haud craſſus, ſed duplam tantum habens ovi Gallinæ teſtæ craſſitiem. Hic morſus detrahi poteſt: illo detracto apparet pauca caro crocei coloris, vix ullo manifeſto ſapore prædita, quæ à Nigritis cum farina comeditur. Caro autem hæc ambit nucem duriſſimam, inſtar *Coco* ovalem, ejuſdem fere craſſitiei, ſed ſine foraminibus. Hac fracta, apparet in cavo, per interſtitium more juglandum diſtincto, nucleus magnitudine juglandis, albus, duriuſculus, paulo ſiccior neque tam ſuavis ut *Coco*. Colliguntur per totum annum & nuclei tam ab indigenis quam advenis comeduntur. *Inaia-miri*, id eſt, cocos parva, Braſilianis dicta.

Oleum inſuper optimum inde exprimitur, album & jucundi odoris, quod, quia refrigerat, defectum roſati ſæpe ſupplet, & cum recens eſt, in cibis, cum vero vetus, ad lucernas uſurpatur. E fructus quoque cortice aliud non ignobile & magis flavum elicitur, ſed minus refrigerans, quod tamen ad multa mala emollienda adhibetur.

E faſtigio arboris gummi pellucidum, odoratum & pulcherrimum fluit, quod in locum Arabici nonnumquam venit. Poſtremo medulla coloris albicantis & recentem juglandem reſipiens, in vertice ligni continetur, optimum alimentum ſi cum pane & ſale comedatur.

COCOEIRO Indica, quæ à Braſilianis vocatur *Inajaguacuiba* & fructus illius *Inajaguacu*, Pindovæ (de qua jam diximus) in multis diſſimilis. Nam caudice raro eſt recto, ſed plerumque inclinato, quatuor, & interdum etiam ſeptem pedes craſſo: & ſæpe ad quinquaginta pedes alto. Quapropter mirum eſt, eorum truncos poſſe ſic brevibus, tenuibus & vix terra coopertis radicibus in aëre ſubſiſtere, neque ſuo multo pondere & mole, ventiſque etiam vehementibus ſæpe eas quatientibus, humi concidere. Accedit quod pars caudicis humi proxima, non craſſior aut fortior quam in ſummitate exiſtat. Cæterum eſt cortice cinereo, & quaſi vibicibus hinc inde tranſverſim notato per ambitum. Lignum non multi eſt uſus, conſtat enim ex meris filamentis: eſt dulce & quaſi lacteo ſucco turgens, unde arbore cæſa à formicis appetitur. Caret ramis; ſed in ſummitate, quindecim, viginti aut plura habet folia magna, alata, in orbem diſperſa, partim ſurrecta, partim dependentia, grato aſpectu. In exordio ſuo hæc folia alata quadam textura veſtita ſunt, obſcure gryſei coloris, quæ ſolvitur ſubſequente alia. Quodlibet folium longum eſt circiter ſedecim pedes Rhijnlandicos; plures paucioreſve, ac in exortu unum circiter pedem craſſum, diſſectum in folia ſive alas, ordine juxta ſe poſitas aut oppoſitas; quodlibet tale folium tres pedes circiter longum eſt, duos digitos latum, ſed verſus extremitatem anguſtius & acuminatum, habens ſecundum longitudinem nervum oſſeum flaveſcentem, ac tranſverſim ſubtiliſſimas lineas ſeu ſtrias virides, ac totum carinatum cavitate ſurſum verſus; ſubſtantiæ inſtar folii Gladioli, læte viride ac ſplendens. Inter folia alata in ſummitate arboris oritur ſiliqua ſive vagina duos pedes aut amplius longa, in extremitatibus faſtigiata, viridis, ſtriata, quæ deinde rufeſcit & ſponte ſe aperit. Antequam autem ſe pandat, caulis intus reperitur eleganter compoſitus pedem longus, tres aut quatuor digitos craſſus, in plures ramos pedales aut ſemipedales diviſus, qui rami apte à natura in theca illa complicati magnam ſpicam repræſentant. Rami autem hi onuſti ſunt triangularibus corpuſculis, magnitudine amygdalæ excorticatæ, albis, quæ rudimenta ſunt florum & deinde nucum. Nam rupta vagina rami hi ſe explicant & oſtendunt floſculos luteos. Hinc ſuccreſcit fructus, quilibet inſiſtens brevi pediculo, pennam anſerinam craſſo, & cupulæ, ſquamis conſtanti ex rufo flaveſcentibus. Pondere & duritie ſumma nuces caput humanum excedentes profert. Toto anni tempore maturis pariter atque immaturis fructibus decoratur, qui arcte & racematim caudicis ſummitati adhæreſcunt, & putaminibus craſſis, filamentoſis & tenacibus veſtiuntur, quibus ſublatis ligneus calix apparet, quem ſi immaturum perforaveris, aliquando ſupra heminam dulciſſimi & gratiſſimi liquoris emittet, qui actu frigidiſſimus licet, potentia tamen calidus eſt, & tenuiorum partium, urinamque cunctantem provocat. Nucibus autem maturatis, lacteus ille humor condenſatur & coaguli inſtar calami ſcriptorii craſſitie concavo adhæreſcit, qui exemtus ac manducatus vix ulli nucleo,

oleo, quamvis ſapidiſſimo, dignitate cedit: nutrit enim & ſuaviter reficit: proinde à viatoribus longo itinere delaſſatis & ſcorbuto infectis valde expetitur. Calidus & humidus exiſtit in primo gradu. Oleum inde premendo extractum, in plurimos culinæ & pharmacopeæ uſus reſervatur, nec amygdalorum oleo præſtantia cedit.

Per os aſſumtum pectoris malis medetur oleum, alvum quoque laxat, ſi largius exhibeatur: ex alto læſis mirum in modum prodeſt, urinaſque cit.

Præterea liquor quidam ſtillatitius, albicans & eximiæ virtutis exinde elicitur, renumque & Gonorrheæ ardoribus exſtinguendis utiliſſimus, tum à mulierculis inter coſmetica adhibitus. Obſervandum autem aquam illam copioſiſſimam & gratiſſimam inveniri in mediæ ætatis nucibus: in plane maturis tantum modicam, neque ita gratam. Nucleum autem tum optime ſapere, quum ad ſummam maturitatem pervenit.

E trunci porro vertice medulla quædam, arbuſculæ inſtar novæ, exſurgit, quæ ex loculo, quo continebatur, prorumpens, ejuſdem fere qualitatis, cujus concretus ille nucis humor, de quo jam diximus, exiſtit; quæ non cruda ſolum, ſed & cocta inter epulas apponitur, & cum braſſica Cyprina certat. Nondum matura magis refrigerat; quocirca vicem acetariorum & lactucarum præſtat. Sed ea ablata arbor moritur, quod non æque contingit inferiori radicum parte læſa vel conciſa; hinc fit ut plures indigenæ ſibi perſuadeant idem, quod Proſper Alpinus de Ægypti populis circa dactyliferas narrat palmas, eas ſcilicet non terra radicibus attracta, ſed aëre ex ſublimiori arboris parte ali ac vivere.

Atque hæc de Palmis, earumque medicis præſidiis dicta ſint. De cæteris illis rarioribus nativis & minus uſualibus; ut & de dactyliferis exoticis, in Africa atque Aſia non ſolum, ſed & Italia notiſſimis, ſi quid reſtet in Hiſtoria Naturali plura dicentur.

CAP. XI.

De Aroeira ejuſque qualitatibus.

ARbor arenoſis, littore imprimis & promontorio Olindæ frequens, *Aroeira* nuncupatur. Myrto ſilveſtri noſtrati qualitate non valde abſimilis, ad Lentiſcos tamen referri debet. Præter eximias facultates, quas cum *Araca*, & Myrto, reliquiſque, aſtringentibus & odoriferis arboribus habet communes, hiſce peculiaribus pollet, quod reſinam fundat fragrantiſſimam inſtar Lentiſci, ex qua emplaſtrum adverſus frigidos affectus componitur.



Foliis convenit cum *Guabirabæ* foliis, niſi quod hujus ſint paulo minora: Sunt autem in ramulis bina ſibi invicem oppoſita, & quinque aut ſeptem in extremitate. Ad cujuſlibet ramuli exortum, ramulus eſt brevior, plenus floſculis minimis, qui conſtant quinque foliolis ex albo ſubluteis.

Fructum fert exiguum ſanguinei coloris, racematim congeſtum ac pendulum, cujus acrimonia & ſiccitate carnes recentes à putredine conſervantur.

Oleum quoque ex ſucculentis illius baccis exprimitur, eidem uſui cum reſina inſerviens.

Folia inſignem & nobiliſſimum odorem emittunt, ſi conterantur, quæ ſubamara, cum quadam vi adſtringendi, aromaticas calidaſque partes habent conjunctas, quemadmodum è balneis & lavacris, quæ ex illis fiunt, videre eſt.

Has vero virtutes tum profunde exſerit, ut per deſtillationem foliorum, imprimis recentium, odorifera & adſtringens aqua inde eliciatur, quæ tum ad pellendos corporis affectus, tum ad delicias ſervatur.

Tempore paroxyſmi febricitanti, Empyricorum more, exhibent cum ſucceſſu, oculos ſeu gemmas arboris ex aqua nocturno rori expoſitos.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Cæterum ſciendum eſt in ramis *Aroeira*, luxuriare ſæpe polypodium, illo quod è terra proſilit longe probatius.

CAP. XII.

De Urucu, ejuſque qualitatibus.

LOcum inter arboreſcentes Plantas obtinet *Urucu*, ſilveſtris quidem, ſed à Braſilienſibus inter hortenſes & ſativas jam olim tranſlata; multaque etiam nunc induſtria eam excolunt; partim ut granulorum folliculis involutorum, minio ſeſe exornent ac pingant; partim vero ut Luſitanis divendant, quæſtumque ex illo faciant. Lingua ipſorum hanc plantam *Urucu* dictam, Cluſius Bixam Americanam Oviedi eſſe exiſtimat.

Foliis eſt grandioribus & mucronatis, figura cordis, ut pingi ſolet, alternatim poſitis, in pediculis, duos, tres, interdum & quinque digitos longis, nervum ſecundum longitudinem & venas obliquas inferius prominentes habentibus, læte viridibus: caulibus calamo ſcriptorio tenuioribus, ligno albo & cortice fuſco, inſtar coryli. Circa extremitatem ramorum in brevibus pediculis multi proveniunt flores, in uvæ figuram diſpoſiti: quilibet flos eſt roſæ magnitudine, quinque foliis conſtans albis incarnatis dilutis. In medio cujuſvis floris ingens numerus eſt ſtaminulorum luteorum apicibus purpureis: vix ſenſibilem aliquem habet odorem. Poſt florem fructus ſequitur in ſiliqua myrobalani oblongi figuram habente, ſeu pyramidali rotunda, ſeſquidigitum aut duos digitos longa: quæ immatura vireſcit exterius, matura rufeſcit, eſtque tota hiſpida ob fila prominentia quæ habet, ſed non aculeata. In qualibet autem ſiliqua ultra triginta, imo quadraginta grana, quodque ſuo pediculo innitens, continentur, figuræ conicæ acutæ aut exigui pyri, & in duobus lateribus quaſi digito compreſſum. Color granorum inſigniter miniatus & ſplendeſcens, ſuccoque tali madens, ita ut ad tactum inficiat manus egregio miniato colore. Grana recentia haud dura ſunt, ſed ut granum pomi, intus carnem habens albicantem: exterius etiam quodlibet granum punctulum habet argenteum. Siliqua matura ſponte ſe aperit: grana ſiccata evadunt rubra, obſcure nihilominus tamen, ut antea, tincturam in ſe continent; & recentia ſive ſiccata uſurpari poſſunt: Trita ſimpliciter in aqua ſimplici ſeu ſtillatitia, egregiam dant tincturam miniatam. Collecta grana in maſſam coguntur, ſpherulæque & tabellæ in multos annos durabiles inde conficiuntur, quæ in Europam tranſmiſſa longe lateque diſtrahuntur. Magiſterium etiam inde, more coralli, præparatur & in uſus reſervatur. Grana recentia matura & exſiccata, inque paſtillos conformata, quantitate indefinita, cum pulte ex *Tipioca*, quæ *Carima* dicitur, alioque conveniente decumbentibus exhibent, ſive veneno, ſive aliunde infirmitatem contraxerint.

Radices ipſæ, nec grana, multi ſunt ſaporis, proinde ad medendum faciliores. Incolarum nonnulli radices granis præferunt, quod harum recens, illorum vero uſus longe ſit antiquior, & vicem croci, colore & qualitate (ſicut de *Curucuma* J. Bontius retulit) ſupplet. Tum extractum ejus ex vino aduſto confectum ſibi reſervant. Quod etiam nunc hodie colonorum non paucos, imitari videmus. Videatur Icon Hiſt. Nat. G. M.

CAP. XIII.

De Zabucajo, ejuſque uſu.


ALtiſſima arbor eſt, cortice gryſeo, duro & inæquali, inſtar Quercus veteris, (ex quo atramentum ſcriptorium conficitur) folia juniora ruffa ſunt, vetuſtiora autem viridia, ſimilia foliis Mori, in ambitu ſerrata, & quodammodo contorta & incurvata. Capaciſſimos & ſummæ duritiei producit calices, ore in terram obverſo, & operculo, admirabili naturæ luſu, inſtar pyxidis, opertos. In iis continentur nuces jucundi ſaporis, quæ ubi maturitatem fuerint conſecutæ, excuſſo illico tegumento, ſine cujuſquam auxilio è calicibus decidunt, & gratiſſimum, incolis æque & animalibus ſuppeditant alimentum. Semel in anno matureſcunt, media videlicet hyeme. Sapore & excellentia piſtaceis adæquantur, & venerem ſopitam dicuntur excitare.

Potiones & pultes, tam ad Medicinam quam ad epulas ex illis comparantur.

Oleum quoque pinguiſſimum ex illis exprimitur, amygdalino calidius; nuclei enim, è quibus elicitur, in ſecundo gradu calidi & in primo ſicci perhibentur. Præſtat aſſatis quam crudis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

crudis veſci, quod caput infeſtent. Pluſquam triginta ordine ipſi calici, mediante viſcoſa materia, agglutinati hærent, figuraque fere triangulari exiſtunt, Myrobalano Chebulo non adeo



diſſimiles. Tantæ duritiei hæ pixides ſunt, ut Tapuyeris non ſolum vaſa potoria, ſed & diſcos, & ollas ſufficiant. Cæterum arbor in ſaltibus & locis mediterraneis adeo luxuriat, ut juſto exercitui, ſufficienti ſuſtentaculo fructus ejus aliquando fuerint.

Pulchra eſt, trunco craſſo & recto, inque inſignem proceritatem aſſurgit. Lignum eximium uſum præſtat, putredini mire reſiſtit, unde ob ſummam ſimul duritiem, molendinorum ſacchareorum axes ex illo fabricantur, cæteraſque arbores multum antecellit.

Cortices præterea contuſi & rite præparati naupegis loco ſtupæ inſerviunt.

Alia adhuc datur iiſdem locis *Zabucayo* arbor, priori ſimillima, niſi quod calices magis deformes producat, earum nuces dignitate inferiores habeantur: quippe ex immoderato illarum uſu, quibuſdam capillos defluxiſſe Incolæ teſtantur.

Cap. XIV.

De Gueticoroja, & illius facultatibus.

VAriæ arbores excelſæ *Guetijs* dictæ, ejuſdem generis fructus flaveſcentes producunt, pauca carne, magnoque lapide ovalis figuræ intus refertos; quorum fructuum ad minimum mihi tres vidiſſe ſpecies contigit, *Guetitoroba*, *Gueti-miri*, & *Gueticoroya*, eſculentos quidem omnes, ſed à paucioribus expetitos, excepto uno hoc coque prægrandi, de quo in præſenti agimus, & à magnatibus in deliciis habetur.

Eſt autem hæc arbor quæ *Guety-coroya* dicitur, cortice gryſeo. Rami habent folia in

frondes

frondes congeſta. Nimirum pediculi ſunt in extremitate ramorum, unum aut ſeſquidigitum longi, alternatim oppoſiti, & quilibet duo aut tria folia ſuſtinentes, decem & plures digitos longa, quatuor aut etiam ſex lata, ad tactum inſtar corii Hiſpanici, oblonga, linguæ figura, ſuperius dilute viridia, inferius ochræ inſtar flava, nervo ſecundum longitudinem eminente, & coſtis obliquis intervallis, partim æqualibus, partim inæqualibus diſtincta. Ad frondes flores proveniunt, in longam ſpicam congeſti, parvi, flavi, pene inodori. Floret Januario menſe, Majo & Junio fructus matureſcit, ſemelque biennio integro provenit. Malum Europæum magnitudine excedit: eſt tuberoſus, deformis & maculis nigricantibus diſtinctus; in ſuperficie ubi maturuerit, mollis, ablatoque cortice, flava pulpa pinguis & carnoſa apparet. Odore, ſapore, ipſaque ſubſtantia nutritiva conſervam aliquam recentem & aromaticam reſipit. Mox ſummæ duritiei ac ponderis lapis, ovique magnitudine, multis filamentis veſtitus conſpicitur; qui vi effractus, nucleum ſubſtantiæ carnoſæ rubicantis & compactæ continet, ingrati ſaporis & aſtringentis. Is tritus & ex conveniente liquore ægro porrectus, vi aſtrictoria immodicum alvi profluvium ſiſtit. Uſum, quantum quidem conſtat, alium in Medicina non habet hic fructus; ut nec ipſa arbor, quæ ſoliditate & altitudine, & duratione ipſam Quercum ſuperat.



CAP. XV.

De Ianipaba ejuſque facultatibus.

VNa ex procerioribus Braſiliæ arboribus eſt *Ianipaba:* foliis lævibus, cubitum longis, & ſaturate viridibus, quæ ſingulis annis, menſe imprimis Decembris deponit, non omnia quidem ſimul ſed partem illorum, diverſo tempore. Mox nova prioribus multo lætiora acquirit.

Ligno eſt duriſſimo & optimo. Florem gignit exiguum, menſe Martio & Aprili, cæterum Narciſſo haud multum diſſimilem, odorem Caryophilli Carthuſianorum æmulatur; coloris albi, cum unguibus interius flavis: in medio floris ſtamen craſſiuſculum flavum habens, ac inſuper inter duo folia floris corniculum pallidum è medio floris prodiens, deorſum incurvatum.

Fructus illius magnitudinem habet mali Auraici, vel majorem, rotundus, cortice tenui, lento, cinereo, ſub quo primum continet carnem ſolidam, lentam, ſucculentam, flaveſcentem, ſaporis acidi, & refrigerantis, odoris grati. In medio autem fructus eſt cavitas repleta ſeminibus molliori pulpa circumdatis, ejuſdem cum reliqua carne ſaporis. Seminis grana ſunt compreſſa, & ſuborbicularia, fere ut *Mangaba*, quæ una comeduntur. Immatura poma viridia ſunt, mox matura, meſpilorum inſtar, putreſcunt atque eſui apta fiunt, unde **Rott-appels** à plebe noſtrate appellantur. Cruda non cocta appetuntur: Saccharata & condita lautiora ſunt. Contra fluxum ventris feliciter exhibentur. Ardores palati & ſtomachi compeſcunt, ſaniſque & ægris ſolatio ſunt.

Vinum, quod ex illis exprimitur, in eoſdem uſus reſervatur, ſed vetus redditum calidius exſiſtit, minuſque adſtringens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Ex pomo nondum maturo vi ignis liquorem extrahunt barbari, quo adverſus eadem mala utuntur.

Ex pomi cortice immaturo pigmenti quoddam genus eliciunt, quod recens aqueum eſt, mox nigreſcit, quo corpus pingunt, ut veſtitum nigrum eminus, fædo equidem ſpectaculo, mentiantur. Nullum alium uſum hic ſuccus habet, ad nequitias dumtaxat exogitatus. Tinctura enim illius corpori vel chartæ illita, circa nonum diem evaneſcit; nulla alia ratione ablui poteſt.



CAP. XVI.

De Acaja quæ & Ibametara.

PRoceriorem, vetuſtiorem & frondoſiorem arborem, in Braſilia me vidiſſe vix memini. Cortice eſt craſſo, rugoſo & è cinereo albicante, inſtar Sambuci.

Folia illius ſunt lævia, directe ſibi invicem oppoſita, ad quatuor interdum digitos longa, circinata, ſplendentia, & nucis juglandis foliis haud abſimilia, verum acutiora; quæ media æſtate deponit, noviſque ante hyemem decoratur, ut redintegrato quaſi robore fructum melius proferat. Floſculos habet copioſos, in magno racemo congeſtos ex albo ſubflaveſcentes: poſt flores proveniunt pruna flava, noſtratium magnitudine & figura; paucæ quidem, ſed ſucculentæ carnis: lapidem continentia magnum ex filamentis lignoſis, nec durum, ſed dentibus cedentem; qui nucleum continet in ſe, ex albo flaveſcentem. Fructus hic grati eſt acoris, ac proinde inter tragemata locum ſibi vindicat. Hybernis menſibus maturatur, æſtate media floret, & tunica tenaci veſtitur. Primo loco refrigerat & adſtringit.

Folia, ſucci, oculi & cortex, externis juxta & internis affectibus medetur. His ſuccedunt *Aroeira*, Myrtus, *Araca*, quæ omnia in gargariſmum, contra gutturis inflammationem & ſimilia mala præparantur; vel in lavacro, contra multos externos pedum & corporis affectus adhibentur. Gemmæ præterea hujus arboris in acetariis, febricitantibus proſunt.

Peculiare habet hæc *Acaja* arbor, quod volucres picæ magnitudinis, nigris & aureis plumis eleganter veſtitæ, in extremitatibus ramorum affabre & concinne pendulos ſuos nidos conſtruunt.

CAP. XVII.

De Tapia arbore, ejuſque facultatibus.

IN Urbe Olinda, totaque fere præfectura Parnambucenſi hæc arbor naſcitur, in fagi altitudinem aſſurgit, cortice lævi, cinereo; multos habet ramos; & folia in ſingulis pediculis tria ſibi invicem appoſita, lævia, ſplendentia, ſuperne ſaturátiore, inferne dilutiore virore conſpicua, quinque aut ſex digitos longa.

In extremitatibus ramulorum plures pediculi, ceraſini quaſi, collecti, in quorum quolibet flos naſcitur, quatuor foliis conſtans albis & digitum longis, habetque cum his alternatim poſita quatuor foliola vireſcentia, inter quæ exſtant ſtaminula ſubruffa multa, circiter ſeſquipedem longa.

Licet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Licet autem hæc arbor foliis fructibuſque malo Aſſyriæ quam ſimillima ſit, tamen qualitate ab illa omnino diſcrepat, quod exceptis foliis longe inferior ſit. Quare Braſilianis pa-



riter & noſtratibus, ob ſingularem efficaciam quæ illis ineſt, vehementer extolluntur. Præterquam enim, quod variis corporis affectibus ſuccurrant, immodicos fervores leniunt, & atroci illi ani vitio, *Bicho del culo*, dicto, mirum in modum ſolatium adferunt: ſuccus ſiquidem foliorum contuſorum tædarumque, tum ſimplex, tum compoſitus, ano inditus, jejuno refrigerio incendium reſtinguit, ſqualorem ac immunditiem abſtergit, & immanes dolores mitigat.

Præter hæc folia illius contuſa & auribus indita reſtituunt dolores capitis ex calore natos, nullo accedente alio remedio.

CAP. XVIII.

De Araticu ejuſque ſpeciebus & qualitatibus.

ARATICU, arborum Braſiliæ indigenarum diverſæ dantur ſpecies: quarum duæ quæ *Araticû-ponhe*, & *Araticuapé* à Braſilienſibus dicuntur, parum differunt.

Araticu-ponhe enim eſt arbor caudice, ramorum figura, corticis colore Aurantiæ malo ſimilis, ſed folia, flores & fructus differunt. Folia illius ſemipedem circiter ſunt longa, alternatim ſibi invicem oppoſita, ſuperius ſaturatè virentia, ſplendentia, inferius dilute viridia, craſſa, & ad tactum ſolida, duos circiter digitos lata & in extremitate acuminata. Hinc inde flos provenit magnus, totus flavus, compoſitus exterius & tribus foliis cordiformibus, ſeſquidigitum longis, inſtar corticis mali aurantii, craſſis, erectè ſtantibus. Hæc in ſe continent alia tria folia minora, quorum quodlibet ſemiglobum excavatum refert; ita tamen inter ſe compoſita ſunt, ut integrum globum, interius cavum, magnitudine nucis juglandis repræſentent; & in eo ſtamen rotundum luteum cum apice ſuo orbiculari. Flos totus flavus, ſuavis primum odoris, ſed nauſeabundi. Floret menſibus Septembri, Octobri, & Novembri. Flores

multi ſingulis diebus ſe aperiunt, & mox ſponte decidentes, ob gravitatem, ſtrepitum inter cadendum edunt.

Araticu-ape fere per omnia huic eſt ſimilis: utræque poma ex acido dulcia proferunt, eſculenta, ſed ſilveſtria & frigida, & propterea quibuſdam non expetita. Figura & magnitudine nucis pineæ, flaveſcentia, ſubſtantia & carne intus molliori, ſeminibus ex fulvo nigricantibus turgida.



De Medica harum qualitate vix quicquam mihi conſtat, niſi quod folia *Araticu* maxime communis, in oleo olivarum macerata & apoſthemati applicata, tumorem emolliant, extergantque.

Illa autem arbor quæ *Araticu pana* vocatur, cæteris ſimilis eſt, niſi quod magnitudine differt: Flore enim, fructu, ligno & folio quoque eſt minore, & creſcit in locis paluſtribus; cæteræ vero in ſilvis conſpiciuntur, eæque infinitæ, præſertim circa pagum *Iguaraçu*.

Arbor hæc magnitudine & foliis eſt inſtar citrii, ſed magis craſſis & ſaturè virentibus, flore pleno & jucunde flaveſcente: fructu, ſicut reliquæ *Araticu*, ſquamoſo & conatim deſcendente; cui tantum ineſſe frigoris perhibent, ut crebro veſcentes interimat, quamobrem inter venena habetur.

Radix illius leviſſima eſt, inſtar ſuberis, tantæque magnitudinis, ut integri clypei ex illa fiant, qui molioris & tenacioris cum ſint ligni, telum immiſſum, licet à valido lacerto, mordicus retinent, ne facile retrahantur.

Notatu autem dignum, arboris hujus in paludibus creſcentis radicem profunde in terram deſcendere (quod tamen in aliis Braſiliæ arboribus haud facile conſpicias) unde credibile, noxiam hanc frigidamque qualitatem, qua fructum nocere conſtat, ex infeſto terræ frigore acquirere.

CAP. XIX.

De Caaroba arbore ejuſque qualitatibus.

CAaroba ſilveſtris & procera arbor, terris tantum ſolidis & gleboſis in Præfectura Parnambucenſi delectatur. Florem fert è cœruleo purpuraſcentem idque menſe Julio: Semen autem nigricans, quod matureſcit menſe Septembri: fructum rarum, ſed inutilem, phaſeolo maximo ſimilem, qui maturus factus aperitur, manetque vacuus.

Ejus folia oblonga ſunt, linguæ figurâ, dilutè viridia, nervo ſecundum longitudinem & coſtis obliquis eminentibus prædita. Guſtu ſunt amara; ſiccata & contuſa fomentis ac balneis peridonea. Quæ ex illis conficuntur remedia, ſive internè aſſumta, exſiccandi, mundificandi & ſanandi vi pollent: quod feliciter in plurimis morbis, imprimis autem in Lue Venerea curanda, ſum expertus. Eadem trita atque in emplaſtrum præparata, ulceribuſque applicata, mirifice proſunt, morbumque radicitus ſæpe expugnant. Præſertim, ſi repurgato primum corpore, eorum decoctum per aliquot dies bibatur, & ſudores provocentur.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Cap. XX.

De Embira ſeu Pindaiba; ejuſque facultatibus.

SEquitur nunc ſilveſtris hæc arbor *Embira*, ſive *Pindaiba* dicta Braſilienſibus, juxta Olindæ promontorium ſpecioſe ut plurimum naſcens, & ob acrimoniam fructus, cæteraſque qualitates piperis Braſilienſis æmula. Folia fert exigua & acuminata, & Olivæ foliis ſimillima: lignum ejus eſt tenue. Procera eſt admodum arbor, & in ſummam altitudinem recta aſſurgit.



Menſibus pluviis acini illius virent, ſed matureſcentes menſibus Decembri & Januario rubent, atque decidunt, qui ſi fuerint deſiccati, nigreſcunt, uruntque linguam maſticata, & aromaticum quid ſapiunt, ablato ſemine nigro oblongo, quod in illis continetur, quod Juniperum redolet.

A jejunis manducata ſtomachum debilem corroborant & diſcutiunt flatus. Tum contuſa & applicata morſibus ſerpentum medentur.

Excoquuntur ut reſerventur in officinis. Culinis quoque vicem piperis præſtant.

Ex Arboris denique corticibus, funes igniarii, quo milites ignem fovent, conficiuntur.

Cap. XXI.

De Ibiraee arbore, ejuſque facultatibus.

ANtiqua nemora hanc vaſtam & proceram arborem producunt. Indigenæ *Ibiraee*, id eſt, Lignum dulce, non autem *Hiouraee*, ut Lerius & Thevetus prodiderunt, appellant.

Folia hujus arboris Laurum prorſus æmulantur. Truncus cortice glabro, intus albicante, exterius rubeſcente ſpectatur.

Fructus fert flaveſcentes prunis ſimiles, gratiſſimique ſaporis, verum non quotannis.

Ligno eſt præſtantiſſimo & præduro, & putredini reſiſtente quod à Naupegis expetitur.

Arboris hujus virtutes auxiliatrices ſoli cortici ineſſe creduntur, qui recens avulſus, liquorem albicantem ſibi agglutinatum habet, cujus color mox perditur, paulatimque decreſcit, & cortice ſimul exſiccato, in naturam & dulcem illius ſubſtantiam abit. Duriſſimus exiſtit, ſemidigitali craſſitie, ſapore aromatico cinnamomum, dulcedine Glycirizam æquans. Sunt qui *Guiaci* ſeu ligni ſancti ſpeciem eſſe contendunt, à quibus non diſſentio. Moderate calidus eſt & tenuium partium, quapropter pectoris & jecinoris affectibus optime convenit. Præcipuum enim incolarum refugium eſt in veteribus illorum viſcerum obſtructionibus, ut jam diximus: tum quoque adverſus Luem Veneream, eximium remedium ſubminiſtrat decoctum illius ex aqua fontana, palato quidem non ingratum, per aliquot dies reiteratum.

Pugillus denique, ventriculo adhuc jejuno, ex ovo ſorbili, juſculo aut aliquo conveniente liquore aſſumtus, bronchia pulmonis aperit, & ceſſantem quoque urinam educit. Quapropter omnibus artis Medicæ indagatoribus ſuaſor fuerim, ut corticem hunc in ulteriores uſus reponant. Succus autem lacteus ex recenti cortice expreſſus, ſcabiei & tineæ capitis, præ cæteris medetur.

Cap.

CAP. XXII.

De Ambaiba arbore, ejuſque facultatibus.

ARvis quondam excultis delectatur hæc ficus ſilveſtris, in quibus ſponte naſcitur, in ſilvis vero raro reperitur. Unico, eoque leviſſimo & ferulaceo trunco in mediocrem altitudinem attollitur. Ut Europæi Sambucum, ita Braſilienſes hanc arborem in ſuos uſus & luſus excavare ſolent; & ex radice ignem in deſertis peregrinantes, collidendo, aliisque artibus egregie eliciunt. Raris & in ſummitate tantum expanſis ramis, veluti corona, cingitur, paucíſque, ſed pręgrandibus, ſpecioſis & laciniatis foliis. Julos profert albicantes, racematim copulatos, pendulos, & roſaceis tunicis involutos, qui maturitatem conſecuti defloreſcunt & decidunt media æſtate. Pinguis ex eorum ſummitatibus expreſſus ſuccus, recentibus non ſolum, ſed & inveteratis ulceribus feliciter medetur. Folium quoq; tenerum & recens, aut levior arboris hujus cortex ſi apponantur, temperant & mundificant partem affectam. Succus è gemmis expreſſus, qui facultate refrigerandi atque aſtringendi pollet, pulti de *Tipioca* inditus, calidam ventris proluviem ſiſtit. Menſes denique nimium fluentes, tum & virulentum genitalium profluvium compeſcit.



Tradunt Indigenarum & Luſitanorum peritiſſimi, hoc remedium puerperis, immodico menſtruorum profluvio laborantibus, inſigniter prodeſſe, ſi in modum cataplaſmalis umbelico apponatur, cujus rei veriſſimæ teſtem me præbeo.

Nihil mirum itaque ſi hæc arbor primis Braſiliæ incolis, ut & advenis, tantopere ſit prædicata. Digna medius fidius, cujus virtutes etiam nunc latentes, poſteri ſcrutentur & in lucem protrahant.

Altera ejuſdem generis, cujus mentionem fecit Ioannes de Laet, *Ambaitinga* appellatur, & ramo eſt rubicundo, & ligno minus cavo, foliis vero aſperis, ut loco limæ quædam cum iis poſſint lævigari. Liquorem continet oleoſum ejuſdem cum ſucco *Ambaibæ* uſus & efficaciæ.

Cæteras ejus facultates & auxilia Medica quia nondum ſatis explorata habeo ſilentio prætereo. An vero ſit *Abiegna*, de qua Cluſius in Notis ad Monardem, ego valde dubito.

CAP. XXIII.

De Anda arbore, ejuſque facultatibus.

NOn procul à littore, in locis arenoſis, nunc mediocri, nunc ſumma altitudine, pro terræ temperie, exſurgit arbor *Anda:* quæ ligno eſt levi, raro & ſpongioſo. Florem fert magnum & concavum, aurei coloris prælucentis. Folia illius ſunt laciniata, ut Mamoeira, multo tamen minora. Fructum ſeu nucem gignit cortice duplici, exteriore cineritio, ligneo, præduro & perforato putamine veſtitam, quo duo glandes continentur, jecinori leporino non valde diſſimiles, & nuces caſtaneas ſapore quodammodo referentes, licet virtute & qualitate differentes. Una ſiquidem atque altera cruda manducata, alvum ducit: quibuſdam ſimul & vomitum excitat. Olim magnates, tum & ſacrorum in Braſilia antiſtites, purgans hoc & ſalutare remedium, cæteris omnibus præferebant. Validæ eſt operationis; quamobrem ægris morbo fractis haud tuto exhibetur, niſi opportune à manu Medici correctorium accipiat, inque Electuarii aut tabularum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

larum formas redigatur. Accipe duas vel tres caſtaneas contuſas & cum ſaccharo deſpumato excoctas, addito anyſi & cinnamomi momento, gratiſſimum non ſolum erit medicamentum, ſed & tutiſſimum, infantibus, iiſque omnibus qui à purgantibus ſolent abhorrere.

Luſitani & indigenæ ex eadem nuce oleum exprimunt, quod lychnis affundunt, atque eo corpus inungunt. E cortice autem illius uſtulato, incolæ optimum & familiare remedium contra ventris fluxum, iiſque, quibus poſt aſſumtam nucem, alvus immoderatius ruit, ſubminiſtrant.

Arboris cortex contuſus flumina inficit, atque enecat piſces.

Vide Iconem arboris & nucis in Lib. III. fol. 110. Georgii Marcgravii; quam hîc reponere non duximus operæpretium.

CAP. XXIV.

De Guabiraba arbore, ejuſque facultatibus.

IN confragoſis nemoribus Braſiliæ, reperitur vaſta arbor, quæ gentilitio vocabulo *Guabiraba* appellatur; ligno obliquo, multiſque flexibus tortuoſo, altiſſimo inſuper atque duriſſimo; & contra putredinem optimo. In collibus vero & campis eadem *Guabiraba* ad longe minorem



molem aſſurgit, vix prunum adæquans: foliaque multo minora, fructuſque fert minus agreſtes. Adeo denique ob diverſitatem ſoli, diſcrepantes inter ſe, ut hæ à Medicis, illæ à fabris potius expetantur.

Florem fert niveum, valde odoriferum, iſque media æſtate, mane antequam Sol rorem exhauſerit, colligitur, & alembico inditus, eximiæ virtutis liquorem exhalat: qui refrigerans præſertim & mundificans, oculorum inflammationes optime temperat.

Fructus, ſive globuli rotundi, umbilicatim prodeunt, qui maturitatem ſub initium hyemis conſecuti, nigrum induunt colorem, dulciſſimique ſunt ſaporis.

Folia variæ figuræ, quædam acuminata & pene figura cordis, quædam obtuſiora, ſubaſpera, eminen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

eminentibus nervis ſunt foliorum pyri magnitudine: leviſſime fricata aromaticum ſpirant odorem: quare inſignem in balneis uſum præbent, calida ad ſecundum gradum. Aqua quoque fragrans, ſicuti è floribus, ex illis elicitur.

Quantum pulvis hujus ligni in Carbonem redacti, oculis inflatus conferat, alias demonſtravi.

CAP. XXV.

De Araca-Iba, ejuſque facultatibus & uſu.

HUjus arboris fructus à Braſilianis appellatur *Araca-miri*; prunum Granatenſem vocant noſtrates. Externa facie, frequentia, tempore, & loco natali, convenit cum *Guabiraba*, de qua capite præcedenti egimus.

Frutex eſt, ligno, foliis & floribus ut *Guajaba*, ſed magnitudine differunt & fructu. Sed ut varius & mirus eſt naturæ luſus, omnes dignitates, eaſq; eximias, fructui & radici inſevit, cum *Guabirabæ* nullas, nec in fructu, nec in radice, ſed omnes in floribus & foliis inſitas virtutes dederit.



Locis gaudet apricis, raroque in ſilvis aut umbroſis nemoribus conſpicitur.

Floret bis quotannis, bis quoque fert fructum, menſe nimirum Martio & rurſus Septembri. Pruna coronis, meſpilorum inſtar, eleganter ornata, innumeriſque acinis turgentia profert, quæ, ubi maturuerint, flavent, muſteamque habent in ſe dulcedinem, atque fraga quodammodo referunt ſapore. Cruda potius quam cocta appetuntur, ſuaviſſimique odoris exiſtunt & ſaporis. Oportet autem ut tempeſtive decerpantur; nam omni fructui, propter intenſiſſimũ Solis ardorem, non minor injuria fit, ſi paulo tardius quam ſi citius avellatur.

Conditus qui ex hoc fructu fiunt, jucunde refrigerant, adſtringunt & corroborant, locoq; carnis cidoneorum, conſervæ roſarum, aliorumque ſimilium exhibentur.

Cæterum ipſe fructus virtute medicinali non deſtituitur. Ex foliis ſiquidem & oculis utpote adſtringentibus, optima balnea componuntur, tam contra internos quam externos corporis affectus, ut ſupra in capite de ulceribus diximus. Præ cæteris autem hujus fruticis partibus, radix dictis qualitatibus excellit. Atque hoc peculiare habet, quod ſumme ſit diuretica, partiumque ſubtilium & ſubdulci ſapore cum adſtringendi facultate polleat. Proinde præter eximias quas præſtat virtutes, lienis & renum affectibus co n ucit.

Alia ejuſdem generis *Araca* reperitur, ſed non ita frequens, quæ tamen fructum facile præſtantiorem procreat, & multo majorem. Quapropter ab indigenis *Araca-guacu*, id eſt, *Araca major*, appellatur, quod in juſtam arborem excreſcat: folioque eſt glabro, læte viridi, figura & fragrante odore Lauro multum ſimili. Fructum fert mali mediocris magnitudine, rotundum, ſuperne umbilicum continentem: carnem habet albam, carni *Araca-miri*, odore, ſapore & ſubſtantia ſimilem: in medio multos lapides, piſis minoribus æquales, continentem, obrotundos, paulum compreſſos, ex albo ſubflavos & duros, ut nuclei ceraſorum, intus continentes nucleum album. Adhærent hi lapides carni per multa tenuiſſima filamenta.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XXVI.

De Guaiaba arbore, ejuſque facultatibus.

MAgna affinitate inter ſe conjunctæ ſunt *Guaiaba* & *Araca-guacu*; ejuſdem quippe non ſolum altitudinis ſunt, ſed folia & flores qualitate & facie externa conveniunt. Sunt autem folia bina ſibi invicem oppoſita in breviſſimis pediculis, quæ prædita ſunt nervo & venis parallelis lunaribus, obliq; diſcurrentibus & valde conſpicuis, ad tactum dura, inferius quidem protuberantibus, ſuperius profundis & quaſi rugoſis: Fructus quoque hujus granis innumeris ſcatent, unde & merito pyra Granatenſia dicuntur: ſed in eo ſolum differunt, quod hi oblongiores & magis flaveſcentes exterius, interius roſaceo colore viſuntur. Digna profecto arbor quæ Europæ importata, magnatum & Principum hortos illuſtret. Montibus aut ſilvis denſioribus non innaſcitur, ſed planitiem & campos amat. Agreſtis eſſe deſiit, villicorum quippe induſtria viridariis illata, numeroſas plantas concipit & procreat, ut nihil frequentius occurrat, fructuum enim grana ab avibus & pecoribus deglutita, & mox per alvum cum excrementis depoſita, locis licet arenoſis & triſtioribus, altiſſime germinant maximeque luxuriant. Aliis Indiarum regionibus communis hæc arbor, ac proinde hic patriam Braſiliani negant, ſed tractu temporis inter illas habita eſt.

Semel per annum fructus profert, qui album florem æſtate vigentem excipiunt ad initium hyemis: numeroſoque proventu, totis ſex menſibus pluviis, maximo omnium incolarum oblectamento dantur. Pyra hæc ſtomacho proſunt, quæ ſi immatura coquantur, eo fortius ventriculum corroborant, atque alvum adſtringunt. Matura croceo colore niteſcunt. Melius ſanitati conſulunt, qui cocta & ſaccharo condita, quam cruda, menſis inferunt: odorem enim gratiorem acquirunt, palatoque magis abblandiuntur.

Concedendum facile Cluſio & Monardo, quod in deſcriptione hujus floris & fructus natura & facie nonnihil à me diſcrepent, quoniam hæc & alia exotica adiiſſe & experimento comprobaſſe ipſis forte non licuit.

CAP. XXVII.

De Bacoba & Banana, earumque facultatibus.

FRuctus lippis & tonſoribus noti, tamque familiares, ut nulli prorſus in Braſilia jam reperiantur horti, in quibus illi paſſim non ſpectentur. Indigenæ tamen hîc non ſunt, ſed aliunde huc deportatæ hæ plantæ. Braſiliani quoque earum nomina ſua lingua exprimere non norunt. Afris vero atque Aſiaticis olim fuiſſe notas, Serapion & Avicenna teſtantur, qui *Muſas* appellant. Hujus itaque plantæ deſcriptionem, quam Matthiolus, Cluſius & Dodonæus habent, libenter amplector, paucis tamen, in quibus hallucinati ſunt, mutatis.



Duo autem ſunt ejus genera, quæ ob maximam affinitatem quam habent, una (quod ajunt) fidelia hîc dealbabimus. Pulcherrimæ ſane plantæ, ſive fructum, ſive folium, ſive culturæ, naſcendique modum ſpectes. In quovis ſolo, licet triſti & ſitiente proveniunt. Quovis anni tempore incolæ earum fructu gaudent.

Caudex ſeu craſſior pars arboris è foliis compactilibus ſquamatim coagmentatis conſtat, qui fructibus decerptis ut inutilis detruncatur, nam ſemel tantum in vita ſua fructum producit. Verum exciſa parente, ſex vel octo ſurculi è radice exſurgunt, qui matrem renovant & ſubſequente anno fructum ferunt. Seminibus & ramis prorſus deſtituitur uterque frutex: horum vicem ornatiſſima & pulchre virentia folia, unico eoque craſſo nervo obducta, ſex pedes longa, duo lata, ſupplent: illorum germen ſatis longum è medio exſurgens, crebriſque nodulis eſt diſtinctum, cujus extremitati turio, ovi effigie & rubro colore inſignis, adnaſcitur, unde triginta, quadraginta, nonnumquam centum lobi progerminant: Hi in ædibus ſuſpenduntur tantiſper donec juſtam maturitatem conſequantur.

Uterque tam *Bacoba* quam *Banana* inter horarios fructus, & (ut nonnullis placet) inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ficus recenſentur. Uterque flatus excitat, modice refrigerat & venerem ſopitam adjuvat. Pauci ſunt alimenti, pectoriſque potius quam ſtomachi oblectamento, ejuſque calores reſtinguere Avicenna autumat.

Banana paulo ſunt longiores, cute flaveſcente & quadrangulari, qua detracta, caro ſuccedit mollis, pinguis, minuſque, quam Bacoba, ſucculenta: ad hoc qualitate frigidior, nec tam facilis digeſtionis, niſi valde matura. Toſta bilioſis prodeſt, pituitoſis non item. Nondum matura ſi aſſetur adverſus alvi profluvium auxiliatur. *Bacoba* brevior eſt, rotundior, nulliſq; angulis diſtincta: pinguior inſuper & digeſtu facilior; quo fit ut inter bellaria facile primum locum occupet. Ad ignem areſacta, eodemque modo, quo *Banana*, præparata, eandem utilitatem præſtat. Immatura æque ac matura, ad ignem ſolemve exſiccata, diu ſervatur, & Europæ importata, longe lateque diſtrahitur. Eadem in taleolas diſſecta, cum ſaccharo & ovis frixa, vel in placentas ad artocreæ modum, coacta, gratiſſimi ſaporis, optimique eſt alimenti.


In Inſula *Maranhaon*, ubi maximopere luxuriat, vinum inde exprimitur, non diu durabile, quod tamen inebriandi facultate pollet.

Aqua vero quæ ex *Bacoera* trunco, perpetuo humore turgente, elicitur, cum frigidiſſima ſit & adſtringens, in magno ab incolis pretio habetur, contra calidos, internos & externos corporis affectus. Quibus præterea facultatibus polleant, Avicenna, Rhaſes, Almanſor & Serapion, fuſius & explicatius ſunt perſecuti.

CAP. XXVIII.

De Mangaiba, ejuſque facultatibus.

Eximium hujus arboris pomum, quod *Mangaiba* vocatur, nec ignorandum, nec prætereundum arbitror, tametſi ad menſarum potius delicias, quam ad Medicum noſtrum



inſtitutum facere videatur. Tanta enim ſuavitate gulæ lenocinatur, tanta ſaporis eſt præ-

ſtantia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


ſtantia, ut haud ſciam, an venuſtiorem aut gratiorem fructum America producat.

Arbor pulchra, criſpa & fœcundiſſima ſupra altitudinem Pruni Europææ non attollitur, quam fructu, præcipue vero ligno & foliis æmulatur. In quibuſdam Bahiæ & Paranambuci locis in integra nemora haſce luxuriare videas. Diſtribuit ſe in multos ramos, ipſique denuo in ramuſculos tenues inſtar Betulæ: cujus lignum & corticem valde æmulatur. Folia fert parva, ſolida, egregie virentia, bina ſemper ſibi invicem oppoſita, quæ in medio ſecundum longitudinem nervi, non tam venulas quam lineas habent ſubtiliſſimas parallele diſpoſitas. Exſpirante hyeme, menſe nimirum Auguſto, florere incipit, ultraque novem menſes pomis ſeu prunis oneratur & ornatur. Florem producit exiguum, album & ſumme odorum. fructum rotundulum, eſculentum, qua Soli exponitur aureum, rubriſque maculis diſtinctum, Abrico-cum diceres. Tenuiſſima cuticula tegitur, intuſque lapillos quinque vel ſex continet, turget lacte, unde vel leviter preſſus niveum palatoque gratiſſimum fundit liquorem, & licet ſequax ac ductilis illius pulpa videatur, tamen manducando nihil tale deprehenditur, orique inſerta ſtatim liqueſcit. In arbore numquam matureſcit, ſed decidens in terram ilico maturitatem conſequitur. Cujus rei ignari adventitii, & externa pomi pulchritudine illecti, ubi primis labris deguſtarunt, ſtatim ut auſterum & amariſſimum abjiciunt; quid, quod ne pecora quidem immaturum curant. Probe maturum facilis eſt digeſtionis, ardores viſcerum domat & febricitantibus auxiliatur, ut in me ipſo aliiſque multis ſum expertus. Porro haud facile hæc poma noxam, etiam abunde jejuno ſtomacho manducata, inferunt: niſi quod frigida & humida fugaciaque alvum dejiciunt, flatuſque excitant, quod ſolertia muliercularum noſtratium, aromatibus corrigi ſolet. Luſitani integros fructus condiunt, nulliſque tunc epulis cedunt.

CAP. XXIX.

De Abaremo temo arbore, ejuſque facultatibus.

HÆc arbor mediocris eſt altitudinis, montoſis locis creſcens, foliis triſte viridibus, exiguis, buccini ſimilibus, ſiliquis inutilibus ex minio nigreſcentibus, miris variiſque modis incurvatis, æſtivis menſibus conſpicitur.



Arbor cortice exterius eſt cineritio, interius ſature rubente, quem ſolum expertiores in Medicinæ uſum receperunt, licet foliis eædem qualitates adſtringentes à nonnullis attribuantur. Cortex enim qui guſtu amarus eſt, ſive in pulverem redactus, ſive excoctus, & fomenti loco adhibitus, ulceribus inveteratis & male moratis feliciter medetur, ipſumque cancrum ſubinde, inſigni mundificandi & ſiccandi qualitate curaſſe fuit compertum.

Præter hæc, quia efficaciſſime adſtringit, balnea ad firmandas effœminatas carnes ex illis conficiuntur. Potiſſimum vero meretrices iis utuntur, ut laxis pudendi partibus tonum reſtituant, ætatemque tuto mentiantur; imo qua poſſibile, virginitatem hoc dolo prætendant.

CAP. XXX.

De Umbu arbore, illiuſque facultatibus.

VNicam tantum ex hoc arborum genere in habitata Braſiliæ parte, hactenus conſpicere licuit in pago *Iguaraca* excultam: diſſitæ autem ſylvæ inter Guojanam & Paraybam fluvios iis luxuriant. E longinquo proſpicienti, magnitudine, ſtructura & fructu, parva citrus vel limonia videtur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Trunco eſt fere nullo, ſed ramis multis tortuoſis, inbelle quidem fabricatis dividitur. Folia fert haud magna, lævia, læteque virentia, guſtu autem acida & adſtringentia: Florem albicantem: Fructum ex albo flaveſcentem, pruno majori ſimilem, ſed carne duriori, licet pauca, quod intus magnum contineat lapidem, ſicut fructus *Acaja*, qui ſi maturuerit, quod fit menſibus pluviis, ſaporis ſit gratiſſimi ex acido dulcis: ſin minus, adeo eſt auſterus, ut ſtuporem dentibus inferat; proindeque tunc eidem uſui cui folia, ſcilicet ad refrigerandum & adſtringendum reſervantur. Radix autem, cui peculiare quid præ cæteris arborum radicibus conceſſum, imprimis eſt notanda: quod longe lateque, in diverſa & craſſa, ponderoſæ molis tubera ſub terra luxuriet; ſi pondus, figuram atque colorem, exterius cinereum, conſideres, majores radices *Batatæ* aut *Inhyamæ* diceres; à quibus tamen ablata levi pellicula, differunt: quippe interius conſpiciuntur nivei coloris, molli turgidaque medulla, cucurbitæ plane ſimili, quæ manducata, in aquoſum, frigidum ſuccum, eumque dulciſſimum atque palato gratiſſimum, ſolvitur. Febricitantes, æſtuantes peregrinatores mirifice reficit, ut ipſe quampluries ſum expertus; neque aquæ dulcedine & ſalubritate Citrullo quicquam cedit.



CAP. XXXI.

De Cebipira-guacu arbore, ejuſque facultatibus.

CRaſſitie & altitudine inſignis Arbor in rariſſimis nemoribus reperitur, *Cebipira-guacu* Braſilienſibus dicta, ad differentiam ejus notandam ab ea quæ *Cebipira-miri*, id eſt, *Cebipira minor*, ab illis appellatur. Utræque ſunt foliis exilibus oblongis, oleæ ſimilibus, ſed craſſioribus, minuſque acuminatis, ordine digeſtis, & pediculis utrimque ſe contingentibus.



Utriuſque arboris lignum commendatur, & non minus celebre apud fabros ad axes machinarum Saccharearũ conficiendos, quam cortex apud Braſilianos ad uſum medicum exiſtit. Qui craſſus eſt & compactus, ſaporis amari atque adſtringentis, calidus inſuper & ſiccus in ſecundo gradu. Balnea & decocta ex illo ſolo fiunt præſtantiſſima adverſus morbos à frigore natos, pedum & ventris tumores, doloreſque membrorum, *Curimentos* Luſitanis dictos, ipſam denique luem veneream, non inveteratam, forin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſecus & intrinſecus adhibita, reſtituunt, ſudoreſque provocant.

Cum vero abſtergendi facultate ſimul & acrimonia quadam agant, ſcabiei, tineæque & aliis ejuſdem generis cutaneis affectibus medentur.

CAP. XXXII.

De Mureci, ejuſque qualitatibus.

ARenoſa & ſitientia Præfecturæ Paranambucenſis loca, mediocris altitudinis arbores producunt, quarum quatuor ad minimum diverſæ ſpecies ſub nomine *Mureci* numerantur. Earum duæ maxime celebres & in uſu habentur, *Mureci-petinga* & *Mureci-guacu* dictæ. Omnes floribus pulchre flaveſcentibus conſpicuæ ſunt, fructibus rotundis & racematim coruſcatis, eodemque, quo flores, colore præditis: foliis autem & cæteris creſcendi modis inter ſe diſcrepantes, ſicut ex imaginibus conſtat.



Fructus maturi gratiſſimo quidem acore palatum vellicant, ſed ſtuporem tandem dentibus inferunt, ſimulque aſtringendo intenſe refrigerant. Quapropter probe condiri ſolent & loco Berberis, quibus ſapore & efficacia ſimiles ſunt, ægris ad exſtinguendam ſitim & Stomachum recreandum exhibentur.

Prima harum, utpote fructu minus ſilveſtri, à me maxime fuit expetita, & in officina repoſita. Ejus quoque corticibus retia & coria tinguntur & contra putrefactiones muniuntur. Barbari ex iiſdem potiones conficiunt, ad purgandum alvum, quod à me nondum comprobatum eſt.

CAP. XXXIII.

De Jito, alias Urape-guacu arbore, ejuſque qualitatibus.

HÆc Arbor eſt pyri Europææ magnitudine, undiquaque in præfectura Paranambucenſi obvia; quæ, ſicut ob fructuum rarum aſpectum multis nota; ita paucioribus ejus radicis qualitates probe conſtant. Si ulli figura, colore, totaque prorſus facie, racemos uvarum è longinquo adſpicienti videantur, hujus ſane arboris fructus ſunt, quorum uvæ tamen inutiles habitæ, ligneæque intus exiſtunt. Toto anno apparent, verno tempore læte flaveſcentes, mox triſtis miniati coloris fiunt, nihilque promittunt, ut neque folia, neque lignum ipſum arboris: ſed totum in cortice radicis, quod ad rem noſtram faciat, conſiſtit. Cujus efficacia indomita ad turbandum & purgandum corpus, tam alte à natura poſita, ut non impune ab imperito vulgo tractetur. Quippe dubito an plures calamitates ex illius abuſu an optatos ſucceſſus ex opportuno uſu, promanaſſe viderim. (Idem de *Manaca* & *Angelin* cogita.) Nec mirum, cum unuſquiſque idiota ad Medicinæ Sacraria aſpirare audens, nec remedii agentis, nec ſubjecti patientis rationem habeat, loco medicamenti, venenum porrigat.

Cortex enim hujus radicis, qui ſaporis eſt acris & calidi in pulverem redactus ab indigenis & robuſtioribus agricolis Luſitanis contra inveteratas obſtructiones capitur indiſ-

creta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

creta quantitate, ſemipugillus circiter. Mihi rarior fuit illius uſus, idque niſi deficiente forte benigniore medicamento, mediantibus tamen correctoriis, & quæ vim purgatricem infringunt, ſicut oportet fieri ex judicio Medici, præcipue circa validiora & incognita ſimplicia.



CAP. XXXIV.

De Guabipocaiba arbore, ejuſque facultatibus.

CUm primum hæc Faunorũ Americanorum luſtra intrarem, in ſtuporem me pene dedit, vaſtiſſima & pulcherrima Arbor, hibernis menſibus innumeris roſaceis floribus conſpicua, æſtivis, infinitis caſſiæ fiſtulis, inutilibus, duplo officinarum craſſioribus & longioribus onuſta, Braſilianis *Tapyracoana* dicta.

Nec minus in admirationem nos advenas rapuit, vicinæ cujuſdam, ne dicam, affinis mediocris altitudinis, arboris pulchritudo, florum elegantia minime, licet fiſtularum magnitudine ſuperiori cedentis. Huic enim ex oculis viridibus prorumpunt flores comoſi, aurei, mox plumarum inſtar ſe extendentes, qui in ſummitatibus ex rubro purpuraſcunt, brevique pereunt.



Neutra harum arborum in denſis umbroſiſque ſilvis, ſed apricis campis naſcitur. Hanc ego Siliquoſam arborem nominavi, quod vix ſibi conſtent incolæ de genuino nomine. Quidam Portugalli *Pao velho* & *Pao molle* dixerunt; quod cortex illius adeo mollis & rugoſus exiſtat. Parum admodum differt ab ea arbore, quæ ſiliqua dulcis Dodonæo, Officinis panis S^{cti} Joannis dicitur: floribus enim decidentibus, quod fit menſe Martio, ſiliquæ ſuccedunt, dulces, tortuoſæ & deformes, primum quidem virides, mox maturitatem conſecutæ, fiunt nigræ & putreſcunt.

Foliis quoque rotundulis, eodem ordine congeſtis, & ſibi invicem oppoſitis veſtitur.

Ligno eſt admodum flexuoſo, cortice rugoſo, molli & cinerei coloris, ſicut quoque radix, cujus facultatem medicam hîc paucis perſtringam.

Ejus medulla ex albo flaveſcens, à leviori cortice liberata, in taleolas diſſecatur, exque aqua fontana macerata per noctem ſub dio, & aliquoties pota, non uni malo medetur. Urinam enim cunctantem cit, renum & veſicæ obſtructionibus opitulatur, ejuſque decoctum vel ſolum Gonorrheas reſtituiſſe vidi.

Dilutum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Dilutum hoc ſubamari nec tamen ingrati eſt ſaporis, *Iurepeba*, & *Ambuayembo*, æmuli. Partium valde eſt tenuium, & adſtrictionem quandam poſt ſe relinquit.



CAP. XXXV.

De Zamouna, ejuſque facultatibus.

SI quæ adſpectu mirabilis, excelſa ſane eſt hæc arbor *Zamouna*, iiſdem locis quibus *Cabireiba* conſpicienda. Quæ ſuperiori & inferiori trunci parte, ordinariæ eſt craſſitiei, ſed in medio duplo plus obeſa, inſtar mulieris uterum ferentis, adeoque tumida apparet, ut peregrinantem attonitum remoretur. Totus truncus ſubſtantia eſt intus alba, medulloſa & plane ſuberoſa: exterius cinerei coloris, validis& horridis ſpinis à pede ad verticem uſque obſeſſa.

Ponderoſi illius rami, quinque foliis acuminatis & oblongis veſtiuntur.

Ex turgidis hiſce ſpinis raſis & contuſis, ſuccus elicitur eximius, cujus vel exigua quantitas, inflammatis & involuntarie lachrymantibus oculis affrictus, medetur; tum manifeſte quoque viſum acuit, atque robur illi addit.



CAP. XXXVI.

De Andira Ibaiariba ſive Angelin, ejuſq; facultatibus.

MEdiocris pyri altitudinis hæc Arbor, ſub nomine *Angelin* Luſitanis notiſſima, hinc inde in nemoribus, in hac præfectura Paranambucenſi, conſpicitur.

Ligno eſt duro, cortice cinereo, foliis Lauri ſimilibus, ſed minoribus, oculis ſeu gemmis nigricantibus, è quibus plurimi flores fragrantes, copulati, purpureo & cœruleo colore inſignes, prorumpunt.

Fructum profert ovi figura & magnitudine, primo ſaturate viridem, ſed mox nigreſcentem.

Fracto duro putamine, granum ſeu nucleus apparet, ingrati ſaporis, cum adſtrictione quadam, cujus pulvis ventris lumbricos expugnat, ea tamen cautione, ut infra ſcrupuli pondus exhibeatur, ne medicamentum in venenum abeat, quod quibuſdam imperitis aliquando contigit, cum infantibus illud incaute exhibuiſſent.

CAP. XXXVII.

De Cambui ſive Myrto ſilveſtri, ejuſque facultatibus.

IN pinguioribus præfecturæ Paranambucenſis terris circa Olindam duæ ſpecies arbuſcularum, *Cambui* dictæ mihi innotuerunt. Quæ ob fragrantiam, adſtrictionem foliorum, florum & fructuum, *Myrti* ſilveſtris nomen merito obtinent. Prior arboreſcens, ceraſum nigram per omnia externa æmulatur, ſi lignum, ramos, folia, flores & fructus conſideres: cæterum interna qualitate eam ſuperat, quod folia & flores optimi non ſolum ſint odoris, ſed fructus nigri admodum ſint ſaporoſi, grata accedente adſtrictione, omnibus pariter Incolis expetiti, & in foro publico venales. Poſterior autem frutex *Myrtus* eſt rubra, quantumque magnitudine prædictæ cedit, tantum dignitate illam ſuperat, ac proinde fructus non tantum inter ſecundæ menſæ delicias, ſed & Pharmacopeæ habentur.



Frutex hic adſpectu pulcherrimus eſt foliis fragrantibus, læte viridibus, oblongis, acuminatis & ſibi hinc inde appoſitis decoratur.

Semel per annum floret, tempore Braſilienſi verno, Sole ad Scorpionem accedente, tam grato odore olfactum quam niveo colore viſum reficiens.

Fructus crocei baccarum ſunt magnitudine, rotundo umbelico præditi, qui ſi ante ingreſſum Solis in Capricornum avellantur, ſucco turgent optimo, ſed tandem fauces, ſi multum illis veſcaris, conſtringunt. Cæterum Stomachum reficiunt, corroborant, æſtumque ſedant. Nullus eſt incolarum hujus deſtrictus, qui non ad fructus & folia hæc utiliſſima confugiat, & medicamentum ſibi ex ipſis conficiat, ſive interno, ſive externo malo conveniens. Succi & fomenta illorum, tibiarum imprimis ulceribus, atque aliis malis, adſtringendo & mundificando medentur. Balnea integra, tam fluxibus alvi, quam uteri dicata, cum feliciſſimo ſucceſſu adhibentur. Omnia denique bona pollicetur hæc Americana *Myrtus*, quæ de Europæa Auctores paſſim teſtantur. Quæ nunc brevitati ſtudens omitto.

Tertia quoque *Myrti* ſpecies hîc reperitur, quæ *Myrtus* alba appellatur, ſed infrequentior eſt, neque à me hactenus in uſus Medicinæ applicata.

Præſtantioris Iconem hîc adjungimus.

CAP. XXXVIII.

De Loco, ejuſque facultatibus, & uſu in Medicina.

VErſus diſtrictum Portus Calvi in præfectura Paranambucenſi, celebris eſt Luſitanis Empyricis planta, quæ *Loco* ab illis dicitur. Cujus Braſilianum nomen mihi aliiſque eſt incognitum.

Naſcitur tantum circa oram maritimam locis ſitientibus: folia habet parva, oblonga, & ad linguæ figuram acuminata, glabra, & *Myrti* foliis ſimilia.

Caules ornate exiguis floribus albicantibus veſtiuntur.

Radix quam fundit copioſe, magnæ eſt efficaciæ, calet inſigniter & ſubamarum habet ſaporem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

porem. Ejus particula ad digiti longitudinem, probe contuſa, & in ſeſquicanna aquæ fontanæ macerata, ſi hauſtus ordinarius exinde capiatur, viſcerum obſtructiones tollit, immundities renum & veſicæ expellit mirum in modum. Tumoribus & doloribus tibiarum, ulceribus inveteratis, imprimis autem à lue venerea relictis (quod hîc frequens eſt) medetur, ſi illo medicamento membra affecta bis terve de die laventur. Quamobrem ſacrum hoc remedium habetur omnibus quibus innotuit.

Cap. XXXIX.

De Cuipouna arbore, ejuſque dotibus.

MUlti multis & eximiis dotibus excellere hanc arborem teſtantur. Ego pauca, ſed vera, & quæ ipſe ſum expertus, de ſilveſtri hac arbore *Cuipouna*, quæ floribus flavis decoratur, exhibeo. Succus è cortice raſo expreſſus & cum aqua limpida mixtus, ulcera inveterata mundificat & purulenta, eaque carne replet.

Præterea eodem ſucco atramentum conveniens elicitur, quo etiam ad tingendos pannos utuntur.

Cap. XL.

De Munduy-guacu, Luſitanis Pinhoes do Braſil, ejuſque uſu in Medicina.

ARborum Braſilienſium vix ulla aut lætius provenit, aut majori foliorum umbra luxuriat, quam quæ has nuces catharticas profert, ob facilem potius proventum & perpetuum frondium virorem, quibus pulchre horti muniri ſolent, quam ob fructuum præſtantiam expetita. Ejus ramuli amputati, omni anni tempore, omni terræ vel leviter immiſſi, paucorum dierum decurſu vireſcunt, & novas emittunt plantas, fructuſque fere per totum annum ferunt. Quos tamen vulgus, quod uſum ab abuſu diſtinguere neſciat, contemnit. Nam imperita multitudo, ut rerum novarum eſt ſtudioſa, gulæque dedita, nucum pulchre flaveſcentium venuſtate & jucundo ſapore illecta, avide illas vorat, unde vomitu & ventris torminibus mirum in modum exagitantur. Nonnulli exemta membranula, quæ medias illas dividit, noxiam vim tolli perperam exiſtimant.



Arbuſtula hæc non alte aſſurgit, interque frutices arboreſcentes habetur. Ramulis eſt nodoſis, ſpongioſa medulla; folio mucronato & glabro, fructibus rotundis pendulis & copulatis, quos maturos pariter & immaturos fert: hi à Sole poſtea excocti & arefacti dehiſcunt, & nucleos intus nigreſcentes oſtendunt; quorum tres in qualibet nuce, veluti in cellulis & ſeptis continentur ac dividuntur. Pineis Europæis ſunt ſimiles, ſed paulo majores, verum juglande minores. Interius albeſcunt & ſunt pingues; calidæ ad tertium, ſiccæ ad ſecundum gradum. Et quodammodo palato lenocinantur, ita ventriculo ſunt infenſiſſimæ, nam tres vel quatuor nuclei manducati deglutiti, crudos humores ilico provocant, provocatos per ſuperiora & inferiora exturbant, tanta vehementia, ut in vitæ diſcrimen, præcipue imbecilliores nonnumquam conjiciant, atque alexipharmacis & opiatis ruentes humores ſedare neceſſe fuerit. Sed ut legitimus earum uſus conſtet, in diuturnis obſtructionibus viſcerum naturalium imprimis conveniunt: quatuor aut quinque nuclei maturi, ſi à pelliculis interioribus & exterioribus liberentur, & mox leviter torreantur & macerati è vino, additis correctoriis exhibeantur.

Porro ad rem familiarem, uſumque domeſticum hæc arbuſcula à multis expetitur: ex nucleis enim oleum quod exprimitur, elychniis affunditur, quod inventum Braſilia Luſitanis debet. Teſtatur Monardus cap. IV. de oleo Cicini, in Nova Hiſpania pro inſigni carthartico reſervari, ejuſque qualitates quas illi attribuit, hujus oleo nucis quoque propriæ ſunt. Quamobrem nomine potius Monardus & Cluſius à nobis diſcrepant, qui *Curcas* hunc fructum vocari teſtantur, idque ſub Ricini ſpecie. De qua tamen ipſe merito dubitat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XLI.

De Iuripeba, ejuſque facultatibus.

NOmine *Iuripeba*, duo ejuſdem generis, ſed non ejuſdem ſexus, frutices naſcuntur in arenoſis Braſiliæ locis. Uterque pulchris & umbroſis frondibus adoleſcit, uterque gramineos fert acinos, more racemorum copulatos & è brevi pediculo pendulos.



Prior, & quidem mas, paulo fœmina eſt minor, ad hominis altitudinem vix aſcendit, foliaque habet minora, nec multum ſinuoſa, caulemque rarioribus ſpinis obſitum, florem Boragini ſimillimum, ſed maculatiorem.

Poſterior altior, ſpinoſior, folia habet grandiora, à tergo lanuginoſa & ſpinoſa ornate, laciniate & ſature virentia; florem eundem cum mare, ſed nitidiorem. Uterque ob Medicinæ uſum quotidianum officinis notiſſimus.

Folia enim & ſuccus temperandis & mundificandis vulneribus & ulceribus adhibentur, eiſque egregie auxiliantur. Licet autem amarum quid ſapiant folia & radices, ſicut Cichoreum & Fumaria, tamen inter calida vix recenſentur.

Omnium autem maxime radix virtute & efficacia excellit, multoque amarior exiſtit, præcipue vero Maris, quæ partium adeo eſt tenuium. Quippe ſolum illius dococtum, urinam cunctantem educit. Ad hepatis & paraſtatum obſtructiones tollendas loco radicum aperientium, cum ſucceſſu ſæpe adhibetur. Uſque adeo invaluit ejus utilitas & præſtantia, ut à doctis pariter & indocta plebe expetatur & inter ſacra reponatur.

CAP. XLII.

De Mamanga frutice, ejuſque facultatibus.

M*Amanga* Braſilienſibus dicta, frutex eſt trivialis arboreſcens, ubique obvius, quem *Lavapratos* Luſitanorum vulgus appellat.

Flores fert multos pendulos & luteos; & poſt hos plurimas ſiliquas oblongas copulatas, primum quidem virides, ſed mox nigras & putridas, & frequens ſemen in illis contentum.

Folia habet citriis haud diſſimilia, paulo tamen longiora & molliora, & qualitate refrigerandi & abſtergendi prædita.



Præter alias dotes, quibus excellunt, vulneribus atque ulceribus opitulantur, parteſque vitiatas reparant. Cujus rei Chirurgi noſtri non ignari, ea in quotidianum uſum colligunt.

Raro videas viatores iter ſuſcipere, niſi probe hoc remedio inſtructos.

Succus oleoſus denique è ſiliquis expreſſus, ad maturanda apoſtemata reſervatur, & applicatur cum proſpero ſucceſſu.

CAP. XLIII.

De Manaca frutice, ejuſque facultatibus.

Locis umbroſis, maxime circa *Aldeam Tapicirica* luxuriat Frutex arboreſcens *Manaca*, cortice gryſeo, ligno duro quidem, ſed fragili, ex albo cineritio, foliis acuminatis.

Flores fert exiguos, quorum alter cœruleo, alter vero (quod ut rarum, ita maxime jucundum) lacteo nitore niteſcit: Menſe Januario vegetus & valde ſpecioſe floreſcens conſpicitur, atque integras ſilvas inſigni fragrantia Narciſſi æmula implet.



Flori ſuccedit fructus baccæ Juniperi ſimilis, ſed inutilis.

Radicem habet magnam, ſolidam & albicantem, cujus medulloſa ſubſtantia in pulverem redacta, magna in Medicina pollicetur & præſtat.

Incolæ pæne omnes, tam Luſitani quam Braſiliani, licet magni æſtiment, tamen ob indomitas operationes hactenus in uſum admittere vix auſi fuerunt. Quippe periculo non vacat hoc genus medicamenti, quod nimis violenter corpus ſuperne & interne moveat. Quamobrem tantum hominibus robuſtiſſimis exhiberi ſolet, idque additis correctoriis, tum & juſta obſervata doſi, quæ Scammonei potius inferior quam ſuperior eſſe debet: ad illud enim validum medicamentum proxime accedit hæc radix; verum non ita inſipida eſt, amarore enim & acore non plane deſtituitur.

CAP. XLIV.

De Pagimirioba, ejuſque uſu in Medicina.

DUum generum *Pagimirioba* in Braſilia reperitur, quam Luſitani *Herva de Bicho* nominant, à quotidiano uſu.



Orobi ſpecies judicatur. In qualibet terra, præcipue tamen arenoſa, ac ſponte ſua naſcitur. Fruteſcentes ſunt plantæ, flore cereo, longis & tenuibus ſiliquis. Saturè rubeſcentibus, quibus ſemen rotundum, cinereum continetur. Qualitate utræque ſunt intenſe frigidæ, facie viridi ſimiles, exceptis foliis, quorum uni acuminatiora, alteri rotundiora exiſtunt.

Plantæ lippis & tonſoribus notæ ſunt ob uſum & frequentiam, quod nimirum folia earum contuſa & ſuccus recens expreſſus anoque inſertus, præſentiſſimum quaſi Antidotum ſit contra calamitoſum illud & familiare animalculum.

In omni denique inflammatione, imprimis tibiarum, fomenta ex illis confecta plurimum valent. *Nota*, quod quæ mucronatis foliis exiſtit, felicius hæc præſtet, atque in uſum frequentiorem veniat. Præter refrigerandi, de obſtruendi quoque qualitate pollet; aqua enim ex floribus & foliis ſæpe pota urinas fortius movet quam Orobus, ardoreſque renum & veſicæ temperat.

Rotundiori quæ eſt folio, agricolis *Matta paſta* dicta, ulceribus & anthracibus, quod calores extrahat, applicatur. Ex foliis quoque ejus aquæ impoſitis & putrefactis, craſſa quædam & unguis ſubſtantia emanat, qua unguenti mundificantis loco paſſim utuntur.

CAP. XLV.

De Camara Iuba, ejuſque facultatibus.

TRes *Camara* ſpecies mihi innotuerunt, fruteſcentes & è quovis ſolo emergentes, facie non ſolum externa, ſed inſitis quoque virtutibus ſimiles, quæ calidæ & ſiccæ habentur ad ſecundum gradum: neque differunt, niſi quod una illarum reliquis paulo magis arboreſcat.

Duæ flore gaudent ex aureo rubri coloris; tertia autem flore albicante. Hæ omnes exiguo ſunt flore, jucunda tamen & inſigni fragrantia, aromata redolent. Ex his tribus, tam foliorum & florum elegantia, quam odore medicaque qualitate, *Camara Iuba*, quæ flore eſt rubro & ſtirpe omnium minima, cæteris antecellit. Folio eſt Meliſſæ, ſed paulo minori, tamque odorifero, imprimis ſi fricetur, ut vel potiſſimum propterea ad uſum expetatur.

Balnea inde conficiuntur optima, tam ad roborandum internè, quam mundificandum externè, multos namque cutis affectus, ipſamque ſcabiem abolent.

Poſt flores ſequitur uvula baccis plena viridibus, magnitudine baccarum Sambuci, & uvula cum baccis ſimilis eſt fructui *Chamæpericlymeni* Cluſii. Digna eſt hæc *Camara*, quæ inter ſativas plantas excolatur, tam ob pulchritudinem, quam ob uſum.

Quarta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Quarta denique *Camara-miri* dicta cæteris annumeratur, cubitum longa, caule tenui & lignoſo, flore unico, exiguo, lutei coloris, qui (quod mirandum) quovis anni tempore ſe aperit de die hora undecima, manetque expanſus ad ſecundam pomeridianam, atque omnes ſimul tunc eadem hora clauduntur, uſque in poſterum diem: quod ſicut veriſſimum, ita rariſſimum eſt viſu, ſummoque peregrinantibus oblectamento exiſtit.



CAP. XLVI.

De Ananas, ejuſque qualitatibus.

ACtum agere nonnullis videbor, quod fructum toties deſcriptum & ad vivum exhibitum hîc denuo producam. Verum cum ea proſequi ſit inſtituti noſtri, quæ Praxin æque ac Hiſtoriam Botanicam illuſtrent; proferam quæ de *Ananas* qualitatibus, tum ab aliis, tum propria experientia didici. Recte quidem in comparanda rerum novarum notitia, ſollicite inſitas vires inveſtigamus: ſed non minus intereſſe exiſtimo, etiam indies cognitarum herbarum & fructuum ulteriores dignitates latentes ſcrutari, ſicut in hoc & multis aliis veriſſime mihi contigit, & proculdubio ſepiſſime mihi & aliis poſthac continget.

Ananas, aliis *Nana*, Monardo *Pinas* dictus, nemini in Indiis credo ignotus, facileque optimus fructus hortenſis in Braſilia, ſecundæque menſæ oblectamentum & ornamentum, ſive crudus, ſive ſaccharo conditus, exſiſtit. Altilis hujus Cardui ſpecies cinaræ in modum naſcitur, ſpicis compactilib. inſtar criſtarum, in ſummitatibus emergentibus; foliis oblongis, ſpinoſis, & in ſpeciem gladii mucronatis. Menſibus æſtivis, Sole exiſtente in Capricorno, maxime viget. Exigua ſemina ſeu grana ſubruſa in ſuperficie pulpæ latitant. Extuberantibus bullis ex flavo albicantibus exterius paſſim diſtinguitur, & quaſi



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

quaſi vermiculis aut teſſerulis variatur. Hic fructus, quia ſucco corroſivo immodice ſumto linguam vellicat, ac gutturis ardores infert, deſciſſo cortice in taleolas ſecatur, inque vino Hiſpanico maceratur tantiſper, donec qualitatem noxiam deponat, qui gratum ſaporem & odorem vino quidem communicat, linguæ tamen morſus & gutturis inflammationem, ſi potetur vinum, inducit. Ipſe autem ſuccus, quo turget fructus, mirifice animum languidum recreat, & ſpiritus ſopitos ſuſcitat, & imprimis ſtomachum nauſeabundum reſtituit. Addo, quod recens ejus liquor, tum vinum inde expreſſum, urinæ ſuppreſſioni & doloribus nephriticis ſuccurrat; tum quoque venenis, imprimis ſucco *Mandihocæ* adverſatur. Idem illius radix, fructu deficiente, præſtat.

Omnia hæc efficacius operatur liquor ſtillatitius è fructu vi ignis extractus, ſi modica quantitate exhibeatur: nam ſi largius concedatur, vaſa urinaria infeſtat, adeoque corrodendi qualitate pollet, ut non tantum linguam & palatum ſauciet, ſed & in cultro, quo ſecatur, mordacitatis veſtigia relinquat, idque intenſius, ſi non probe maturus fuerit. Atque tunc prægnantibus non minus obeſt quam *Carawata*. Febricitantibus, tum vulneribus vel ulceribus infeſtatis, prorſus abſtinendum ab hoc fructu; adeo enim humores accendit, ut non ſolum impediat reſtitutionem ægrorum, ſed & in pejus eos diſponat.

Quapropter miror optimum Monardum, fructum *Ananas* frigidum & humidum dixiſſe. Minus fallitur Chriſtophorus à Coſta, qui calidum & humidum eſſe affirmat.

Silveſtres quoque dantur *Ananas*, ex Carduorum familia, qui nunc humi, nunc altis arboribus ſupernaſcuntur, quos tanquam inutiles prætereo, & ad Cap. XL. Bellonii Lectores remitto.

CAP. XLVII.

De Betys, vel Betre, ejuſque facultatibus.

FRequens tum in ſilvis, tum in ruderibus urbis Olindæ eſſe ſolet *Betys*, frutex elegans, vel potius arbuſcula quatuor aut quinque pedes alta; caudice recto, nodoſo, digitum craſſo, pallide viridi & per totum punctulis albis notato. Superius ad aliquot nodos, ramulos adipiſcitur identidem nodoſos & ejuſdem cum caudice coloris. In ramis habet folia, ad quemlibet nodum unum, & ſimul unum julum. Folium quodlibet quinque, ſex aut ſeptem digitos eſt longum, linguæ figurâ, pallide viridis ſeu ſubflaveſcentis coloris, ſuperius ſplendens, craſſitie Lauri foliis pene ſimile. Denique piperis ſtirpi Sarmentis, caule & facie externa ſimillima. In hoc tamen differt, quod folio & fructu paulo quam piper eſt grandiori.



Juli qui ex ramulis dependent, formam piperis longi mentiuntur, ſed inſipidi ſunt & nullius uſus. Verum licet fructus fatuus ſit, radix tamen ſapidiſſima eſt & celeberrima; nam & aromaticum quid ſpirat, & Zinziberis præſtantiam ſapore, colore, atque odore æmulatur, præcipue ſi recens ſit, tunc enim dignitate illi vix cedit.

Foliorum & radicum decoctum colicum dolorem ſedat, dolores membrorum mitigat, ventrem flatibus turgidum componit, pedumque tumores ex frigore natos amolitur.

Idem præſtant balnea & fomenta inde confecta.

Præter hanc *Betyn*, aliæ adhuc, inter quas eſt *Betys* fœmina, in ſaltibus reperiuntur, julis gracilibus & exiguis botrorum modo congeſtis & pendulis.

CAP.

CAP. XLVIII.

De Nhambi, ejuſque facultatibus.

OLim neglecta planta, in ſilvis & nemoroſis dumtaxat locis reperiebatur; tandem cognitis illius virtutibus, hortis eſt illata. Pro vario naturæ & culturæ luſu, variis modis excreſcit & faciem ſubinde mutat. Herba eſt caule ſatis craſſo, lignoſo, tereti, geniculato, qui portulacæ modo partim humi ſerpit, & hinc inde fibras in terram à ſe demittens, radices agit, partim aſſurgit.



In ramulos multos varie diſpanditur, geniculatos, duos ſibi ubiq; oppoſitos, in iiſque ad ſingula genicula, bina folia oppoſita habet, interdum & plura, inæqualis magnitudinis: in extremitate autem ramulorum, quinque, ſex, ſeptemve folia ſibi invicem appoſita ſunt.

Quodlibet autem folium figuram fere cordis habet, oblongum, & in ambitu leviter ſerratum (quædam & laciniata) coloris dilute viridis.

In extremitate ramulorum flores proveniunt ſolitarii, magnitudine ceraſi minoris, cōſtantes ſolo umbilico rotundo ſine foliis.

Semen in umbelico (fuſco per maturitatem) ovali figura, plane compreſſum, ex fuſco gryſei coloris ſplendentis.

Radix filamentoſa, tenera, albicans.

Floſculus, quem fert chamemelo non multum abſimilem, terræ mandatus, paucorum dierum decurſu proſilit, plantamq; aſpectu non minus quam efficacia nobilem producit.

Calida & ſicca eſt in tertio gradu, linguamque prægustata vellicat. Lactucas cæteraſque humectantes & refrigerantes herbas, quæ pro acetariis ſolent apponi, temperat, & ſapore aromatico imbuit & commendat. Præterquam quod tenuitate partium & caliditate intenſa calculum frangat, vis peculiaris contra colicos affectus illi ineſt.

Flatus & obſtructiones ex frigore ortas diſſipat, ſi intus aſſumatur, aut balneis, fovendo corpori concinnatis, injiciatur.

Potentia antidotali præſtare & toxico ſumme adverſari, experimento compertum habeo. Itaque quod vidi hîc referam: Braſilianus quidam Bufonem nactus prægrandem & veneno tumidum, ſucco floris & foliorum tergo leviter inſtillato, eum confeſtim enecavit. Nec tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

animantia venenata exſtinguit, ſed & præcordia hominum adverſus venena munit, ſi mane & ventriculo adhuc jejuno manducetur.

Aquas hydropicorum feliciter educit, & robur addit viſceribus. Indigenæ ad firmandam valetudinem, pultibus è *Mandihoca* factis, hanc herbam indunt, non ſine proſpero ſucceſſu. Cum piſcibus quoque ſolet coqui & egregie convenit.

CAP. XLIX.

De Caa-apia, ejuſque facultatibus.

SEcretum hujus herbæ Indigenis debemus, qui primi illius virtutem nobis revelarunt. Puſilla eſt planta & depreſſa, ſed quæ humilitatem præclaris dotibus abunde compenſet. Ex radice enim vel duos digitos longa, & pennam olorinam craſſa, nodoſa ſeu verrucoſa, filamentis ad latera, & inferius tenuibus prædita, exterius è gryſeo flaveſcente, interius alba, tres vel quatuor pullulant pediculi, tenues, teretes, tres aut quatuor digitos longi, qui quilibet unicum folium ſuſtinent, obrotundum vel oblongum, tenerrimum, ſuperius ſplendide viride, inferius paulum albicans, habens nervum, & inferius venas tranſverſim conſpicuas.



Florem fert in proprio pediculo rotundum, umbelici figura, floris Bellidis æmulum, multis ſtaminulis conſtantem, ex quo ſemen provenit minus Sinapi.

Radicem fundit pro mole ſua ſatis craſſam, tortuoſam & ceparum more fibratam, ejuſdem fere cum *Pecacuanha* præſtantiæ & efficaciæ, unde & *Pecacuanha* abuſive à quibuſdam appellatur. Cujus vicem in vomitu ciendo, & alvi profluvio compeſcendo egregie ſupplet. Eo tamen diſcrimine obſervato, quod primam ſuam dignitatem à virtute antidotali ſortiatur, cujus vices an aliunde mereatur, experiri nondum licuit, quam quod viſcera tetris fuliginibus liberet. Luſitani præter hanc, abditam quandam & occultam qualitatem radici ineſſe contendunt.

Differt porro à *Pecacuanha*, quod ad vomitum proritandum minus ſit valida, nec pari efficacia humores peccantes per ſuperiora exturbet: quo fit, ut radix, quæ odore & ſapore alteri cedit, majori quantitate exhibeatur.

Indigenæ integram plantam contundunt, & ſucco prælibato virus à ventre excludunt: à colubris læſi aut ſagittis venenatis percuſſi, eundem antidoti loco, vulneri inſtillant non ſine ſucceſſu. Datur hîc & alia *Caa-apiæ* ſpecies, priori per omnia ſimilis; exceptis foliis, quæ quidem ejuſdem ſunt figuræ, ſed in ambitu ſerrata & hirſuta, quidam & pediculi horum raris veſtiuntur pilis.


CAP. L.

De Acaricoba, Luſitanis Erva do Capitaon, ejuſque viribus. Et de Agnape.

PLanta reperitur præſtantiſſima, locis irriguis, maxime vero circa rivos & aquas ſalientes, quæ ab Indigenis *Acariçoba*, à Luſitanis *Erva do Capitaon* appellatur. Folium habet rotun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

rotundum, glabrum, & ſatis craſſum, atque *Nymphea* minori perquam ſimile.
Florem fert ex luteo albeſcentem. Radice gaudet multa, albicante, humi repente, &



quaſi nodis diſtincta, longa, bulboſa, ſucculenta, & Petroſelini quodammodo ſaporem referente. Eſt tenuium partium & calidarum, guſtatu perquam jucunda & aromatica. Præcipuæ qualitates quæ hanc herbam commendant, inhærent radicibus, interque aperientes haud poſtremum locum merentur. Hepatis & renum obſtructiones, & intemperiem calidam emendant, tam feliciter, ut nullum remedium illis prætulerim.

Inter illas herbas quæ mundo Occidentali cum Europa ſunt communes, *Nymphea* eſt, illis *Aguape* dicta, quæ lacubus & ſtagnis paſſim innatare conſpicitur. Ejus folia & flores ſicut externa facie, ita qualitatibus admodum conveniunt cum communi Europæa, iiſdemque ſunt uſibus dicata, apud omnes paſſim incolas. Quippe folia ſola, tibiarum ulceribus, inflammationibus & eryſipelaſi applicata, medentur.

Oleum radicis *Nymphea* quoque præſtantiſſimum exiſtit, atque contra internos & externos affectus calidiores in quotidiano uſu receptum.

Radices hæ *Aguapea* dictæ, longæ & ſucculentæ ſunt, coctæ ſive leviter aſſatæ inter medicamenta alimentoſa numerantur, & pro epulis apponuntur inter acetaria.

CAP. LI.

De Nhambu Guacu, ſive, Figuero d' Infemo.

Ricinum duorum generum producit Braſilia, majorem quidem unum, minorem autem alterum. Uterque eſt arboreſcens, ſpecioſa facie, nec ſilveſtris ſolum, ſed & hortenſis & altilis. Caulibus eſt proceris & flore ex albo luteo, floribus vero pulcherrimis, ſtellatis & interſectis, latiſſimeque ſe extendentibus. Viret perpetuo, junctimque viridia ſemina immatura, nigra vero matura & cineritiis maculis diſtincta profert, à Luſitanis *Carapatos* appellata, quæ echinatis lappaceiſque incluſa cellulis, mox ſponte erumpunt, pinguique ac medulloſa ſubſtantia turgida, & quovis anni tempore collecta, in Sole exſiccantur, areſacta contunduntur & ex aqua coquuntur, oleumque ſupernatans ab indigenis excipitur. Belgæ vero & Luſitani olivarum inſtar ſolent exprimere. Lychnis affunditur, eoque olei defectus ſuppletur. Nec proinde tamen ignobile; quum omnibus paſſim incolis in uſu ſit quotidiano contra affectus frigidos tam internos quam externos; ita ut optimi olei Europæi vicem præſtet.

Calidum habetur ad tertium gradum. Reſolvit apoſthemata, & matricis ventriſque tormina & flatus illitum diſcutit; prodeſt tinnitibus aurium; reſtituit tenſos convulſoſque nervos. Tres vel quatuor guttulæ, ex conveniente liquore ſubinde per os vel anum exhibitæ, ſanant rigidos articulorum affectus & ſimul alvum laxant. Cutem quoque à pſhora, reliquiſque externis corporis affectibus vindicat. Umbilico inunctum lumbricos puerorum expugnat.

Semen illius catharticum eſt, & multo validius quam oleum: humores enim crudos per ſuperiora & inferiora exturbat, ac proinde præparatione indigent. Convenit in ſpiritu vini optimo, loco correctorii, macerare ſemina multa, & inde unciam circiter è cochleari exhiberi, ut venter benignius à craſſis humoribus evacuetur.

Si ipſa ſeminis grana in ſubſtantia accipere malis, minus tutum exiſtimant incolæ, ſeptenarium numerum excedere, licet Dodonæus id ſuadeat.

Folia aqua vel aceto macerata Herpeti aut hujus generis affectibus mederi præter Dioſcoridem, teſtem habeo quotidianam experientiam.

CAP. LII.

De Tangaraca, ejuſque facultatibus.

BRaſilienſes *Tangaraca*, Luſitani *Erva do Rato*, appellant eundem fruticem, idque non ſine ratione, quod facultate ſingulari deleteria polleat, & homines æque atque glires interimat. Ejus tres reperiuntur ſpecies.


Prior, quæ maxime noxia eſt, florem producit, primo albicantem, mox aureo colore





niteſcentem: folia autem læte virentia, acuminata, ſeſquidigitum circiter longa, & multis nervis atque venulis diſtincta.

Poſterior folia fert priori quidem *Tangaraca* haud diſſimilia, ſed longiora & triſte viridia: Florem autem ſaturè purpureum & umbilicatum, cui ſuccedit fructus rubo ſilveſtri haud diſſimilis.



Licet autem foliis, floribus ac fructibus differant utræque hæ plantæ, ligno tamen, natali ſolo, & proceritate conveniunt. Cæterum ubivis fere in triviis obviæ, qualitate virulenta Arſenico vix cedunt. Tanta ſiquidem tum folio, tum imprimis flori & ſemini potentia ineſt, ut manducata, confeſtim hominem interimant, niſi quantocius præſentiſſimo Antidoto obviam eatur.

Nullum autem præſtantius alexipharmacum, quodque efficacius noxam hanc expugnet, hactenus extat, quam ipſæ hujus plantæ radix, quæ contuſa & ex vino aut alio aliquo conveniente liquore propinata, ægros ſæpe in integrum reſtituit. Uſque adeo benigna mater Natura, facultatem non minus ſalutarem, quam mortiferam eidem plantæ infudit. Sicut fuſius dictum in tractat. de Antidot.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. LIII.

De Ieticucu ſive Mechuacan, itemque Batatas, Inhame & Amenduinis.

INter fructus ſubterraneos alimentoſos primum locum merentur, quos *Batatas*, *Inhame*, & *Amenduinas* nuncupant vulgo. *Batatæ* quidem diverſi ſunt coloris, ſed qualitate congeneres, nutrientes, magnoque incolarum commodo in victum cedunt. Pingues ſunt & dulces atque flatulentæ: hyeme demum ob multam uliginem matureſcunt, & in hortis tantum excoluntur. Folia illius magna, glabra, ſaturate viridia, ſupra terram repunt. Flores ferunt exterius dilute virides, interius candidos. Ut videre eſt apud Marcg. pag. 16.

Qui autem *Inhame* dicuntur ſunt ponderoſiores, multoque majores, ſed viliores quam *Batatæ*, filoſi ac tuberoſi, à pauperibus ſolummodo expetiti.

Inhame de S. Thome, Braſilienſibus *Cara*, Congenſibus *Quiquoaquecongo*, planta eſt caule quadrato, & paulum hinc inde contorto; longiſſime repit ſuper terram aut etiam aſcendit ſepes, longiſſimeque ſe propagat: nam ramuli illius terram contingentes, fibras protrudunt & novas agunt radices. Interſtitio ſeptem aut etiam plurium digitorum ad caulem proveniunt pediculi duo oppoſiti, quinque aut ſex digitos longi, itidem quadrati, quorum cuilibet inſidet folium *Sagittalis* noſtratis figura, novem aut decem digitos longum, latum circiter ſex, ubi latiſſimum, quod læta viriditate ſplendet, ſolidum, ſeptem aut novem nervis ex pediculi inſectione prodeuntibus & per longitudinem diſcurrentibus, inferius prominentibus, ſuperius profunde jacentibus, in extremitate acuminatum. Craſſa eſt radix, unum pedem longa, cuticula ex cinereo fuſca veſtita, ſub qua flaveſcit, intus autem habet carnem ſucculentam & quaſi lacteſcentem.




Inter *Amenduinas* radices, oblongæ præſtantiores, quæ duos cineritii coloris nucleos, optimi nutrimenti & palato gratos, ſed flatulentos, atque ad Venerem incitantes, loculamento includunt, ut merito piſtacei ſubterranei dicantur: ex Africa huc deportantur. Ignobiliores bulbi rotundi *Tamaotarana* à Braſilienſibus nominantur.

De ea nunc agamus radice, quæ Luſitanis *Batata de purga* alias *Mechoacan*, Braſilianis *Iiticucu* appellatur: paſſim in agris & locis incultis proveniens, nullaque olitoris induſtria tractata aut exculta.

exculta. Adeo per omnes ſilvas luxuriat, ut omnem terram pene impleat: Eadem plane eſt ſacies & efficacia plantæ, foliorum & radicis, cujus eſt *Mechoacan* in reliquis Americæ partibus.

Species eſt convolvuli ſeu Smilacis, nam caulis illius ſarmentoſus eſt longiſſime ſerpens & ſcandens, multangularis, lentus, ruffus, atque etiam viridis. Folia ſuo proprio pediculo innituntur, unum digitum longa, figura cordis, ut vulgo pingitur, duabus ad latera auriculis, ad tactum tenera, unum aut etiam plures digitos longa, ſaturate viridia, inferius nervis & venulis tranſverſis conſpicua; nullum habent odorem præter herbaceum: caulis autem inciſus lacteum edit ſuccum.



Flores fert convolvuli magnitudine & figura, pulcherrimos, albos & pauco incarnato dilutos exterius, intus autem purpureos, menſe potiſſimum Julio: qui ubi deciderint, ſuccedunt ſemina, piſi pene magnitudine, fuſci coloris, verum haud rotunda, ſed quaſi duæ particulæ exſectæ eſſent, ita ut ferme triangularis ſint figuræ, quæ menſe Septembri colliguntur.

Ejus autem radix pinguis, alboque ſucco turgens, gummoſa eſt atque inſipida: exterius obſcure cinerea ſive fuſca, reſinam quandam recens fundit; interius eſt alba. Colligitur opportune circa menſem Octobrem: in taleolas circulares diſſecta, ſiloque tranſſutim excepta reſervatur, & contra omnem externam injuriam vult defendi.


Calida in primo & ſicca in ſecundo gradu cenſetur: Blande & citra noxam purgat: ſed quia agit in viſcidos potiſſimum & craſſos humores, indiget vehiculo & ſtimulo correctorii loco.

Pulvis ex vino infuſo ſolo præſtat à drachma una ad duas & ultra, & fœcula illius, ut in Morborum obſervationibus ſupra oſtendi. Conditúræ & conſervæ, quæ plurimæ tam è flore, quam ipſa radice fiunt, non ſolum ſunt boni ſaporis, ſed blande laxant atque aperiunt.

Plura qui ſcire volet, conſulat Monardem, Dodonæum, atque alios.

CAP. LIV.

De Caapeba, illiuſque facultatibus, & uſu.



CLematiti non abſimilis, tenaci ac prælongo ſarmento, nunc vicinas arbores ornate conſcendit, nunc humi inſtar colubris repit hæc Herba; ob ſimilitudinem *Cipo de Cobras*, ob eximias virtutes & præſtantiam *Erva de noſſa Senhora* à plebe Luſitanica cognominatur. Tenuiſſimo eſt folio, rotundo, læteque ſemper virente; Radice tortuoſa, è cineritio nigricante, & digitalis circiter craſſitiei, ſi juvenis ſit, ſin vetuſtior, brachium adæquat, nigraque exiſtit.

Subſtantia intus eſt ſolida, compacta & pingui, non multi, ſed tamen ſubamari ſaporis, partium calidarum & tenuium.

Floret

Floret planta menſe Iulio, & ſemen fert magnum coloris roſacei, è capſulis (lupulo ſimilibus) prominens.


Ego duplicem radicis ſimul & foliorum uſum ſum expertus.

Radix in taleolas ſecta, perque aliquot dies ſub dio in liquido convenienti macerata, vim ſuam illi communicat, nec ingrato adeo ſapore aut cereviſiam, aut vinum, quo diluitur, imbuit; quin potus ordinarii loco ægri illo utuntur, quod renum, ureterum & veſicæ obſtructionibus medeatur. Uſque adeo Calculi expellit materiam (licet rarius hic detur hoc malum) ut Magnates Luſitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint. Cæterum hæc tantopere prædicata herba, non tantum propter virtutes jam dictas, ſed & eximiam, qua contra venena valet, facultatem, ab illis expetitur. Quippe ſuccus ex recentibus foliis expreſſus, ſerpentum ſanat morſus: radix autem cum foliis contuſa, & è vino hauſta, veneni intus aſſumti vim retundit, penituſque expellit.

CAP. LV.

De Tajaoba, ejuſque uſu.

DIverſas Braſſicæ ſpecies novus hic orbis producit, quarum folia *Tajaoba*, ab Indigenis vocantur.







Harum una alba exiſtit, cujus folia edulia, uti & radices, laxant alvum: altera *Mangarapeuna*, cujus folia ſunt ſaturate viridia, ut & radices itidem: cortices & caules ſunt roſacei coloris: hujus non folia, ſed radices dumtaxat edules: tertia, quæ *Tajaoba* vel *Mangara-miri* appellatur, cujus folia ſunt minora & duriora nec edulia, ſed ſola radix. Quarta eſt *Tajaoba* ſilveſtris, alias *Tajobaraon* dicta, & nonnullis *Mangarabrava*. Ex qua profanum & ſuperſtitioſum vulgus philtra, aliaque ſimilia, nec minus ridicula confici poſſe exiſtimat. Radicem autem ejus vere cauſticum eſſe, ejuſque loco proſpere uſurpari, experientiam teſtem habeo. Quippe præter balnea quæ ex iis ſolis contra morbos cutaneos, tum imprimis frigidos articulares, apprime conficiuntur, membra quoque affecta, prævia Scarificatione, contuſis recenter radicibus fricantur cum optimo ſucceſſu. Mox cataplaſmata ex iiſdem, parti dolenti undiquaque imponuntur: quæ ſi per vices aliquot reiterentur, inveterata quæque mala, citra recidivæ metum, exterminare ſolent.

Quæ alia præterea Braſſicarum genera hæc tellus producat, ad Medicinam ulterius ſpectantia, ſedula poſteritas, ut ſpero, inveſtigabit.

CAP. LVI.

De Inimboja, ſive Silva de Praya, Luſitanis.

ASpere echinatus ille & vix tractabilis Occidentis frutex, in ſilvis arenoſis & littoribus ſitientibus abunde pullulat ac jucunde vireſcit. Lobos echinoides quos C. Cluſius vocat, profert, duabus vel tribus ſphærulis lapideis refertos.

Radix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Radix ejus eſt gracilis & dura, interius albicans, calida ad tertium gradum, & ſaporis amari. Hujus reſina ad pugillum, plus minuſve, aſſumta, excitat vomitum. Contraque illa venena potiſſimum operari teſtantur Empirici, quæ lente vires ſuas deleterias exſerunt & tarde vitam depaſcuntur.

Cap. LVII.

Nhandi, piper longum, ejuſque facultates.

IN arboreſcentis fruticis pene altitudinem aſſurgit ſilveſtris planta, quæ *Pimienta dos Indios* à Luſitanis vulgo appellatur. Caule eſt ſaturate virenti, & maculis albis diſtincto. Folia fert levia, ut *Araticu*, & oblonga: piper ornate producit longum, idque erectum, primum ex viridi flaveſcens, mox ſaturate viridem colorem acquirens. Orientali piperi oblongo, craſſitie nonnihil cedit, efficacia licet neutiquam inferius. Aromatici eſt ſaporis & inſigniter urentis, præſertim ſi maturum media æſtate decerpatur, ſenſimque ſub Sole areſcat & nigreſcat, atque tunc calidum cenſetur in ſupremo gradu. Digiti eſt longitudine, conſtans ſolis quaſi granulis, congeſto ordine, (plantaginis inſtar ſeminis) diſpoſitis: ſemelque tantum in anno provenit.





Paſſim in terra ſolida & pingui, maxime autem circa oppidum Olindam conſpicitur.

Quoniam autem tot Capſici Braſilienſis ſpecies in hortis aluntur, hoc piper non admodum expetitur. Pharmacopolia etiam minus illo indigent, ob rariorem illius in Medicina uſum. Sed tamen radices & folia, cum ſumme ſint fortia, etiam exſiccata & diu reſervata, vicem herbarum calidarum & corroborantium, ad balnea concinnanda, contra univerſam illam frigidorum morborum cohortem, abunde ſupplent.

Cap. LVIII.

De Sape, ſive Jacape, ejuſque uſu.

GRamen junceum ad hominis prope altitudinem, ex radicula geniculata juncea, alba, exſurgit, caule primum ſimplici, inſtar culmi ſiliginis, tereti, qui poſtea in aliquot folia finditur graminea, anguſta, in medio album nervum ſecundum longitudinem habentia. Nullius eſt odoris, nec florem gerit nec ſemen. Solo, ut plurimum, effæto, naſcens, radices ſub terra longe

longe lateque agit, & mire luxuriantes extendit, novaſque herbas tenaces & ductiles protrudit, quibus Indigenæ plerique & Luſitani utuntur, ad membrorum vulnera liganda, morſuſque ſerpentum, quo minus virus ad cor aſcendat, conſtringendos, donec vulnus ſanatum fuerit.

Sed miſſa hac ſuperſtitione, vires & facultates potius commendo, quæ illius radicibus junceis ſucco grato turgentibus, inſunt. Multis enim profuiſſe experientia comprobatum eſt, ſi decocto illarum, præſertim quibus male fuit, ex ſumto aliquo veneno, utantur.

Cap. LIX.

De Iaborandi, ejuſque facultatibus & uſu.

ITa veteribus Incolis & noſtris dicitur hodie hæc Planta: quæ in duas ſpecies diſpeſcitur. Utraque illarum nobilis eſt & ſalutaris.





Prior in fruticis altitudinem, inque terris tantum ſolidis & pinguibus creſcit; folio & flore Lauro ſimilibus. Caulibus aſſurgit minimum digitum craſſis, per longa intervalla nodoſis, teretibus & ſature viridibus, qui ad nodos habent ramulos itidem nodoſos. In his & illis folia vel adpoſita, vel etiam alternatim poſita, à ſex ad decem digitos longa, ſaturate viridia, ſplendentia, & in extremitate mucronata. Semen julis inhæret intenſe calidum & urens. Radice eſt tenui & luxuriante, in qua hujus plantæ dignitas quaſi tota conſiſtit. Ad tertium gradum calida eſt & ſicca, ſubtilium partium & cauſticarum, pyretrique vicem merito ſupplet in praxi.

Poſterior ob eaſdem qualitates, licet non æque intenſas, idem nomen obtinet, eſtque fruticeſcens, ocymo non multum abſimilis, ſiccis ac ſitientibus locis gaudens, ſuaſque virtutes, non minus quam prior, in radices transfundens.

Utriuſque radicum qualitates Braſilianis, qui illas Luſitanis & noſtratibus revelarunt, adeo commendantur, ut inter Panaceas hodie habeantur, uſumque in Medicina præſtent eximium, & vicem Antidoti non raro ſuppleant. Pugillus ſiquidem recentis radicis contuſus, èque ge-

neroſo

neroſo vino propinatus, vim veneni per ſudores & urinas exturbat. Cujus rei ſpecimen Barbarum quendam edidiſſe vidi, ſpectante Excell. Naſſav. Comite.

Mordaci denique acore loco Sternutatorii ſalutares edit effectus, tum peculiari vi attractiva loco maſticatorii alte pituitam è capite ad os derivat, oculoſque à perpetuis catharris vindicat.

CAP. LX.

De Iacuacanga, aliis Paco Caatinga, ejuſque facultatibus.

INnumera in Braſilia arundinum ſilveſtrium genera reperiuntur. Præter eximiam illam ſativam Sacchari cannam, reliquarum omnium facile reginam, in nemoribus exſurgunt admodum excelſæ plumiſque veſtitæ, ut arborum altitudinem, tibiæ vero humanæ craſſitiem adæquent. Quædam duriores, ſagittiſque ſunt dicatæ. E quarum radicibus decoctis, lixivium contra capillorum defluvium concinnatur. Plurimæ quoque dantur aliæ, quas ſilentio prætereo, ob ornatum vel uſum ab opificibus dumtaxat aut agrorum colonis expetitæ.



Una reſtat quæ uſum in Medicina præſtat, bulboſa & ſemper vireſcens, *Iacuacanga* ab Indigenis nominata.

Caulis internodiis rarioribus & mollioribus diſtinctus, amplis & craſſis foliis eſt conſpicuus: è cujus vertice, compactus, ſquamatus, figura pyramidali & ſpecioſe rubeſcens flos, progerminat.

Egregia hæc Arundo, ſpongioſa pulpa, acidoque ſucco turget. Inter ſecretiſſima & optima habent remedia contra Gonorrheam, manducare multum hujus cannæ, eaque ſola renum, veſicæ & genitalium immundities expelli tradunt. Ego ſuccum illius acidum exprimi, certaque doſi, addito convenienti ſyrupo, ægro bis de die exhiberi conſultius duxi, & multum profuiſſe ſum expertus. Ea tamen cautione, ut uſus illius frequens vitetur, quod ſuo acore ventriculum infeſtet, genitalibus quoque obſit, quemadmodum in multis videre contigit, qui temere illo utebantur.

CAP. LXI.

De Saſſafras, ejuſque facultatibus.

IN vaſtiſſimis & diſſitis Braſiliæ ſaltibus, duæ vel tres inſignium & fragrantium arborum ſpecies reperiuntur, quæ *Anhuiba* à Braſilienſibus dicuntur. Quarum aliæ nigricant, aliæ albicant, ac proinde *Cedro branco* vel *Canela* ob odorem dictæ. Quæ *Anhuyba-peabya* à Braſilianis, merito ab Hiſpanis *Pao funcho* nominatur, quod inſigni fæniculi fragrantia totam domum repleat, tam ipſum lignum (quod è cineritio flaveſcit Sandali inſtar) quam cortex & radix. Proinde Monardi deſcriptioni circa lignum *Saſſafras* non acquieſcendum, licet accurate uſum & abuſum ejus deſcripſerit: nam cum de delectu & præſtantia partium arboris agit, corticem dignitate longiſſime ſuperare & excedere lignum teſtatur, & *Saſſafras* floridæ decorticatum lignum vix dignitatis ullius eſſe affirmat, cum hoc Braſilienſe eximiæ virtutis & dignitatis habeatur, atque à cortice liberatum in aliquot annos immune ſervetur.

Ad hæc fortioris odoris eſt & efficaciæ, atque ſecundum caloris & ſiccitatis gradum excedit.

Tertia autem ſpecies *Auhuiba-miri*, quantum duabus prioribus magnitudine inferior, tantum virtutibus ſuperior, omnibus pariter incolis in quotidianos uſus repoſita. Folio eſt Lauri, ſed minori, fructu odorifero & nigro, ubi maturuerit, eoque ſimul cum

foliis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

foliis, ligno, radice intenſe calidis ultra ſecundum gradum; cortice eſt coloris è cinereo triſte rubeſcentis, ejuſdemque qualitatis.

Decocta ex his non tantum contra luem Veneream, ſed & alios plurimos morbos à frigore natos adhibentur; ſudores denique & urinas movent, tum viſcerum obſtructiones, atque uteri intemperiem frigidam tollunt: languidos imprimis à morbis Chronicis reſuſcitatos, hydropicos quoque ab aquis jam liberatos, à recidivæ metu liberant.

CAP. LXII.

De Iupicanga, ejuſque facultatibus.

EAndem quam Chinæ radicem vulgo vocant, hæc quoque producit terra: ſed Pſeudo-Chinam, de qua Dodonæus & alii ſcribunt, frequentius, eamque admodum nodoſam & lignoſam, quam ipſe aliquoties è terra, in Territorio imprimis Paraybienſi, ubi copioſe naſcitur, evulſi.



Sed ne quis fallatur, tres omnino reperiuntur ſpecies, licet paucioribus cognitæ, quæ omnes ſub eodem nomine comprehenduntur, ob ſummam quam inter ſe habent ſimilitudinem; quas tamen ſi in uſus applices, diſtinguere neceſſe eſt: quapropter eligenda eſt quæ magis craſſa, glabra & rubeſcens eſt: quæ facile ex magnitudine pedis plantæ, tum & ex infrequentioribus caulium ſpinis internoſci poteſt. Ejus brachia ſpinis acutiſſimis hinc inde obſita, Clematis inſtar, vicinas arbores, earumque ſummitates, ſinuoſis flexibus amplectuntur. Folia fert Plantagini haud diſſimilia, & baccas croceas ad aureum colorem vergentes, ac racematim provenientes.


In hac planta cum nihil ſit fere, quin ab aliis Scriptoribus tractatum, & ad vivum ſit exhibitum, ſollicite aut prolixe diſſerere operæpretium non erit. Ea uti ſolent ad eadem mala expugnanda, quæ in Europa expelli ſolent: tamerſi Chinenſi (ut, quod ſentio, dicam) dignitate & præſtantia ſubinde nonnihil concedat.

CAP. LXIII.


De Iamacaru, Urumbeba, & Iaracatia, earumque facultatibus atque uſu.

SI in ulla Braſiliæ planta mirus naturæ luſus, certe in hac Carduo ſive ficu ſilveſtri apparet. Vid. Marcg. Icones pag. 116. quippe adeo inter ſe variant, pro natalis ſoli diverſitate, ut vix omnes ad eaſdem ſpecies quis referat, niſi flore & fructu, tum interna qualitate convenire deprehenderentur. In diſſitis enim & denſis nemoribus, ad quæ vix aditus patebat, aliquas communis arboris magnitudinem ſuperare, in littore vero ſitienti aliquot vix fruticis altitudinem adæquare videbam. Truncus è terra primum, nunc triangulari, nunc quadrangulari figura, unicus, craſſus, horridis ſpinis obſitus, proſilit. Ex quo multi deinde, ramorum loco ſimiles, trunci produ-


producuntur; hiſce flores haud inodori, albi, Nymphææ majores ſimilis, adnaſcuntur. Quibus mox, æſtivis menſibus, ſuccedunt fructus rubri, ovi anſerini figura & magnitudine, multaque nigra & exigua ſemina, candidiſſimæ & ſucculentæ eorum fructuum pulpæ, intus contentæ, immerguntur. Præterquam quod ob delectabilem fructuum fragrantiam & ob ſuccum ex acido dulcem, ab æſtuantibus expetuntur: febricitantibus imprimis & bilioſis conveniunt recentes, quod grato acore palatum afficiant, & ſitim ſedent; denique Cor & ventriculum mire reficiant. Succus denique ex hac planta extractus, febribus ex bile natis medetur.



Admiratione quoque digna eſt nitidiſſima hæc arbor, *Vrurumbeba* Braſilienſibus dicta, ex familia horum carduorum ſive ficuum Indicarum. Quæ in deſertis Mediterraneis tantum reperitur; ac propterea licet in uſus Medicinæ nondum ſit recepta, neutiquam eſt prætereunda.



Trunco eſt admodum ſpinoſo, eoque rectiſſimo *Iaracatia*, etiam ſpecies *Iamacaru*, vere Pinum diceres, ſi rectitudinem & altitudinem conſideres, verum in cæteris differt, quod foliis potius ſe invicem protrudentibus, quam ramis in arboris ſummitate decoratur, quæ rotunditate & craſſitie palmam, longiſſimis ſpinis digitos manus æmulantur. Diſſitæ hujus arboris nuper à nobis detectæ fructus, mihi & ſenioribus Braſilianis mecum peregrinantibus, hactenus minus innotuerunt: Caudicis medulla eſt Sambuci medulla facile mollior, quæ ſecta arbore continuo exſiccatur, abitque in leviſſimum pulverem, qui decidit, moxque ablato ſpinoſo cortice, relinquitur ſcapus concavus, arundine levior, miris cancellis, quaſi ex arte mire fabricatus: qui ſi ab igne accendatur, flammam luculenter fovet, faciſque loco nobis iter facientibus de nocte inſerviebat. Quamobrem ſumma induſtria inde huc, tibiæ craſſitiei, viginti circiter pedum longitudinis ſcapum transferri juſſi, & nunc in Horto Academico Lugduni Batavorum, apud Clariſſ. Profeſſorem D. Vorſtium reſervandum dedi.



CAP. LXIV.
De Potincoba, Luſitan. Pulgera, ejuſque facultatibus.

HErba ultra tibiæ altitudinem vix aſſurgens, folio oblongo, nunc maculato, nunc immaculato, hinc inde per paludoſa & aquoſa loca ſtagnantia conſpicitur, Perſicariæ per omnia ſimilis, unde eam Perſicariam Americanam appellare placuit. Radix illius commanſa intenſiore fervore & acrimonia linguam inficit, Europeumque Hydropiper non tantum ſuperat.



Fomenta è foliis veteres membrorum dolores diſſolvunt, frigiditatesque abolent. Pubi ſæpius applicata urinas è frigore cunctantes ciunt. Cæterum recens herba inter cauſtica primas tenet, cujus rei non ignari Chirurgi, ea quotidie utuntur contra ulcera putrida.

CAP. LXV.
De Ipecacuanha, ejuſque facultatibus.

TAndem ad decantatas has ſalutiferas radices ordo nos deducit, quæ præter facultatem purgatricem per ſuperiora & inferiora, omni veneno eximie adverſantur. Nec credo præſtantius remedium adverſus plurimos morbos ex longa obſtructione ortos, imprimis in ventris fluxibus medendis, in hiſce terris reperiri facile.



Duæ exiſtunt ſpecies, neutra à nemine, quod ſciam, deſcripta, earumve qualitates eximiæ in lucem protractæ. Utraque eidem uſui dicata, ſed gradibus facultatum, tum & facie, & natali ſolo, differunt. Una enim earum humi depreſſa, exiguior in pratis creſcit; *Pulegio* non admodum diſſimilis, nam caulis foliis lanuginoſis exſurgit multis: albiſq; floſculis cingitur: radix illius eſt craſſa, filoſa, albicans, à Luſitanis ad differentiam, *Ipecacuanha Blanca* dicta, quæ, quod minus turbet corpus & venenis validiſſime reſiſtat, æque pueris ac gravidis exhibetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Altera eſt longitudinis ſemicubitalis, trinis vel quinis tantum foliis ornata. Gaudet locis opacis, & tantum in denſioribus reperitur nemoribus. In ſummitate caulis baccas producit nigras, ſed paucas. Radice eſt tenui, tortuoſa, nodoſa, fuſci coloris, ſaporis ingrati, amari, calidi & acris. Exſiccata in multos annos reſervatur, nec facile vires deponit. Ejus in pulverem redactæ doſis eſt dragma; in infuſo, dragmæ, plus, minus, duæ.

Utriuſque quotidianus eſt uſus, malunt tamen dilutum, quod vel unius noctis ſub dio maceratione aut actione in aqua, Medicam ſuam virtutem abunde liquoribus communicet. Poſtea caput mortuum reſervatum, denuoque eodem modo præparatum, in eumdem uſum exhibetur; minus quidem efficax ad purgandum vel vomendum, ſed magis adſtringens. Ita ut radix hæc non ſolum materiam morbificam, licet tenaciſſimam, à parte affecta revellat, eamq; per ſuperiora expellat, ſed & aſtringendo viſcerum tonum reſtituat. Præterquam enim quod fluxibus ventris, aliiſque morbis medeatur, venenis adverſatur, viruſque, tum occulta qualitate, tum manifeſta, per vomitum ſtatim expellit. Quamobrem religioſe à Braſilienſibus reſervatur, qui illius virtutes primi nobis revelarunt.

CAP. LXVI.

De Caiatia, aliis Caacica, ejuſque facultatibus.



PRæſtantiſſima hæc Herba, merito à Luſitanis *Erva dos Cobres* eſt appellata, quod colubrum morſibus feliciſſime medeatur, nec ulli Antidotalium herbarum dignitate cedat. Lippis & tonſoribus, tam ob inſignem uſum, quam frequentiam notiſſima, quod in triviis ubique creſcat, omnique ſolo gaudeat. Exigua hæc *Panacea* lacticeſcens eſt inſtar Eſulæ, foliis Menthæ non diſſimilibus, ſed longioribus paulo & anguſtioribus exiſtit, iiſque criſtatis, ſed admodum triſtis & ſaturè viridis coloris, cauliculis ad rubedinem vergentibus, radicibus miniatis, terræ hinc inde inſertis, humi depreſſa tota repit planta. Ita ut licet aſpectus imbellis ac ignobilis ſit, qualitate tamen interna compenſetur.

Quippe recens maſticata vel contuſa, & morſui Serpentum applicata, dolorem non ſolum ſedat, ſed ipſum venenum validiſſime extrahit, & vulnera reſtituit in integrum.

Sicca vero, & in pulverem redacta, ſi è convenienti liquore, ad pugillum exhibeatur, munit cor, vireſque à veneno lapſas reſtituit.

CAP. LXVII.

De Iuricuara, ejuſque facultatibus.

IN umbroſis Braſiliæ nemoribus creſcit Herba *Iuricuara* Braſilienſibus appellata, foliis quatuor utcunque craſſis, palmæ magnitudinis, & inſtar *Aſari* rotundis, ſed exterius paulum aſperis & minus glabris, ſucco multo, eoque utiliſſimo turgentibus. Folia quippe hæc, ſive integra, ſive contuſa, ter quaterve applicata, maligna ulcera Venerea mundificat & reſtituit.

Radices ejuſdem plantæ exſiccatæ ſi contundantur, & ex aqua *Iurepebæ*, & liquore nucis *Cocos* dio expoſitæ, aliquoties propinentur, Gonorrheam virulentam & calores expellit.

CAP. LXVIII.

De Capiipuba, ejuſque facultatibus.

TAmetſi pauca habeam quæ de hoc gramine dicere poſſim, non tamen eam prætereundam duxi. Luſitani *Pe de Gallinha* optima comparatione appellant, quod ſummitates hujus herbæ in tres unguiculas deſinant. Ubique locorum maximo proventu conſpicitur.

Ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Ejus radix contuſa & è conveniente liquore propinata, quodvis venenum exturbat, ut teſtantur omnes Indigenæ Braſiliæ.



Cap. LXIX.

De Salſa do Praya, ejuſque uſu.

PRæter *Carçaparillam* Peruanam officinarum, altera hæc non imbellis, licet ignobilior vulgari, reperitur. Magnum & purpureum fert florem, folia glabra, & craſſa, atq; rotunda, tenui validioque ſarmento, Oceani littus, infinito ductu perrepens, Luſitanis *Salſa do Praya*, ſive *Carca* littoralis nuncupata, quam tamen convolvulum maximum rectius dixeris.

Sarmenta & folia recentia, temperate calida habentur, & emolliendi quoque vi pollent, ac proinde in balneis factitandis uſum habent haud exiguum, tum ad corroborandum corpus in affectibus præcipue frigidis, ſumme proſunt.

Decocta denique è ſarmentis & radicibus exſiccatis per os exhibita, eidem uſui inſerviunt. Folia recenter avulſa fonticulis appoſita ſolatium adferunt.

Cap. LXX.

De Aninga, ejuſque qualitatibus.

INter tot immenſas paluſtres herbas, duo frutices, ſub nomine *Aninga*, ſicut ob raram & pulchram faciem cæteris facile præcellunt, ita qualitate Medica haud inferiores exiſtunt. Utrique ultra quatuor pedum altitudinem ex aqua eriguntur. Quæ autem *Aninga-iba* dicta, caule eſt recto, molli & junceo, *Muſæ*, ſive *Bacovæ* minoris inſtar; tribus vel quatuor rotundis, prægran-





dibus, lævibuſque foliis, *Nympheæ* ſimilibus, decoratur. Flore unico magno & candido, ex quo progerminat fructus haud vulgaris, inſtar *Ananas* viridis, oblonge rotundus, craſſus, compactus, ac veluti granis & punctulis diſtinctus. Nobis inutilis habetur fere, Barbaris autem edulis ex defectu melioris alimenti.

Radice eſt craſſa, bulboſa, quæ ſola foliis & fructui hujus plantæ in Medicina præferenda eſt. Quippe cum præter primas qualitates frigidas, tenuium quoque ſit partium & deobſtruens, in varios uſus adhibetur à Luſitanis & Barbaris.

Contra Hypochondriorum & renum inflammationes & obſtructiones, fomenta exinde conficiuntur. Oleum denique ex *Aninga* expreſſum, præſtantiſſimum habetur contra prædicta mala, atque olei capparum vices ſupplet.

Si ex radicibus denique in urina humana coctis balnea fiant, eaque aliquoties calida reiterentur, ſummo exiſtunt ſolatio contra morbos articulares, tam inveteratos, quam recentes.

CAP. LXXII.

De Aguaxima, Luſitanis Malva d'Iſco.

IN pleriſque Braſiliæ locis, maxime vero in fertiliſſimo illo Olindæ Promontorio copioſe naſcitur hæc planta. Plurimique ejuſdem generis reperiuntur frutices, aſpectu non imbelles, ſed quorum qualitates hactenus mihi ſunt incognitæ. Excepto hoc unico, eoque facile digniſſimo, quem hic ad vivum depictum exhibeo, cujus fructus, folia & radices eximiis dotibus præſtant.



Frutex eſt elegans, inſtar arbuſculæ excreſcens, ad trium, atque etiam ſex pedum altitudinem. Caulis nodoſus, teres, viridis, lignoſus fere ut caulis *Solani* ad adſpectum.

Folia fert Tiliæ quam ſimilia, paulo tamen grandiora, quæ ſingulatim poſita, quodlibet ſuo pediculo ad nodos innititur: ſunt autem folia lata, figura cordis, multis venis ſecundum longitudinem arcuatim eleganter notata.

Ad nodos, ubi folia proveniunt, etiam juli multi, quatuor aut ſex digitos longi enaſcuntur, incurvati, figuræ ut cauda muris, unde Luſitanis *Pimenta rabuda*, hoc eſt, piper caudatum appellantur. Sunt autem virides, & menſe Octobri & Novembri decerpuntur, ac in Sole ſiccati, evadunt nigri. Continent autem granula rotunda, nigra inſtar ſeminum papaveris magnitudine: arcte juxta ſe in unam compoſita, ſaporis acris, inſtar piperis, quod ex India adfertur.

Si ex aqua bulliat & Soli dein exponatur, fortius evadit & magis durabile in omnes uſus.

Radicem fundit exterius nigricantem, optimam atque utiliſſimam, quæ odore Caryophyllum, ſubtili & mordaci acore radicem *Iaborandi*, æmulatur.

Calida eſt ad tertium gradum, ſacra & inter antidotales habita, cumque partium ſit tenuium, valide aperit, ac deobſtruit. Nemini non ob præclaras virtutes, quibus abundat, cognita. Contuſa, inque malagmatis aut emplaſtri modum partibus afflictis impoſita, optime maturat & mundificat.

Succus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Succus foliorum quia frigidus, membris ambuſtis efficaciter illinitur. Ipſa folia, propter virtutes, quas cum malvis habent communes, clyſteribus induntur.

CAP. LXXII.

De Caajandivvap, aliis Caapomonga.

EST Herba ſilveſtris fruticeſcens, Luſitanis idcirco *Viſqueira* & *Erva d'amor* dicta, quod philanthropos quaſi, ſua viſcoſitate manibus & veſtibus adhæreat. In locis confragroſis & ari-




dis luxuriat. Flore eſt albo & dilute rubro, & exiguo, ſed pulchro: folio ſublongo, & ſature viridi: radice flaveſcente, ſubdulci, aromatica, in ſecundo gradu calida. Quam præſens antidotum ſemper habuerunt Incolæ, ſi in conveniente liquore præparatum hauriatur, quod vomitu partim, partim mictu quodcunque venenum tuto ejicere credatur.

Eadem præterea Herba clyſteri indita, alvum cunctantem provocat, & viſcoſitates inteſtinorum prorſus exturbat.

CAP. LXXIII.

De Murucuja, variiſque illius ſpeciebus, & facultatibus.

POſt ſedulam inquiſitionem ad minimum novem ſpecies hujus plantæ repperi. Quarum ſeptem maxime ſilveſtres, inque ſaltibus remotioribus naſcuntur; ut ſunt *Murucuja ſatà, Eté, Mixira, Peroba, Piruna, Ternacuja, Vnà*: ſativis plantis *Murucuja*, non quidem fructu, ſed folio & eximii floris facie & fragrantia ſimiles: excepta unica, quæ ſola habet folia unita grandia, non crenata, aut in plura diviſa, ut *Murucuja-guacu*, hoc eſt, granadilla major hortenſis. Hanc



præter alias adhuc ejuſdem generis plantas, pomiſque longe minoribus vidimus, quarum quædam trifolium, quædam quinquefolium habebant. Flore ex cœruleo purpuraſcente, pomiſque quantum ad externam faciem ſimilibus, cæterum ſapore diſſimillimis, quod nonnulla dulcia, quædam acida erant. Eſculenta tamen omnia & palato non ingrata, licet minus ab Incolis expetita, ob frequentiam & nobilitatem duorum iſtorum in hortis creſcentium, quorum frondes jucundiſſimam umbram præbent, ſi hederæ aut vitium inſtar huc illuc flectantur, funiumque modo flexibiles & ſequaces in fornicis formam ducantur.

Hæc planta cuivis terræ inſita creſcit, totoque anni tempore pulchre vireſcit: felicius tamen ſi vinearum ritu quotannis à luxuriantibus ſarmentis liberetur, ſecus enim ſuffocatur.

Floret toto fere anni tempore, maxime autem ſub finem æſtatis, fructumque menſibus pluviis æque ac æſtivis maturum magna copia producit. Ejus brachia & virgulta, hederæ aut convolvuli in modum vicinas arbores ac tecta conſcendunt. Flores omnes pulchritudine & odoris præſtantia conveniunt, differunt autem ſola magnitudine. Omnes tertia poſt Solis ortum hora aperiuntur, pauloque ante Occaſum denuo clauduntur, ne decora eorum facies nimis proſtituatur. Contrarium fit in floribus Mirabilis Peruvianæ, qui de die clauduntur.

Fructus *Murucuja-guacu* figura eſt rotunda & ad ovalem inclinante, pyrumque Europæum magnitudine excedit. Odore & ſapore eſt aromatico, & tam jucundo, ut nihil ſupra. Semine ſeu acinis ſcatet intus nigris, oblongis, perpetuaque muccagine dulci, tenaci, obſitis. Omnium autem pomorum *Murucuja* præſtantiſſimum eſt illud, quod ab ægris pariter & ſanis expetitum, exacte rotundum eſt, glabrum, læte vireſcens, & maculis albicantibus diſtinctum; maturum vero flavum, cortice craſſo & tenaci, quo pulpam illam croceam & illuſtrem, gratoque & vinoſo acore jucundam, continet. Quo magis miror aliquos

(inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

(inter quos Monardus eſt) ſcribere pomum hoc eſſe inſipidum. Niſi forte de Peruviana granadilla ſint locuti, cujus meminit Petrus de Cieca in Hiſtoria Peruviana, quam colore & ſapore ab hac noſtra differre facile crediderim. Ad Medicam illius hiſtoriam tranſeo.

Pulpa quæ ſummo febricitantium ſolatio & oblectamento eſt, mihi in quotidiano uſu eſſe conſuevit, vicemque ſyrupi cordialis ut & Rob Ribium vel Berberis egregie ſupplet. Qualitate refrigerandi cæteras Granadillas omnes antecellit, nullamque noxam, etiamſi abunde comedatur, adfert: niſi quod immoderato ejus uſu dentes ſtupore obtorpeſcant. Æſtu laborantes mirifice refocillat ſitimque exſtinguit. Ad hæc appetitum excitat, ſtomachi ardores reprimit, ſpirituſque vitales, cum recens pomum, tum ſuccus ejus in ſyrupi conſiſtentiam coactus, & ex poſca propinatus, reſtaurat. Idem præſtant flores & pomi cortices conditi, qui vix ulli fructui dignitate concedunt. Folia loco hederæ cauteriis applicata, multum proſunt, uſumque quotidianum ſubminiſtrant.

CAP. LXXIV.

De Murucuja-miri; ejuſque qualitatibus.

EX ſimilitudine quam habet cum ſilveſtri *Murucuja* ſive Granadilla, minoris nomen huic Climaci indiderunt Braſiliani. Folio enim & creſcendi modo vix differt ab ea, niſi quod minus alte arbores conſcendat, foliiſque ſit multo minoribus; viribus denique & facultatibus diſſimillima exiſtat. Quippe uſque adeo inſignis habetur efficaciæ hæc Planta (licet paucioribus Incolis nota) ut non ſolum æmuletur Carcaparillam officinarum, ſed eam facile



ſuperet, deobſtruendo, & ſudores atque urinas movendo. Integra enim Herba, quæ pauci eſt ſaporis, modo leviter attrita, & ex vino, vel ex aqua exhibita, tuto, cito & jucunde ſecundinas & cæteras uteri immundicias expellit. Mox robur viſceribus reſtituit: quod cum ab exercitatiſſimis rei Botanicæ Braſilianis, juxta Flumen S^{cti} Franciſci habitantibus, accepiſſem, qui nullum remedium, huic *Murucuja-miri* in obſtructionibus & frigiditatibus præferrent; illud tandem à Luſitanis & Batavis noſtris colonis imitandum volui, qui proſpero ſucceſſu etiam nunc id in uſus quotidianos applicant.

Folia denique contuſa, ferventique aquæ, donec tepeſcat, indita, atque podici aliquoties applicata, præſentiſſimum præbent remedium contra hæmorrhoides.

CAP. LXXV.

De Quiya, ſive Pimenta da Terra.

CIrciter decem diverſæ ſpecies Piperis domeſtici ſive Capſici Braſilienſis reperiuntur: quarum pleræque à Dodonæo aliiſque exoticorum auctoribus traditæ ſunt. Summa diligentia ob uſum & elegantiam paſſim in Hortis Braſiliæ non ſolum, ſed Hiſpaniæ quoque excultæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Fruteſcentes ſunt omnes atque inſigni fructuum pulcritudine inter ſe certant. Cæterum licet virium gradu differant, fere omnes tamen ſunt acres atque inſignis efficaciæ, & imprimis *Quiyagui*, Luſitanis *Malagueta*, *Quiya-apua* ſive *Pimenta rodonda*, *Quiya-cumaci* & *Quiya-carapo*. Excipitur tantum unica quæ *Pimenta dolce* appellatur, & ſive cruda, ſive condita menſæ delitiis infertur ſine ullo calore moleſto. Flores omnium ſunt candidi, fructus ſanguinei coloris, ſemine ſunt ex flavo albicante & ferventis caloris, foliis ocymi ſimilibus, læte virentibus.

Indigenæ, Luſitani, & noſtrates hæc piperis genera omnia, Orientali piperi longe præferre ſolent, eaque, tum recentia, tum exſiccata, conciſa, cibo, imprimis piſcibus optimum ſaporem conciliant, & ſanitati conducunt. In multiplicem uſum præterea à Medicis juxta ac vulgo arefacta reſervantur, nec faciliores deponunt, ſed potius ſumunt ad ſiccitatis & caliditatis ſupremos gradus. Integrum piper recens (quod minoris eſt ſortis) deglutitum, ſummopere valet ad diſcutiendos Stomachi flatus, languidamque concoctionem, corroborat denique viſcera à frigore obſita. Tutius autem & jucundius hæc præſtat, ſi rite præparatum ciborum obſonia ingrediatur, quod fit aceto, cui integrum piper immerſum fuerit: tum quoque ſi in pulverem redigatur cum modico ſalis Braſilienſis. Recens enim tuſſim validam proritat, corpus turbat, atque pectus maxime infeſtat, ſi carbonibus impoſitum, ejus fumus excipiatur ore vel naribus. Omnium horum fruticum folia & radices prima balneorum calidorum ſunt ingredientia.

CAP. LXXVI.

De Aguara-quiya, ejuſque facultatibus.

NIhil tutius, nihil præſtantius adverſus vitium illud ani endemium exiſtit hac planta, unde *Erva do Bicho* nonnullis, aliis *Erva mora* vel *Pimenta de Gallinha* quoque appellatur.



Sponte in agris & deviis naſcitur, atque in arentibus locis maxime luxuriat.

Perpetuo viret, folio eſt mucronato, floſculo exiguo & albicante, quo excuſſo, baccæ ſuccedunt

cedunt nigræ, exiguæ & eleganter copulatæ; quæ ubi maturuerunt, nigrum colorem induunt; ita ut non tantum facie externa Solanum æmulentur, ſed & virtute & efficacia illi ſimillimæ exiſtant.

Vulneribus tibiarum, rimis papillarum mulierum folia cum optimo ſucceſſu apponuntur, omni denique excedenti calori atque inflammationi proſunt, ardoreſque nimios exſtinguunt.

CAP. LXXVII.

De Aguaraciunha-acu, ſive Fedagoſo, ejuſque qualitatibus.

FRuticeſcens & ornatiſſima planta, in arenoſis potiſſimum locis luxurians, à noſtris ac Barbaris in uſum quotidianum recepta.



Foliis eſt craſſis *Nepetæ* ſimilibus, palmæ magnitudinis, rugoſis, & ad tactum pluſquam *Vrticæ* aſperis. Ex quibus exſurgit caulis, granulis perpetuis, eiſque viridibus coopertus more *Plantaginis*, niſi quod ſummitas illius caudæ Scorpionis inſtar incurvetur, quæ finitur floſculo albicante & parvo.

Inter abſtergentes & mundificantes numeratur hæc planta, contra vulnera & ulcera, quod ſimul conſolidandi qualitate polleat; tum & contra cutaneos affectus ex aduſtione natos feliciter adhibetur, ſive ſimplex, ſive compoſita.

CAP. LXXVIII.

De ſecunda Cuapomonga, ejuſque qualitatibus.

EX radice dulci, oblonga, tenui, lenta & recta, & paucis fibris veſtita, tres vel quatuor progerminant caules, partim humi repentes, partim ſurrecti, rotundi, nodoſi, virides, atque ex parte ruſeſcentes: è quorum nodis prodeunt quatuor folia ſibi invicem oppoſita & appoſita habentes, obrotunda, mollia, ſuperne ſaturatè viridia, inferne albicantia: quodlibet autem folium ſuo petiolo inſidet. Summitas vero caulis floſculos habet umbilicatim poſitos, exignos & dilute purpureos.

Celebris utique omnibus pariter Indigenis & Incolis herba, ſponte in locis arenoſis luxurians. Ejus radix tenuium eſt partium, quæ ab illis ex aqua fontana, ſi me audias, ex aqua Pagimirioba Orobi ſpecie, cocta & ſubinde potata, urinam provocat, renibuſque & veſicæ maximopere prodeſt.

CAP. LXXIX.

De Canna Silveſtri, ejuſque uſu.

ARundo quædam hîc naſcitur, quam ex Luſitania olim huc delatam teſtantur. Excolitur jam in hortis, Indigenis prius incognita. Saturè admodum viret, cannæ quidem ſacchareæ altitudinem excedens, cæterum illi quam ſimillima. Radicem habet admodum magnam, dilute flavam, nodoſam, atque radicis Chinæ inſtar ponderoſam.

Ejus ſubſtantia in pulverem redacta, & ex vino pauxilla quantitate exhibita, tam valide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

urinas & menſtrua movere, fœtumque mortuum expellere dicitur, ut quibuſdam vix tutum medicamentum videatur.

Cap. LXXX.
De Baſourinha, ſive Tupeicava, ejuſque viribus.




NIhil vulgarius in triviis undiquaque creſcit quam *Baſoura*, qua Æthiopes dominorum ſuorum ædes verrere ſolent. Alia huic affinis, ſed minor, *Baſourinha* dicta, in longe nobiliores uſus à Medicinæ peritis applicata, Braſilienſibus *Tupeicava* nominatur.

Herba non in ſilvis, ſed apricis campis, in viis & deviis paſſim luxuriat. Vix cubitum alta, tenacibus, tenuiſſimis multis caulibus ornate exſurgit; qui undiquaque plurimis anguſtis & exiguis acuminatis foliis, hinc inde ſibi invicem oppoſitis, veſtiuntur. His inſerti apparent infiniti oculi virides, aciculæ capitis magnitudine, è quibus floſculi dilute albicantes & cærulei erumpunt.

Totius herbæ, præſertim juvenis, decocta, balnea, ſuffimigia, admodum ſunt anodyna, emollientia & attemperantia, ut tot inſignibus *Malvis* in Braſilia luxuriantibus præferri debeant. Nec memini me in Teneſmo, Ani inflammationibus vel doloribus, præſentius adhibuiſſe remedium tam familiare, ſive externe, ut ſupra dictum, admotum, ſive per Clyſteres injectum.

Huic emolliendi qualitate æmulæ ſunt herbæ *Paratura* & *Amongeaba*, cæterum dignitate multum inferiores.

Cap. LXXXI.
De Caaataja, ejuſque qualitatibus.



IN pratis uliginoſis & apricis campis elegans planta *Caaataja* reperitur: unico tenuiſſimo caule vix palmæ altitudine aſſurgit, ſemper læte vireſcens: cujus medietati folia haud multa, & exigua annaſcuntur, rotunda, glabra, tenuiſſima, & ſubinde pro naturæ luſu in extremitate ſtriata. Ex caulis autem ſummitate, ſubtiliſſima filamenta inutilia emergunt.

Radice eſt fibroſa, tenui, parva, ſubamari ſaporis.

Inter nobiliſſimas & vere medicinales aperientes hæc herba merito cenſetur à peritioribus Incolis: à vulgo profano vix cognita, & nondum in uſus applicata: ut-

pote

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

pote cujus manibus vix tuto permittitur tam efficax medicamentum. Quippe illius decoctum vel ſuccus, tum quoque pulvis, ſi exſiccetur, pauca quantitate exhibitus, tam valide menſes movet, ut non impune ab omnibus capiatur. Ego ſuccum recenter expreſſum ad ʒj. circiter, ex convenienti liquore propinatum, menſtrua & urinas, tum quoque excrementa per alvum ſatis vehementer aliquando exturbaſſe, obſervavi.

Cogitet ſedula poſteritas de ulteriori hujus, aliarumque plantarum vero uſu atque abuſu.


CAP. LXXXII.

De variis Caraguata ſpeciebus, earumque qualitatibus.

IMmenſi eſſet laboris omnes & ſingulas elegantum harum ſtirpium differentias notare. Primam itaque & præcipuam *Caraguata-acanga*, ex univerſa illarum familia, deſcribendam







ſuſcepi, quæ fructu eſculento & Medica facultate cõmendatur.

E terris potiſſimum gleboſis provenit, olim ſilveſtris tantum, nunc ob uſum & elegantiam exculta.

Naſcitur foliis in ſpeciem gladii mucronatis, prælongis, utrimque ſerratis, denticuliſque adeo acutis, ut nulla arte tractari, fructuſque, quem intimo gremio occultat, vix impune erui poſſit. Eum Barbari proclamant divenduntque. Figura eſt digitali, cujus longitudinem & craſſitiem adæquat; colore tam intus quam extus albo, & ad flavum inclinante; ſemine totundo & nigricante: Carne ſpongioſa, multoque ſucco turgida, quæ palato acidulo ſapore apprime applaudit. Cavendum tamen ne affluentius utaris, quod dentium ſtuporem non ſolum inducat, ſed & linguam atque fauces ſauciet, palatumque excoriet, ut non immerito **Sliſptonge** à nautica pube nominetur. Succus Cochlearis menſura, addito pauxillo Sacchari infantibus

exhi-

exhibitus eos vermibus & oris Scorbuto liberat. Adhæc febricitantibus prodeſt. Menſtrua & urinas ſtrenue, imo plus juſto, ſi non decenti doſi propinetur, provocat. A prægnantibus manducatus fœtum ejicit. Cujus rei non ignaræ meretrices, ut viris tuto ſe proſtituant ſceleratam infanticidiam exercent.

Optimum vinum ex eodem plantæ fructu exprimitur, & uſui reſervatur.

Hactenus de *Caraguata* maxime familiari; ſed nec illa in totum prætereunda, quæ *Caraguata-guacu*, ſive magna, appellatur. Pulcherrima ſane & rariſſima viſu planta, foliis prælongis acuminatis, craſſis & compactilibus, quæ ab ipſo fundo ultra decem aut duodecim pedum altitudinem expanduntur. Elegantiſſimum & eximiæ proceritatis producit ſcapum, levem atque intus ſpongioſum, qui maturus in ſummitate multo flore flaveſcente decoratur, mox ſiccatus retibus ſeu lectis penſilibus portandis eſt aptiſſimus, ut videre eſt in Horto publico Lugd. Batavor. Ignem quoque ex attritu multo & colliſione duorum lignorum eliciunt peregrinantes. Folia ultra trium digitorum latitudinem craſſa, ſtuppam quandam & filoſam materiam ſubminiſtrant, è qua fila & retia ſua piſcatores contexunt. Eadem puncta & vulnerata vel leviter, ſuccum tenacem & pinguem exſudant, & ſmegmatis defectum ſupplent.

Aliæ denique dantur *Caraguata* ſpecies, quæ ſaxis horridis ex alto adhærere conſpiciuntur; atque viſci in morem arborum ramis & truncis innaſcuntur. Fructu purpurei coloris inſignes ſunt, cæterum figura *Cinaræ* ſimili, *Ananas* ſilveſtres diceres: ſemine numeroſo in caule tenui & recto turgent. Folia ferunt denticulata, ampla & *Dipſaci* inſtar incurvata, quæ aliquando medium ſextarium, plus minuſve, aquæ limpidiſſimæ continent, maximo peregrinantium ſolacio, qui per loca deſerta, nulliſque fontibus irrigua iter facientes, ad hanc plantam properant, & ſitim extinguunt. Sicut mihi cum indigenis mediterranea loca perluſtranti non ſemel contigit. Polypodium præſtantiſſimum his plantis ſupernaſci ſolet, omni polypodio ad uſus Medicos præferendum.

CAP. LXXXIII.

De Trevo, vel Erva d'amor, ejuſque uſu.



PLantam hanc exiguam quidem ſed eximiam alii *Trevo*, alii *Erva d'amor* nuncupant, quod viſcoſitate quadam digitis adhæreſcat. Ramulis fere deſtituitur, foliaque habet tenui admodum cauli annexa; & minutiſſimas fert ſiliquas ex filamentis pendulas.

Radix illius parva eſt & fibroſa, calida uſque ad ſecundum gradum, quæ ebullitione ex aqua fontana vel alio convenienti liquore præparata, & ægris propinata, facile inter prima remedia, quæ fluxibus ventris ex frigore natis, proſunt, habetur.

CAP. LXXXIV.

De Tapyra pecu, ſive Erva do Figado, ejuſque facultatibus.

DE qualitatibus tam celebris Herbæ plerique Incolæ inter ſe conveniunt, eamque inter frigidas agnoſcunt: verumtamen de nomine diſſentiunt, quod vel ex ſimilitudine, vel ex uſu, improprie hic vel ille ruſticus Luſitanus pro arbitrio imponit: nam quibuſdam *Lingua di Vacca*, aliis *Rabe di rapoſo*, Braſilienſibus appellatur *Tapy rapecu* in omni terræ genere ſponte naſcitur, facie & uſu nulli incognita.

Caule plerumque nititur unico, qui ſupra tibiæ altitudinem aſſurgit; folia fert dentata, mollia, oblonga quidem, ſed anguſta, figura pene pyramidali conſtricta, donec circa ſummitatem caulis, foliis tenuiſſimis & floſculis albicantibus ornate finiatur.

Hæc planta quod abſtergendi, aperiendique ſimul, ac refrigerandi prædita ſit facultate, omnibus contra vulnera & ulcera in pretio uſque adeo habita eſt, ut vulnerariam nominent. Experientiores *Erva do Figado* nuncuparunt, quod præter externa mala, Hepatis quoque interna, deobſtruendo reſtituat, ſi decoctum illius exhibeatur, & apoſematis loco reiteretur. Ita ut Medicis æque ac Chirurgis decantata ſit.

CAP.

CAP. LXXXV.

De Herba Lanuginoſa, ejuſque uſu.

A Paucioribus cognita, & in nuperrima peregrinatione mihi tradita hæc Herba, aſpectu egregia. Quam hactenus vero nomine deſtitutam, primo intuitu *Lanuginoſam* appellare placuit, quod caulem & folia, eaque exigua, pulchra lanugine obducta inveniſſem.



Fructum fert rotundum & viridem: Radicem habet parvam & tenuem, non ingrati ſed ſubamari ſaporis cum quadam adſtrictione.

Contra fluxus ventris à frigore natos, apud quoſdam mediterraneos & remotiores incolas, familiare eſt remedium, mihique admodum commendatum, ſed nondum in uſus adhibitum.

CAP. LXXXVI.

De Vite arbuſtina, ejuſque qualitatibus.

EX ſtercore avium, quæ *Tetyns* Luſitanis dicuntur, ad arbores Aurantiorum depoſito, herba naſcitur voluntaria, quæ vitis arbuſtinæ inſtar, ſed folio *Myrti* majoris ſimili, ipſi arbori maritatur: quam præ nimia luxuria tandem cooperiens, exitium totale illi infert. Sed quantum hæc Zizania Aſſyriæ malo noxia, tantum homini proficua exiſtit. Quippe à radicibus & ramulis contuſis & ex oleo communi frixis, emanat inſigne medicamentum calidum, cujus crebris inunctionibus, ad vices aliquot reiteratis, ventris & pedum inflationes, tam adultorum quam puerorum, ex frigido denatæ, feliciſſime reſtituuntur. Adeo diſcutere & confortare creditur hoc oleum, præſertim vetus, ut nulli remedio cedat, meritoque à longe diſſitis ruſticis tanquam domeſticum reſervetur.



CAP. LXXXVII.

De variis ſpeciebus Mangues, ſive Mangles, & earum qualitatibus.

QUantum à rerum Exoticarum ſcriptoribus didici, per omnes Indias, paludoſa loca, ſalſedine vicini maris imbuta, ab hoc arborum genere, quod *Mangue* vulgo vocant, obſidentur. Cujus quoque meminit Car. Cluſius. Sed cum potius ob rarum & eximium creſcendi modum, quam uſum hactenus tradita fuerint, operæpretium erit penitius naturam illarum introſpexiſſe.

Tres dantur ſpecies *Mangue*: Prima *Cereiba*, quæ *Mangue* eſt alba. Secunda *Cereibuna*, quæ non radices ex ramis in terram agit, nec tam tortuoſo flexu luxuriat.

Folio eſt craſſo, glabro, rotundo, dilute viridi, flore albicante, exiguo fructu & valde amaro, nucis avellanæ magnitudine, quibus à palumbis & cæteris volucribus, defectu melioris alimenti, ingurgitatis, adeo earum caro amareſcit, ut vix eſculenta ſit. Cortice exiſtit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

rubro, ex quo Rhois coriaria, Europæa haud inferior, conficitur, piſcatoribus quoque ad retia tingenda, in quotidiano uſu.

Tertia & poſtrema vera eſt *Mangue Guaparaiba* dicta, cæteris magnitudine & præſtantia longe ſuperior. Æſtivis menſibus fert ſiliquas inutiles, pulpa amara refertas, oblongas duas ſimul copulatas; ejuſque admirandus eſt creſcendi modus. Sicut enim ramos in altum vergentes & pyri inſtar frondeſcentes habet, ita multi ejus rami ἄφυλλοι in radices converti videntur, quod deorſum tendant & ſub terram ſe figant, aliiſque ramis apprehenſis, iis copulentur, ſimulque ſe protrudant, nec minus firmiter cohæreant, quam primarii arboris trunci, ita ut ex multis caudicibus ſimul connexis arbor conflata videatur, egregio ſane ſpectaculo & ſingulari arboris hujus natura.

Radix autem ipſa quæ mollis eſt & humida, fiſſa & toſta, calida puncturæ venenatæ utriuſque piſcis *Niqui*, applicata, ejus dolores ſedat & membrum læſum reſtituit, licet prima fronte dolores exaſperet. Magnum ſane remedium eſt, & à piſcatoribus primo inventum nobiſque traditum.

Cap. LXXXVIII.

De Cururu-ape, ejuſque qualitatibus.

IN tanta vegetabilium multitudine, non mirum eſt, quaſdam hominibus tantum, quaſdam ſolum cæteris animalibus, vel prodeſſe, vel obeſſe. Inter has exiſtunt imprimis *Cururu-ape* & *Guajana-Timbo*. Utraque in Medicinam recepta; utraque piſcibus noxia. Quas proinde potius inter ſalutiferas quam venenatas recenſendas exiſtimo.



Hæc itaque *Cururu-ape* nec facie, nec efficacia vulgaris exiſtit. In vaſtis nemoribus aliis arboribus innititur. Ligno eſt tenaci & flexibili, foliis decoratur oblongis, dentatis, ex ſe invicem, ad ficus fere Indicæ modum, pronaſcentibus. Ita ut non raro, pro naturæ luſu, quinquefolium conficiant, inferius duobus expanſis foliis, ſuperius tribus eminentibus.

Fructus ſeu fabas profert, uvæ figura & magnitudine, exterius læte rubentes, interius candida pulpa refertas, ſub qua nucleus niger pulchre emicat. Hi fructus ad abuſus potius quam uſus recepti ſunt: quippe contuſi, aquas venenata qualitate inficiunt, ita ut piſces inebrientur & moriantur. Folia autem viridia contuſa applicata, eorumque recens ſuccus vulneratis tantum prodeſt, quantum fructus aſſumtus aliis animantibus ſolet obeſſe. Adeo enim qualiacunque vulnera, etiam prima intentione, mundificat & reſtituit, ut merito inter præcipuas vulnerarias hæc Herba numerari mereatur.

Cap. LXXXIX.

De Timbo, ejuſque facultatibus.

PRæter eas quas generali nomine *Cipo* nuncupatas eſſe diximus: variæ & mirabiles dantur Herbæ ἄφυλλοι, *Timbo* vulgo dictæ, & variis uſibus & abuſibus dicatæ; quæ omnes jucundum dant ſpectaculum. Quædam enim inſtar funium, in aëre tenſæ, vix pollicis craſſitiei; ad altiſſimarum arborum faſtigia enituntur, indeque rurſum demiſſæ humi ſe præcipitant; unde denuo continuato & tenaciſſimo ductu inſurgunt in infinitas chordas, ita ut ſilvas vix penetrabiles conficiant. Quædam vero ſunt humani cruris craſſitie, triangularis, quadrangularis, & rotundæ figuræ, arborumque cacumina adæquant, eaſque nunc hederæ in modum amplectuntur, nunc eas rurſus deſerunt, atque in nodoſos gyros & concinnos hinc inde luxuriant, adeo flexibiles & validæ, ut quoquomodo conſtringas, numquam rumpantur. His *Timbo-guacu* à magnitudine; illis *Timbo de Cono* à vulgo nomen inditum, quod vietoribus ad vaſa liganda, contuſa coriariis Rhois, Naupegis ſtupæ vices præbeat. Piſcatoribus ad retia non ſolum tingenda, & præſervanda inſervit: ſed & ad Piſces capiendos, interiori & exteriori ſubſtantia abutuntur. Quibus ad Fluviorum ripas (ut ipſe multoties vidi) contuſis, aquas atro colore & virulentia quadam inficiunt, unde Piſces non tam moriuntur ſtatim, quam vertiginoſi & quaſi ebrii in retia ſe præcipitant. Male quoque fit pecoribus ſi ex hac aqua bibant. Sequitur *Guaiana-Timbo* nomine & noxia hac qualitate præcedentibus ſimilis, cæterum diſſimillima apparens, quæ ſola in Medicos uſus recepta eſt, & foliis non ſolum non caret, ſicut multæ aliæ *Timbo*, ſed & floribus rubris & ſiliquis decoratur: quarum cortex ſuccum quidem Piſcibus quoque infeſtum, ſed impetigini & puerorum ſcabiei, cæteriſque hujus generis affectibus cutaneis, proficuum continet; ſi probe partes affectæ illo fricentur ſucco.

Cap. XC.

De Paratura, ejuſque qualitatibus.

SIcut *Carex*, Belgis **Helm**/ in Hollandiæ locis arenoſis circa mare; ita fere in ſitientibus & arenoſis littoribus Braſiliæ hæc Herba *Paratura* conſpicitur. Raro ad cruris humani altitudinem aſcendit; caule duro, ligneo, ruffi coloris, foliis multis tenuibus, ſature viridibus, ad tactum aſperrimis, ornate comatim aſſurgentibus.

Radix eſt tenuis, aromatici odoris; quæ ſuffumigiis, balneis, in ani & inteſtinorum affectibus, indita, non ſolum emolliendi, ſed & roborandi facultate pollet, atque in pretio à Luſitanis habetur.

Cap. XCI.

De Ibirarema, ſive Pao d'Albo, ejuſque facultatibus; & Tipi.


ALiquot plantæ, in vaſtis Braſiliæ nemoribus reperiuntur, quæ uſque adeo *Allii* qualitates æmulantur, ut vel leviſſime attactæ graviſſimo odore ſilvas & ædes integras inficiant, atque ſimul capiti & naribus obſint. Duæ diverſæ potiſſimum mihi innotuerunt, quarum prior *Ibirarema* Braſilienſibus, *Pao* vel *Cipo d' Alho* Luſitanis nominatur. Illi enim ſub nomine *Cipo* complectuntur omnes illas mirabiles herbas in ſilvis luxuriantes, quæ altiſſimarum arborum cacumina adæquantes, eas flexuoſo & tenaci ductu amplectuntur.

Poſterior frutex eſt arboreſcens; in ſilvis, tum quoque Olindæ promontorio reperitur *Tipi* nomine. Utriuſque facultates conveniunt & iiſdem uſibus inſerviunt. Barbari ad duo potiſſimum mala applicant. Cortices admixta aqua contundunt, indeque viſcidum muccum, ſive ſmegma vi eliciunt, quo nunc puerorum integra corpora, quæ febribus lentis & obſtructionibus illis diuturnis è frigore natis, obnoxia ſunt: nunc adultorum membra vagis articulorum doloribus infectata inungunt & fricant cum felici ſucceſſu. Ego ob ingentem harum arborum calorem & efficaciam, poſteriorem hanc potius curationem, quam illam priorem in pueros exercere malui. Multi enim adulti à frigidis illis muſculorum, nervorum & tendinum affectibus internis & externis (*Curimentos* generali nomine appellant Luſitani) crebra & forti hujus muccilaginis inunctione reſtitui ſolent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XCII.

De Aninga Peri, ejuſque facultatibus.



A*Ninga Peri* Braſilienſibus dicta eſt planta fruticeſcens, quæ paſſim in ſilvis Braſiliæ naſcitur, flore exiguo albicante, cui paucæ uvulæ è cœruleo nigricantes, Sambuci baccis ſimiles, ſuccedunt. Foliis decoratur lanuginoſis, ovalis figuræ, triſte viridibus quidem, ſed aſpectu pulcherrimis; ad tactum inſtar urticæ mortuæ, mollibus & veluti lanuginoſis, quæque nervis multis & craſſis diſtinguuntur.

Folia recenter contuſa vel in pulverem redacta, recentibus & inveteratis ulceribus medentur prima intentione, ſi profunde illorum ſuccus aut pulvis iis immittatur.

CAP. XCIII.

De Meeru, ſive Canna Indica.

INter eas plantas quæ in Europæ regionibus calidioribus ex Indiis tranſlatæ vigent, hæc ornatiſſima quoque datur, quam *Cannam* Americanam non immerito appellarunt, quod ejus Stolones *Cannarum*, ſive arundinum modo firmi, nodoſi extus & ſpongioſi intus, recta in octo vel novem pedum altitudinem exſurgant. Prima illarum occurrit illa quæ *Meeru* Braſilianis dicta: cujus caulem viridem folia ſolitarie poſita ambiunt, duos fere pedes longa. Caulis ſuperius in alios ramulos dividitur, aurei coloris flores inodoros producentes, quibus capſula ſive fructus echinatus, primum viridis, mox nigreſcens, ubi maturuerit, ſuccedit, in quo per cellulas diviſa ſunt multa ſeminis grana, nigra, levia, magnitudine & duritie piſis ſimillima, albaq; ſubſtantia quadam repleta.



Radix mirum in modum eſt craſſa, tuberoſa, longa, ſucculenta, ſplendens, & inſtar Cepæ ſquammis ruffis prædita. Hujus plantæ vel *Cannæ* Indicæ ulteriorem Deſcriptionẽ apud Cluſium Lib. 4. Cap. 54. tum quoque apud noſtrum Marcg. videre eſt. Ego enim ejus foliorum dignitates experientia comprobatas exhibere ſatago, quæ ad ſecundum gradum refrigerantia, tum & abſtergentia contra multa mala cutanea calida externa atque interna applicantur. Hypochondrio denique dextro contra Hepatis calores cum oleo Aningæ & Nymphææ Braſilicæ impoſita, curationem abſolvunt feliciter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XCIV.

De Albara, aliis Pacivira, ejuſque facultatibus.

IIſdem locis ſilveſtribus atque triviis umbroſis luxuriat alia quædam planta aſpectu pulchra, ſtolonis & radicis firmitate atque pondere *Cannam* quoq; Indicam; ſed ſummitate ſua *Lilium* Americanum ſilveſtre æmulans: foliis quoque licet prælongis, anguſtioribus tamen eſt & ex imo caulis erumpentibus. Flore denique (licet æque flavo & inodoro ſicut *Canna* Indica) majore & cochleariformi, nunc incurvato, nunc in poſtica parte inſtar cuſpidis extenſo. Semine eſt nigro, & radice bulboſa, ſicut *Meeru*, prædita.



Folia vulneribus & ulceribus utiliter adhibentur, unde *Herba dos feridos* vulgus Luſitanicum nominat. Tuberoſa & ſucculenta ejus radix à Nigritis comeditur & ab omnibus pariter Incolis intenſæ habetur caliditatis, ac proinde Hiſpanis æque ac noſtris Chirurgis Batavis in quotidiano habetur uſu; maxime in Apoſtematis & ulceribus maturandis.

CAP. XCV.

De Tupaipi, aliis Urucatu.

PLanta eſt nobilis, quæ nunc humi, nunc ſuper arbore (ſicut aliæ multæ plantæ) ſine radice luxuriat, interque bulboſas, quod bulbum habeat prægrandem & utilem, facile primum locum meretur. Cujus ſi formam externam, ſi vires ſpectes, ſquillam Europæam diceres, quod illam per omnia referat; ac proinde Braſilienſes Indigenæ à potiori videntur nomen *Tupaipi*, quod bulbum ſignificat, Luſitani *Cebola*, impoſuiſſe. Folia habet numero quinque vel ſex, tribus nervis ſecundum longitudinem prædita, nec florem nec fructum ferentia; ſunt autem cubitum longa, gladiata, inferius deſinentia in bulbum illum prægrandem, qui medullam vireſcentem pinguem & inodorum, ſed ſatis efficacem ſuppeditat. Dolores enim ſedare ex calore natos, perhibent Barbari: Luſitani vero mecum ipſum bulbum in uſum quotidianum ſicut ſquillam Europæam feliciter applicabant.



CAP. XCVI.

De Iuquiri, aliis Caaeo, ſpeciebus, ejuſque facultatibus.

DUas Herbæ caſtæ vel mimoſæ, (ut quidam nuncupant) differentias notavi.

Prior quæ fruticeſcens eſt, in mediocrem altitudinem attollitur, caulibus ſtriatis, quadratis,

viridibus, qui frequentiſſimis ſpinulis flaveſcentibus ſunt muniti. Ad latera per intervalla extenduntur ramuli, duos aut tres digitos longi, itidem ſpinoſi. Quilibet autem in extremitate habet ut plurimum quatuor folia, duo juxta ſe appoſita, ſeſquidigitum circiter longa, inferius albis pilis veſtita, ſuperius lævia & viridia non ſerrata. Ad ſingulos illos ramulos proveniunt tres vel quatuor pediculi breves,&in iis capitulum rotundum, villoſum, album, cui aliquid purpurei admixtum, qui flos eſt. Poſt quos ſequuntur ſiliquulæ in orbem diſpoſitæ, longis pilis albis veſtitæ, in quibus ſemen continetur.



Poſterior, eaque nobilior herbeſcens, vix humo ſe erigit, utraque ſpinis crebrioribus horret; utraque manu contrectata, licet leviſſime, contrahit folia, & ſtatim rurſus explicat. Optima quæ eſt, jucunda viriditate, foliis exiguis, ſed latius expanſis, *Fraxini* inſtar, utrimque congeſtis, flore è pallido purpuraſcente, conſpicitur. Caulem habet adeo tenuem, ut craſſitie filum ſericeum vix ſuperet. Hæc ſpadicei coloris ſiliquis echinatis & oblongis involutum: illa aſperis & rugoſis ſphærulis ejuſdem coloris, ſed puſillum ſemen profert. Ex arenoſo & effæto ſolo, utraque, ut plurimum, naſcitur.

Hanc ſtirpem Orienti cum Occidente eſſe communem à Coſta teſtatur, qui deſcriptionem ejus licet valde imperfectam, nobis reliquit. Nec eſt quod dubitet Cluſius, utrum admota manu marceſcat; toties enim contactu complicari, modicoque intervallo denuo explicari vidimus. Sole quoque cadente ſeneſcere, oriente vero denuo revireſcere, veriſſimum eſt. Sunt qui motum ſpontaneum & ſenſum illi tribuant. Sed quia inſtituti noſtri non eſt nugis refellendis temporis jacturam facere, proferemus ea quæ uſu atque experientia comprobata & à nemine ante prodita ſcimus.

Braſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Braſiliani, ſi cui forte necem moliantur, momentum hujus herbæ in pulverem tritæ, epulis indunt, vitamque eripiunt. Hoc admiratione dignum, quod nullum huic malo remedium aut antidotum à Medicis hucuſque repertum, ipſi radici hujus Plantæ præferendum. Hæc ſiquidem liberalius porrecta, vim veneni retundit. Folia illius venenata, in emplaſtri formam redacta, ſtrumas reſolvunt & curant.



CAP. XCVII.

De Jupicai, ſive Erva d'Empige, ejuſque qualitatibus.

IN paſcuis irriguis paulo ſupra graminis altitudinem exſurgit caulis tenuis, junceus, ex planta gramini ſimillima, ſed concava & ſucco refrigerante referta. Braſilienſes appellant *Iupicai*, Luſitani *Erva d'Empige*. Menſibus pluviis frequentius provenit hic caulis, & non minus ipſo aſpectu, quam uſu eſt gratus: quippe in ſummitate gaudet capitulo exiguo & eleganti.

Ob præclaras virtutes, præcipue ad tollendam impetiginem atque ſimiles cutaneos affectus, ex calore & humorum acrimonia natos, vix ulli eſt incognita planta. Quippe ſolo liquore plantæ recenter contuſæ, pars affecta fortiter fricata, ſummum accipit ſolatium, & pruritus intolerabilis mitigatur & ſedatur, quin ipſa impetigo, ſi non foveatur à multo tetro humore, tollitur.



CAP. XCVIII.

Faiſaons d'Empige, eorumque qualitates, atque uſus.

INter tot Smilaces & Convolvulos, arborum cacumina paſſim conſcendentes, hic ſiliquoſus Convolvulus viſu atque uſu cæteris haud eſt inferior, utpote qui admodum tenax ſinuoſis flexibus, frondoſis, magnis & glabris foliis hinc inde vagatur, & tenuibus phaſeolis & cubitum longis eſt ornatus, qui merito à Luſitanis fabæ Impetiginis, ſive *Faiſaons d'Impige*, vulgo appellantur. Quæ ſiliquæ menſibus pluviis detractæ immaturæ & virides, ſucco turgent præſtantiſſimo, coque frigido & acri, quo ſi fricetur qui Impetigine laborat, non leve ſolamen accipit, imo curabitur, ſi aliquoties reiteretur remedium.

Quando maturuerunt ſiliquæ tempore æſtivo, mox exſiccantur, tuncque non ſolum tunicam externam, ſed & ſuccum atque ſemina, quibus ſcatent, paulatim nigreſcere & aromaticum odorem ſpirare comperies: verum tunc prædicto malo minus aptæ judicantur.

Quo nomine à Braſilienſibus nuncupetur, nondum à me obſervatum: alioquin planta omnibus eſt notiſſima.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XCIX.

De Maſarandiba, ejuſque facultatibus.

ARBOR hæc Ceraſum altitudine non ſolum, ſed & ligno, foliis fructibuſque æmulatur, eique, ſi è longinquo conſpiciatur, ſimillima apparet. Olim ſilveſtris & in montoſis potiſſimum locis naſcens, nunc in hortis Luſitanorum quoque excolitur. Floret menſibus hybernis, moxque fert fructus infinitos, ceraſi quidem Europæi magnitudine & figura, cæterum multum diſſimiles; quod pellicula veſtiantur tenaci, craſſa, prius rubeſcente, ſed ubi maturuerint, miniati & triſtis coloris: præter duriorem quem continent lapidem, lacteo turgent liquore dulciſſimo, eoque non ingrato, ac proinde ab omnibus pariter incolis inter epulas expetito. Quia temperate calidus eſt hic ſuccus, & nutriendi facultate pollet, expreſſus emulſionis inſtar exhibetur; tum imprimis contra frigidiores pectoris affectus vel ſolus vel aliis remediis pectoralibus admixtus: guttur denique & aſperam arteriam male affectam, maximopere mulcere compertum eſt.



CAP. C.

De Amongeaba, ejuſque facultatibus.

AMONGEABA herba quæ graminis videtur ſpecies, in arenoſis locis ſponte luxuriat, & ultra tibiæ altitudinem aſſurgit, unico caule eoque duriore & fere lignoſo, foliis oblongis Gladioli in modum naſcentibus.

In ſummitate capitulo aſpero inſtar ariſtæ Panici ſilveſtris decoratur.

Facies hujus plantæ mihi diutius nota quam uſus; quippe ab illis Incolis tantum mihi traditus, quibus Malvæ & Baſourhinæ copia deeſt, quod earum emollientium herbarum vices ſuppleat, & eodem modo præparata & externe adhibita uſus eoſdem præſtet: imprimis autem fomentis & lavacris ex illa confectis anum ex Teneſmo afflictam demulceat, magnumque illi ſolatium adferat.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. CI.

De Ibipitanga, ſive Ceraſo Braſiliana, ejuſque qualitatibus.

IBIPITANGA, vel *Ubipitanga*, olim ſilveſtris tantum, ſed nunc ob uſum in hortis Luſitanorum & Batavorum quoque exculta, merito inter Ceraſos vel Prunos ob florum & fructuum ſimilitudinem, referenda eſt: niſi quod truncus contortus in varios ramos hinc inde diſpergatur. Foliis eſt ſaturate viridibus, ad quorum exortum flores albi quatuor foliolis conſtantes prodeunt. Unde fructus rotundus inſtar baccæ mori primo miniatus, mox lætius paulo rubeſcens & octoties profunde ſtriatus, emanat; menſibuſque pluviis potiſſimum matureſcit. Umbelico ex minimis foliolis congeſto eſt prædictus. Cuticula eſt tenui pulpa rubra admodumque ſucculenta, ſaporis calidi & ſubamari, cumque grato acore aſtringentis. Lapis qui continetur unicus, nucleum calidum & amarum habet. Fructus autem hi celebres, ſecundæ menſæ deliciæ non ſolum ſunt, ſed & ægris prodeſſe ſolent: ventriculum enim languidum mire reficiunt, flatus diſcutiunt, nauſeam ſtomachi reprimunt. Pectori denique, ſi cum pauco ſacchari exhibeantur, ſolamen adferunt.



CAP. CII.

De Janiparandiba.



DE vulgari hac arbore in triviis notiſſima ne actum agerem, pauca addenda habeo, præter ea quæ à *Georg. Marcgravio* Fol. 109. ſunt dicta. Ramorum hujus arboris paucitatem, foliorum frequentia compenſat, quibus ſolis vis medicatrix, quantum hactenus conſtitit, inſita eſt: nam flore licet inſigni, pulcherrimo, ſuaviſſimique odoris, tum fructibus egregie copulatis pomi magnitudine, quibus nuclei ſplendentes inhærent, ornetur: nihil tamen Culinæ vel Pharmacopææ uſui ſunt. Folia autem hæc inordinate ramis ipſis annata, oblonga pedem ultra, nervo ſecundum longitudinem, multiſq; coſtis ſecundum latitudinem conſpicuis, vel integra, vel contuſa, hepatiſque regioni applicata aliquandiu, durities & obſtructiones hypochondrii reſtituunt: eiſdemque malis, ſi rite ex arte præparentur, atque in Apoſemate exhibeantur, conducunt: ac proinde numero aperientium aſcribenda ſunt.

CAP. CIII.

De Globulo bovino, illiuſq; uſu.

VAriæ magnitudinis poma rotunda, in boum ventriculis reperta, laniones ad me deferre ſolebant. Quæ penitius examinans interius ex meris pilis bovinis arctiſſime compactis conſtare comperi, & exterius glabra, nigra & dura pelle tegi. Unde crediderim boves ſibimet, pruriente cute, dentibus pilos evellere, qui cum ab omaſo digeri nequeant, in maſſam coguntur rotundam, quæ poſtea in pilæ majoris magnitudinem

excreſcit, unde anheloſi & quaſi aſthmatici diu incedunt: (ſicut capreæ quibus lapis Bezoar innaſcitur) quod animadvertentes ruſtici, ne totius animalis jacturam patiantur, eos mactant. Ita ut hujus pomi conſtructio ſit animalis deſtructio.

Barbari raſuram piloſam internè exhibent contra pertinaces alvi fluxus ſanguineos. Externè emplaſtra, ſicut è pilis leporinis fieri ſolet, contra hæmorrhagias cum felici ſucceſſu applicant. Ego hoc externum, quam illud internum remedium imitari malui.

CAP. CIV.

De Corallio abo Braſiliæ.

IN quibuſdam Paranambuci locis juxta rupem illam *Reciffo* vulgo dictam, quando maris receſſibus littus minus immerſum eſt, infinitæ lapideæ excreſcentiæ, nunc arbuſcularum, nunc Braſſicæ ciprinæ inſtar factæ, in ipſo fundo, cœlo ſereno conſpiciuntur. Quæ pro diverſitate vel algæ, vel fungorum, plantarumque maritimarum (quibus Cryſtalli more paulatim ſingulis acceſſibus aqua ſalſa vi Solis agglutinatur) vario & miro naturæ luſu creſcunt, atque è fundo erutæ, mox duriſſimæ, ſi inſolentur in littore ſicco, niveique coloris fiunt. A Magnatibus in Hiſpania & Belgio admodum expetuntur, ut ædes & ſubterraneas cavernas illis exornent. Maris accolæ & piſcatores in uſum Medicum potius hoc Coralli genus adhibent, & raſuram ejus contra fluxus ventris & ruentes humores exhibent indiſcreta quantitate. Quamobrem ſi ex arte, ſicut officinarum Corallum, præparetur, iiſdem uſibus eſt dicatum, nec dignitate multum illi cedit.

NE actum agerem circa eas plantas, quæ in hoc Americæ tractu ab Europæis nec facie nec efficacia differunt, ſed cum aliis mundi partibus communes exiſtunt, atque ab authoribus ſatis ſuperque ſunt deſcriptæ: finem operi ſum impoſiturus, ſi prius leviori penicillo & una fidelia earum quaſdam uſuales & notiſſimas attigerim, atque in Syllabum coëgerim, ut ſunt Mentaſtrum, Acetoſa, Aloë, Lilium, Sonchus lævis, Cucumer Aſininus, Alkekengi, quæ omnes ſilveſtres ſunt & qualitate Europæis ſimiles, gradu tamen illis cedunt. Acorus, Malua, Althæa, Titimallus, Centaurea minor, Filix, Portulaca, Polypodium (fructui Caraguata ſupercreſcens) Vrtica, Serpentaria, Liquiritia, Salvia Silveſtris; pares gradus quaſi efficaciæ cum iis obtinent: Soldanella autem, Perſicaria, Tamarindis, Blitum, Solanum, Ocynium ſilveſtre, Nymphea, Artemiſia, Cucurbita dulcis & amara, & alia Europæis dignitate facile ſuperant.

FINIS.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A.

ABaremo temo arbor. 77
Acaja arbor. 68
Acaiu arbor, & illius fructus. 57
Acaricobæ herbæ qualitates. 90
Africæ fluctuum viciſſitudo. 3
Aguape Nymphea ſpecies. 91
Aguaracuinha-acu herba. 109
Aguaraquiya herba. 108
Aguaxima herba. 104
Ahoay fructus venenatus. 49
Albara planta. 117
Amenduinæ radices. 93
Ambaiba arbor. 72
Ambua centipes hirſutus. 44
Amongeaba herba. 120
Ananas ejuſque qualitates. 87
Anda arbor. 72
Andira Ibaiariba arbor. 81
Angelin arbor. 81
Anhuiba arbores. 98
Aninga frutex, 103. oleum. 104
Aninga peri herba. 116
Antæ quadrupedes. 10
Aquarum diſcrimen & uſus. 11, 12
Arabo ſerpens. 42
Aracaiba arbor. 74
Araticu pana. 48
Arbores haud altas radices agunt in Braſilia. 5
Aroeira arbor. 64
Atiæ ſpecies. 69
Aurantiorum creber uſus ſalubris. 10

B.

BAcoba & Banana arbor. 75
Balſamum Cabureiba. 57
Banana arbor. 76
Baſourinha herba. 110
Batata de purga Luſitanis. 93
Batatæ radices. ibid.
Betigas Luſitanis. 34
Betys, ſive Betre. 88
Bibora ſerpens. 43
Bicho morbus Luſitanis, 27, 32. vermiculus. 38
Boicininінga ſerpens. 41
Boiguacu ſerpens. ibid.
Boiobi ſerpens. 43
Boitiapo ſerpens. 42
Braſiliæ aëris temperies, 1. ſitus, ibid. anni tempeſtates, 2. ſerenitas, 3. æquoris facies, ibid. æſtus, 4. ejus Præfecturæ, ibid. Soli facies, ibid. nemora & ſylvæ, 5. ſalubritas & incolarum longævitas, 6. Medicina, 7. Incolarum diverſitas, 8. animantia, 10. obſonium, 11. potus uſitatiſſimus, 11. morbi, 12. prognoſtica, 14. Endemii morbi, 15. & ſeqq.

C.

CAapiæ herbæ qualitates. 90
Caaataya herba. 110
Caacica herba. 102
Caaeo ſpecies. 117
Caajanduvan herba. 105
Caapebæ herbæ qualitates, 94
Caapomonga herba. 105
Caaroba arbor. 70
Cabureiba arbor, 57. balſamum. ibid.
Cacaboya ſerpens. 43
Caiatia herba. 102
Camara juba herba. 86
Cambui myrtus ſilveſtris. 82
Caninana ſerpens. 43
Canna Indica. 116
Canna ſilveſtris, ejuſque uſus. 109
Cannarum Sacchari cultura. 50
Caopia arbor. 60
Capiipuba herba. 102
Caraguatæ variæ ſpecies. 111
Cara radix. 93
Caranaiba arbor. 62
Caſcavel ſerpens. 41
Catharri in Braſilia. 21
Cebipira guacu arbor. 78
Ceraſus Braſiliana. 121
Chabecos morbus Luſitanis. 60
Chalybis uſus laudatus. 25
Chinæ radicis ſpecies. 99
Cholera morbus. 29
Cipo de Cobras Luſitanis. 44
Cobre de Cipo ſerpens. 42
Cobre de Veado ſerpens. 41
Cobre de Corais ſerpens. 42
Cobre Verde ſerpens. 43
Cocoeiro palma. 62
Copaiba arbor, 56. oleum. 57
Copuerucu inſectum. 38
Corallium album Braſil. 122
Cotora rana. 46
Crocodylus. 43
Cuapomonga ſecunda herba. 109
Cucuraciu ſerpens. 42
Cucurucu ſerpens. 41
Cupouna arbor. 83
Curimentos Luſitanis. 21
Cururu-ape herba. 114
Cururu bufo. 46

D.

DIæta Medicorum Braſilienſ. 17
Dzupploop Belgis. 28
Dyſenteria morbus. 30

E.

EIrirucu apes grandiores. 56
Eiruba Braſilienſibus apes, 55. earum ſpecies. 56
Eixu apes minores. ibid.
Embira arbor. 71
Empige Luſitanis. 37
Erva d'Amor Luſitanis. 105, 112
Erva do Capitaon Luſitanis. 90
Erva do Rato Luſitanis. 92
Erva de noſſa Senhora Luſitanis. 94
Erva dos Cobres Luſitanis. 102
Erva do Bicho Luſitanis. 108
Erva do Figado Luſitanis. 112
Erva dos Feridos Luſitanis. 117
Erva d'Empige Luſitanis. 119

F.

FAiſaons d'Empige Luſitan. 119
Febres continuæ in Braſilia, 15. quotidianæ rariſſimæ. 16
Fedagoſo herba. 109
Figuero d'inferno herba. 91
Fœminæ Braſiliæ fæcundæ. 7
Fluxus ventris. 27
Fulgura crebra in Braſilia. 3
Fungi Braſilienſes. 47

G.

GArapæ abuſus. 25
Getycoroya arbor. 66
Globulus bovinus. 121
Gonorrhæa. 35
Guabi pocaiba arbor. 80
Guajaba arbor. 75
Guaparaiba mange ſpecies. 114
Guaiana-timbo. 115
Guabiraba arbor. 73
Guetys arbores. 66
Gummi Ietaibæ. 60

H.

HEpaticus alvi fluxus. 31
Herba caſta, ſive Mimoſa. 48
Herba lanuginoſa, ejuſque uſus. 113
Hydropis conſideratio. 26

I.

IAborandi herb. qualitates. 97
Iacape gramen junceum. 96
Iacuacanga qualitates. 98
Iamacaru planta. 99
Ianipaba arbor. 67
Ianiparandiba arbor. 121
Iaracatia arbor. 100
Iararaca ſerpens. 42
Iava ab intermittentibus febribus immunis. 15
Ibaraee arbor. 71
Ibipitanga arbor. 121
Ibirarema herba. 115
Ibiboboca ſerpens. 42
Ibijara ſerpens. ibid.
Ibiracoa ſerpens. 43
Icicariba arbor. 59
Icica reſina. ibid.
Ietaiba arbor. 60
Ijboja ſerpens. 41
Iira Braſilienſibus mel ſilveſtre. 55
Iiticucu radix. 93
Iito arbor. 79
Inflammatio ani. 31

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Inhame radices. 93
Inimboja herba. 95
Ipecacuanha, ejuſque facultates. 101
Iupicay planta. 119
Iupicanga Chinæ ſpecies. 99
Iuqueri Planta. 117
Iurepeba utraque. 84
Iuricuaræ herbæ facultates. 102

K.

KLem *Belgis ſpaſmi ſpecies.* 19

L.

L*Amiæ piſcis jecur.* 19
Loco arbor. 82
Lumbrici ventris. 27

M.

M*Achinæ Mandihocæ Icon.* 51
Machinæ Sacchari Icon. 50
Malua d'Iſco *herba Luſitanis.* 104
Mamanga frutex. 84
Mandihocæ hiſtoria. 52
Mandihoca ſilveſtris. 55
Mangues arboris variæ ſpecies. 113
Manaca frutex. 183
Mangaiba arbor. 76
Mangara peuna herba. 95
Mangara brava herba. ibid.
Manipuera ſuccus Mandiocæ. 48
Maribunda *Luſitanis inſectum.* 38
Marigue inſectum. ibid.
Maſarandiba arbor. 120
Mechuacan radix. 93
Meeru herba. 116
Mellis ſilveſtris conſideratio. 55
Morbi contagioſi in Braſilia. 34
Morborum origo in Braſilia. 8
Moſcites *Luſitanis.* 38
Moucicu excrementum maris. 44
Mucuna guacu faba. 48
Muliebres morbi in Braſilia. 32
Munbuca apes flavæ. 56
Mureci arbor. 79
Munduyguacu pinhones do Braſil. 83
Murucuja variæ ſpecies. 106
Murucuja-miri. 107
Myrtus ſilveſtris. 82

N.

N*Arinari piſcis.* 44
Nhambi herbæ qualitates. 89
Nhambu-guacu herba. 91
Nhandi piper longum. 96
Nhanduguacu araneus. 44
Niqui piſcis venenatus. 45

O.

O*Bſtructio viſcerum naturalium.* 23
Oculorum vitia in Braſilia. 18
Oppilatio Hepatis & Lienis. 24

P.

P*Acivira planta.* 117
Paco caatinga. 98
Pagimirioba herba. 86
Palmarum differentiæ. 61
Pao d'Alho *Luſitanis.* 115
Pao molle *Luſitanis.* 80
Pao podre *Luſitanis.* 35
Papulæ in Braſilia. 37
Paranambuco etymon. 49
Paratura herba. 115
Pe de Galinha *herba Luſitanis.* 102
Pimenta da terra *Luſitanis.* 107
Pindaiba arbor. 71
Pindova arbor. 61,62
Pinhones do Braſil. 83
Piper longum Braſil. 96
Piſces venenati. 44
Pluvialis temporis in Braſilia initium. 2
Pluviarum guttæ magnæ in Braſilia. 3
Potincoba planta. 101
Prolapſus cartilaginis mucronatæ. 22
Pucho *teneſmus Luſitanis.* 28
Pulgera *herba Luſitanis.* 101
Purgandi methodus in Braſilia. 17

Q.

Q*Viya piper Braſil.* 107

R.

R*Eciffo Braſiliæ.* 3
Remedia contra oculorum vitia. 19. *contra ſpaſmum,* 20. *contra ſtuporem,* 21. *contra Catharros,* 22. *contra prolapſum cartilaginis mucronatæ,* 23. *contra obſtructiones viſcerum,* 24. *contra oppilationem Hepatis & Lienis,* 25. *contra Hydropem,* 26. *contra Lumbricos,* 27. *contra fluxus ventris,* 28. *contra Teneſmum,* 29. *contra Choleram,* 29. *contra Dyſenteriam,* 30. *contra fluxum alvi hepaticum,* 31. *contra inflammationem ani,* 32. *contra morbos mulieribus familiares,* 33. *contra Luem Veneream,* 35. *contra Gonorrhæam.* ibid.

S.

S*Acar Arabicum.* 49
Salſa de Praya *Luſitanis.* 103
Sanguinis eductiones in Braſilia. 16
Sape gramen junceum. 96
Sarcaſo Hiſpanis. 3
Saſſafras Braſil. 98
Scantamento *Luſitanis.* 35
Scarificationes variæ. 16
Scolopendra venenata. 44
Scorbuti curatio. 24
Seren *Luſitanis aura veſpertina.* 9
Silva de praya *Luſitanis.* 95
Spaſmus in Braſilia. 19
Stupor morbus Braſiliæ. 20
Subſolanus Braſiliæ familiaris. 1

T.

T*Ajaobæ ſpecies.* 95
Tangaracæ ſpecies omnes lethales, 47. *earum deſcriptio & qualitates.* 92
Tangedor *Hiſpanis ſerpens.* 41
Tapia arbor. 68
Tapyracoana arbor. 80
Tapyrapecu herba. 112
Tareyboia ſerpens. 43
Teneſmus morbus. 28
Timbo herbæ. 115
Tipi frutex. ibid.
Τελσμὸς *Græcis.* 19
Tunga inſectum. 38
Tupaipi bulboſæ plantæ. 117
Tupiecana herba. 110
Tupuraiba arboris flos. 56

V.

V*Mbu arbor.* 77
Venena à Barbaris excogitata. 40
Venenata animantia Braſiliæ. ibid.
Viſqueira *herba Luſitanis.* 105
Vitis arbuſtinæ qualitates. 113
Vlcerum curatio. 36
Vrape guacu arbor. 79
Vrucatu planta. 117
Vrucu arbor. 65
Vrurumbeba arbor. 100
Vulnerum curatio. 36

Z.

Z*Abucayo arbor.* 65
Zamouna arbor. 81

FINIS.

GEOR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GEORGI MARCGRAVI DE LIEBSTAD,
MISNICI GERMANI,

HISTORIÆ RERVM NATVRALIVM BRASILIÆ,

LIBRI OCTO:

Quorum

TRES PRIORES AGVNT *DE* PLANTIS.
QUARTUS *DE* PISCIBVS.
QUINTUS *DE* AVIBVS.
SEXTUS *DE* QUADRVPEDIBVS, *ET* SERPENTIBVS.
SEPTIMUS *DE* INSECTIS.
OCTAVUS *DE* IPSA REGIONE, *ET* ILLIVS INCOLIS.

CVM

APPENDICE *DE* TAPUYIS, *ET* CHILENSIBVS.

IOANNES DE LAET, ANTVVERPIANVS,
In ordinem digeſſit & Annotationes addidit multas, & varia ab Auctore
Omiſſa ſupplevit & illuſtravit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

IOANNI MAVRITIO,

NASSAVIÆ COMITI,

TERRÆ ET OCEANI BRASILIENSIS
SVMMO PRÆFECTO,

Qvæ

SUIS PER BRASILIAM PEREGRINATIONIBVS INDEFESSO STVDIO INQVISIVIT, ACCVRATE DESCRIPSIT, ET QVORVM ICONES AD VIVUM IPSE FECIT, NOMINA APVD INCOLAS INVESTIGAVIT, ET QVÆDAM CONVENIENTIA IMPOSVIT, FACVLTATES, QVANTVM FIERI POTVIT, INDAGAVIT, ET IN HANC HISTORIAM, IN OMNIVM NATVRALIS SCIENTIÆ STVDIOSORVM ET ADMIRATORVM USVM DIGESSIT,

IN DEBITAM BENEFICIORVM MAXIMORVM AB IPSO ACCEPTORVM AGNITIONEM ET GRATIARVM ACTIONEM

DEVOTE OFFERT ET DEDICAT

GEORGIUS MARCGRAVIUS, DE LIEBSTAD,
Miſnicus Germanus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

IOANNES DE LAET, ANTWERPIANUS,

AD BENEVOLOS LECTORES.

GEORGIUS MARCGRAVIUS, Auctor hujus Hiſtoriæ, doctiſſimus & diligentiſſimus Rerum Naturalium inveſtigator, Mathematicarumque ſcientiarum imprimis gnarus, cum hoc ageret, ut accuratam daret Deſcriptionem omnium Rerum Naturalium BRASILIÆ, ad quam eo animo erat profectus, (cum quibus reliquæ Americæ maximam partem congruunt, quanquam ibi, ut & in aliis orbis partibus, quædam peculiaria reperiantur) non ex aliorum relatione, ſed propria & diligentiſſima inquiſitione atque accurata obſervatione, multis itineribus propterea ſuſceptis, non ſine periculo, primo confuſe illas deſcripſerat & delineaverat, prout variis locis & temporibus ſeſe offerebant, aut ad ipſum ab incolis afferebantur: deinde illas ordine ſuo diſponere & ad ſuas claſſes referre cœperat: ſed quia, præſertim in plantis, non uno tempore omnia ſeſe exhibent, quæ ad plenam & perfectam earum deſcriptionem requiruntur, hinc factum eſt ut in aliquibus plantis, aut flores aut fructus & ſemina obſervare atque deſcribere non potuerit, aut omiſſa poſtea ſupplere. Nam cum ſingulari ſtudio de publico bene merendi (quod in admodum paucis reperias, ſiquidem plerique ſuas potius res curant quam publicas) è Braſilia ſe in Africam contuliſſet, ut ibidem ſimili diligentia res naturales indagaret & deſcriberet, morte præventus fuit, neque potuit aut ſuo, aut aliorum deſiderio ſatisfacere. Quum itaque illius commentarii ita indigeſti atque imperfecti ab Illuſtri Comite JO. MAURITIO (cujus beneficio, favore, atque impenſis hæc egerat) mihi fuiſſent traditi, obtulit ſe ſtatim haud levis difficultas: ſiquidem Auctor metuens, ne quis ipſius labores ſibi vendicaret, ſi forte quid humanitus ipſi accidiſſet ante quam ipſe illos poſſet publici juris facere, bonam partem illorum, & quæ erant maximi momenti, characteribus quibuſdam ab ipſo commentis, exaraverat, quæ ſecundum alphabetum ſecreto relictum, primum enodanda & transſcribenda erant, majori moleſtia, quam quis facile in alieno opere vellet ſumere. Superavi tamen hoc faſtidium, & laborem, quanquam alias ſatis occupatus, & ſimul dedi operam, ut ſingula ad ſuas claſſes venirent, & quam decentiſſimo ordine inter ſe componerentur, nam Auctor nullo ſervato ordine & herbas & frutices atque arbores inter ſe miſcuerat, prout venerant ad manus: verum ab ipſo omiſſa in Plantarum deſcriptionibus, quanquam multum operæ adhibuerim, ſupplere non potui, præter admodum pauca, quæ diverſo charactere expreſſa invenientur, & quarumdam plantarum icones, quæ deerant, quas ex herbis ſiccis ab ipſo conſervatis, delineandas curavi. Librum autem octavum quem Auctor tantum affectum reliquit, & pene nudos tantum titulos, concinnavi è variis ſchedis tum ipſius, tum aliorum, quas Illuſtr. Comes benignè cum variis Iconibus ſubminiſtravit; & ob vicinitatem argumenti adjeci etiam brevem rerum Chilenſium hiſtoriam, qualem noſtrates dederunt, cum nuper illam provinciam luſtraſſent, & compendioſiorem navigationem ad mare Pacificum inveniſſent. Denique addidi Annotationes perquam multas, præſertim ad illas Plantas, quas certo deprehendi etiam in Nova Hiſpania naſci, quarum deſcriptionem ſumſi à Fr. Ximene: cujus hiſtoriam (quam idiomate Hiſpanico in Mexico edidit anno CIↃ IↃCXV, & inſcripſit; *Quatro libros* DE LA NATVRALEZA, Y VIRTVDES DE LAS PLANTAS, Y *animales que eſtam recevidos en el vſo de Medicina en la Nueva Eſpanna, y la Methodo, y correccion, y præparacion, que para adminiſtrallas ſe requiere, con lo que el Doctor Franciſco Hernandz eſcrivio en lengua Latina)* jam dudum in Sermonem Latinum tranſtuli, integrum

opus

opus editurus, ſi Icones Plantarum, quas ille nullas, uti nec animalium, addidit, vel ex parte nanciſci potuiſſem. In quem finem & multas herbas ſiccatas & in charta bibula compoſitas ex Americæ Inſulis ab Amicis mihi mitti curaveram, & cæperam ad Auctorem hunc noſtrum mittere deſcriptiones Ximenis, ut comparatione facta deſpiceret num eædem in Braſilia naſcerentur, quod in aliquibus bene proceſſit, uti è ſequenti Hiſtoria apparebit. Non dubito autem quin alii, quibus plus otii & ſcientiæ ſuppetit quam mihi, obſervaturi ſint in Plantis & Animalibus multa convenientia cum iis quæ in aliis Orbis partibus reperiuntur, mihi per alias graviores occupationes non licuit operoſius iſta inquirere. Deſtinaverat autem Auctor noſter operi ſuo præmittere, PROGYMNASTICA MATHEMATICA AMERICANA, *tribus ſectionibus comprehenſa. Prima ſectio eſt* ASTRONOMICA & OPTICA, *omnium ſiderum Auſtralium intra Tropicum Cancri & Polum Antarcticum exſtantium inſtaurationem: obſervationes varias & multas omnium Planetarum & deliquiorum Solis & Lunæ, indeque exſtructa ſingularia: novas & veras Theorias inferiorum Planetarum Veneris & Mercurii, obſervationibus propriis ſuperſtructas: Refractionum & Parallaxium doctrinam, obliquitatem maximam Eclipticæ definitam, nec non aliqua de maculis Solis & varias raritates Vranicas alias continens. Altera ſectio eſt* GEOGRAPHICA & GEODÆTICA, *longitudinum terreſtrium doctrinam eorumque initium numerandi conſtituens, Terræ totius veram dimenſionem ex obſervationibus propriis demonſtrans, ac Antiquorum & modernorum Geographorum errores detegens. Tertia ex duabus antecedentibus exſtructa*, TABULÆ MAURITII ASTRONOMICÆ. Etenim hunc titulum inter ſchedas illius inveni, ſed tantum titulum, utrum opus abſolverit, & quid illo factum ſit, ignoro. Titulo autem huic ſubſcriptum eſt; *opus deſideratum à nemine adhuc tentatum, accedente munificentia Illuſtr. & Excellentiſſ. Herois* J. MAURITII NASSOVIÆ COMITIS, &c. *Terræ & oceani Braſilienſis præfecti, Summi, Inchoatum Feliciter & itidem cum bono Deo poſt multos labores abſolutum, in nova civitate* MAURICIA, *ſita in Braſilia Americæ Auſtralis regione, Auctore* GEORGIO MARCGRAVIO *de Liebſtad Germano.* Cæterum benevolos Lectores rogo ut hanc noſtram qualemcunque operam boni conſulant, Auctoriſque manibus omnia bona precentur: & ſi quid aut corrigendum aut addendum noverint, candide impertiant; non enim deſpero, ſi Deus mihi vitam ad paucos annos proroget, & bello in Braſilia finis imponatur, Hiſtoriam hanc magis perfectam fore, & iis qui bene de illa merebuntur, condignam gratiam redditam iri. Interea fruimini his quæ jam damus.

SUM-

SVMMARIA
LIBRORVM SEQVENTIVM.

LIBRO PRIMO *deſcribuntur Herbæ, in quo ſunt Icones ſex ſupra octuaginta, Annotationes octodecim.*

LIBRO SECVNDO *deſcribuntur Plantæ Fruticeſcentes, & Frutices; in quo ſunt Icones novem ſupra triginta, & Annotationes undecim.*

LIBRO TERTIO *deſcribuntur Arbores; in quo ſunt Icones quinque ſupra ſeptuaginta, Annotationes ſeptendecim.*

LIBRO QVARTO *deſcribuntur Piſces tam Marini quam Fluviatiles, atque item teſtacei: in quo ſunt Icones ſex ſupra centum, & Annotationes novemdecim.*

LIBRO QVINTO *deſcribuntur Volucres; in quo ſunt Icones quatuor ſupra quinquaginta, & Annotationes octo.*

LIBRO SEXTO *deſcribuntur Animantes Quadrupedes, & Serpentes; in quo ſunt Icones tres ſupra triginta, & Annotationes octodecim.*

LIBRO SEPTIMO *deſcribuntur Inſecta; in quo ſunt Icones novem ſupra viginti, Annotationes octo.*

LIBRO OCTAVO *agitur de ipſa Regione, & de illius Indigenis & Incolis; in quo ſunt Icones quinque & variæ Annotationes.*

APPENDIX *de Chilenſibus, in qua ſunt Icones duæ. Quæ partim è noſtrorum Belgarum Commentariis, partim ex Auctore Italo eſt contexta.*

Denique in octo hiſce Libris ſunt Icones quadringentæ & viginti novem, maximam partem ab Auctore ipſo accuratè delineatæ.

Errata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Errata quædam emendanda.

Quanquam diligens admodum cura adhibita fuerit, vitari tamen non potuit quin aliquot errata irreperent, quæ ſic corrigenda ſunt.

Pag. 8. l. 21. hepatici. p. 13. l. 34. *Hauhquilitl.* p. 16. l. 5. pannonici. p. 25. l. 23. corymbacei. pag. 57. l. 24. corniculati. p. 73. l. 34. aculeatos. p. 75. l. 1. tamen. p. 83. l. 33. *Peo de galinha.* lin. 49. *Engenho.* p. 104. l. 20. Jocara. p. 107. l. 18. *azeda.* p. 150. l. 42. *Bonito.* p. 180. l. 34. *pegador.* p. 271. l. 5. *pro* cum is *lege* omnis. l. 52. Vulgo alios è petra faciunt eoſque, &c. p. 272. l. 4. cochlearium. l. 18. quemque corda. p. 278. l. 35. *pro* pene, *lege* pone. l. 46. ullum *pro* illud. p. 279. l. 17. Medicis. p. 280. l. 1. promoturi ſint. p. 281. l. 33. matri. l. 51. majoris. p. 282. l. 38. continentem. l. 46. Subſidio veniret. p. 285. l. 57. ipſe vivit. p. 287. l. 36. Nentoques.

GEOR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GEORGI MARCGRAVI HISTORIÆ PLANTARVM

LIBER PRIMVS, Qui agit de Herbis.

CAPVT PRIMVM.

De variis Graminis ſpeciebus.

GRAMINIS, *ut alibi, ita & in Braſilia variæ reperiuntur ſpecies, quarum has ab Auctore noſtro obſervatas & deſcriptas inveni.*

Prima ſpecies. Caulis teres, tenuis, cavus, gramineus, in octodecim aut viginti digit. altitudinem aſſurgit, in medio habens nodum & inferius tres: ſuperius autem ſupra nodum, unum folium acutum gramineum: in ſummitate caulis quinque aut ſex ſpicas tenues, duos circiter digitos longas, craſſo filo haud craſſiores, coloris argentei, à quibus parvuli è cinereo ad purpureo-cæruleum colorem vergentes flocculi dependent, tremuli & qui vento abiguntur.

Secunda ſpecies. Vocari poteſt Gramen triangulare; caulem enim habet triangularem, quindecim, ſedecim aut viginti quoque interdum digit. longum, ſupra terram longis anguſtis & venoſis gramineis foliis prædictum. In ſummitate caulis capitulum eſt quadrangulare, quaſi è quinque glandibus compoſitum, magnitudine paſſulæ majoris, ad cujus latera quatuor foliola graminea extenduntur: ipſum capitulum odorem habet quaſi chamæmeli.

Tertia ſpecies. Itidem caulem habet triangularem, circiter pedalem, atque juxta humum duobus aut tribus foliis oblongis gramineis veſtitum. In ſummitate autem in brevibus petiolis, proveniunt ſex, ſeptem aut octo capitula alba, juxta ſe poſita: quorum quodlibet circumſtant ſex foliola viridia acuta.

Quarta ſpecies. Ex radicula capillata multi prodeunt caules, teretes, tenues, Spithamam alti, ad terram unico foliolo gramineo acuto veſtiti, è quo tanquam vagina prodit caulis. Summitatem autem caulis in orbem circumſtant ſeptem foliola, anguſta, acuta, duos circiter digit. longa, viridia quidem, ſed ad partem ab exortu interius albiſſima. In horum foliorum medio aliquot granula inſtar avenæ ſibi invicem ſunt appoſita, in quibus ſemen latet. Caulis & folia pilis albis & mollibus veſtiuntur.

Quinta ſpecies. Inferius triangulatum habet caulem, qui ad quatuor circiter pedum altitudinem aſſurgit: folia autem quatuor aut quinque, ſeſquidigitum fere longa, arundinacea: ſuperius umbellas, multis acutis granulis, quaſi Echinorum aculeis, onuſtas.

Sexta ſpecies. Gramen elegans plicatum atque miliaceum; in trium quatuor aut etiam quinque pedum altitudinem aſſurgit, ex radiculis filamentoſis, arundinis modo: folia circiter unum pedem longa, eleganter plicata, viridia, figura pene ut palmæ nuciferæ junioris. Caulis ſuperius fert ſpicam, circiter ſeſquipedem longam, milii ſpicæ ſimilem.

Septima ſpecies. Gramen florens. E piloſa radicula caules protrudit perquam multos, pedem aut ſeſquipedem longos, qui inferiori parte gramineis foliis veſtiuntur. Quilibet autem caulis ſuperius habet capitulum ſquamoſum, ſplendens, coloris ſubluteſcentis è pallido, huic floſculus inſidebat unicus, tribus foliolis luteis conſtans.

Octava ſpecies. Exiles radiculæ ſeu rectius filamenta emittunt quatuor aut quinque caules gramineos, anguſtos, circiter tres aut quatuor pedes altos. Quilibet autem caulis ſuperius dividitur in umbellam, ut gramen cyperoides capitula ſquamata continentem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Nona ſpecies. Gramen ſtriatum ſimpliciter dici poteſt. Ex una enim radice quatuor aut quinque folia enaſcuntur & aſſurgunt in ſex pedum altitudinem, ſimilia gramini Hiſpanico ſtriato, præterquam quod in medio folii tantum unica ſtria ſit alba.

Decima ſpecies. Capûpuba Braſilianis: gramen plumeum: ad duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgit, caule tereti, geniculato; foliis ad genicula plus ſeſquiped. longis; qui in ſummitate in viginti, viginti quatuor & interdum triginta tenuiores caules dividitur: quorum quilibet verſus ſummitatem ad duorum, trium, quatuorve digitorum longitudinem, argentea veſtitur panicula, quæ in medio ſemen gramineum continet. Caules egregie rufeſcunt.

Vndecima ſpecies. Bicubitalem vel tricubitalem ſortitur altitudinem; caule & foliis gramineis; panicula ſuperius in duodecim, quindecim aut plures diviſa; quarum quælibet octo aut novem digitos longa, coloris obſcure rufeſcentis.

Duodecima ſpecies. Foliis & caule quidem ut antecedens, ſed panicula longiore & pene pedali, ſubtiliuſque compoſita, atque coloris viridis.

Decima tertia ſpecies. Iacape Braſilianis, Luſitanis autem corrupte *Sape:* Gramen junceum & tenue. Ex radicula geniculata, juncea, alba, aſſurgit ad trium pedum altitudinem; caule primum ſimplice inſtar culmi ſiliginis, tereti, qui poſtea finditur in aliquot folia graminea, anguſta, in medio nervum album ſecundum longitudinem habentia: nullum habet ſaporem manifeſtum; nec florem fert nec ſemen. Valet contra ſerpentum morſus, hoc modo: ſi manus fuerit morſa, fiat poſt manum ligatura ex hoc gramine, venenum ultra non ſerpet.

CAP. II.

Filicis ſpecies, Trifolii ſpecies, Polipodium, Ononis.

FILIX *Braſiliana:* in duorum, trium aut etiam quatuor pedum altitudinem aſſurgit, caulis quadratus, ex ruffo nigricans, ſplendens, lanugine ruffa obductus. Folia ejus alata ſibi invicem alternatim opponuntur, quinque aut ſex digitos longa. Foliola autem alæ ſunt tenera, viridia, itidem alternatim oppoſita, in ambitu ſubtiliter ſerrata; in uno autem latere cujuſque folioli, pulvis ſecundum oram folioli in longum adpendet ruffus. Naſcitur ubique in Mediterraneis.

Filicis an ſpecies? Planta caule lento, ſarmentoſo, ruffeſcente, ſerpit atque fruticibus aliiſque plantis ſe circumvolvit: folia ad caulem alternatim ſunt poſita elegantiſſime diſſecta, referentia dentatas illas texturas quas fœminæ ſolent conficere. Nec florem fert nec ſemen. Copioſe naſcitur prope fluvium Capibaribi. Naſcitur & alia ſpecies haud multum diſſimilis in Inſula Tamaraca.

Filix an Polipodium? Herba unico caule aſſurgens in trium circiter pedum altitudinem recto, continente folia indirecte ſibi invicem oppoſita, ſeu potius alternatim poſita, circiter quatuor digitos longa, anguſta, acuminata, & in ambitu ſubtiliſſime ſerrata; atque poſtica parte ſecundum nervum in longitudinem ubique brunna aſpergine variegata.

TRIFOLII ſpecies videtur Herba quæ copioſe naſcitur in *Sinu omnium Sanctorum.* Ex radice recta, paucis filamentis prædita, arbuſculæ pene figura ad unius aut duorum pedum altitudinem aſſurgit, in multos ramulos expanſa: ſuntque caulis ramuli lignoſi, atque hinc inde acutis ſpinis muniti. In pediculis propriis, in quolibet ramulo tria foliola ſibi ſunt appoſita more Trifolii. Hinc inde prodeunt in pediculis digitum longis floſculi ex viridi albi, magnitudine florum Anagallidis, ſubtilia ſtaminula in medio habentes. Floſculos ſequuntur ſiliquulæ teretes, circiter duos digitos longæ, in quibus ſemen rotundum, referens limacis concham, coloris epatici. Quando ſemen eſt maturum, ſiliquulæ ſponte diſſiliunt & effundunt ſemen. Herba odorem habet inſtar Fœnugræci.

HERBA quæ paſſim in Braſilia naſcitur, an Trifolium Americanum ſpicatum dici poteſt? Ex radice lignoſa, lenta, gracili, aliquot aſſurgunt caules ſeſquidigitum circiter alti, qui unum atque alterum ramulum nanciſcuntur. Caulis rotundus, piloſus & quaſi geniculatus. Ad genicula autem in brevi petiolo, naſcuntur juxta ſe tria folia, ſuperius viridia, inferius piloſa & caneſcentia. Floſculos fert in ſpicam congeſtos purpurei coloris. Poſt quos proveniunt ſiliquulæ compreſſæ, hirtæ, incurvatæ ſeu lunatæ, ut in herba quam vocant Ferro-cavallo, & quaſi deciſæ; nam maturæ in tot concedunt partes, quot grana continent ſeminis. Semen eſt magnitudine Sinapi, ſed figura phaſeoli ex albo flaveſcens & punctum fuſcum parvulum loco hili habens, ſapore quaſi piſi. Inter eundum hæ ſiliquulæ facillime veſtibus adhæreſcunt: ideoque Luſitani vocant hanc herbam *Amores.*

POLYPODIUM Braſilianum & radice VIII. aut IX. digit. longa, nodoſa, digitum craſſa ſubruffo muſco obducta, interius ex albo flaveſcente, ſaporis ſubdulcis cum quadam auſteritate,

tate, ſucculenta, aſcendit caulis tres aut quatuor pedes altus, ſtriatus, contortus niger aut ruber, qui in ſummitate multa habet folia, trina ſibi directe vel alternatim oppoſita, quatuor circiter digit. longa, plus digit. lata, læte viridia, mollia, nervo obſcure ruffo ſecundum longitudinem: juxta quem in utroque latere inferiori quadruplex ſeries punctorum pulveris luteſcentis è ruffo conſpicitur; & inter punctula à nervo per latera tranſverſim multæ tenues venulæ virides.

ONONIS non ſpinoſa & floribus luteis. Multi caules teretes, lenti, piloſi, ex una radice enaſcuntur longi, partim humi procumbentes, partim ſurrecti, ad tactum quaſi pinguiuſculi ſeu glutinoſi; è quibus hinc inde alternatim & quaſi ſe amplecterentur in exortu prodeunt ramuli, quos eodem modo, hinc inde petioli breves complectuntur, atque quilibet tria foliola, quidam etiam tantum unicum continentes: ſuntque foliola oblonga, anguſta, nervo ſecundum longitudinem & venulis obliquis inferne prædita, & leviter piloſa. Floſculos ex ſinu prodeuntes fert luteolos Ononidis modo.

CAP. III.

Arundines & Cannæ.

IATABOCA Braſilianis dicta Silveſtris Arundinis eſt ſpecies, in viginti aut plurium pedum altitudinem excreſcit, & anterioris brachii acquirit craſſitudinem, medulloſa, & exterius



coloris è viridi ſubflaveſcentis: ramos autem habet alternatim oppoſitos & in iis ramulos ad eundem modum, dimidium pedem plus minuſve longos, ſolitarios vel plures, & uſque ad octo, juxta ſe proxime poſitos: ramuli autem circa exortum ſpina muniuntur: in ramulis folia ſunt alternatim poſita, in quolibet ſeptem, octo, vel novem, graminea anguſta, acuminata, atque læte viridia, quatuor aut ſex pedes longa. Nec florem fert nec fructum. Magnum autem impedimentum objicit hæc planta viatoribus, ſiquidem paucis menſibus vias obturat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

celeriter creſcens & recreſcens abſciſſa. Cæterum uſurpatur ab Indigenis pro lignis ad parietes ædium: excavatur etiam atque impletur aqua à viatoribus ad itinera agenda per loca deſerta & inaquoſa.

VVBA Braſilianis dicta, Naſthos Græcis, *Arundo Sagittaria:* itidem in viginti aut plurium pedum aſſurgit altitudinem. Caudex illius rectus, inferius ad trium aut quatuor pedum altitudinem quaſi lignoſus & durus, reliqua parte ſpongioſus & lævis: inferius albicantis flavi coloris, ſuperius plane viridis. Craſſities ejus inferius quatuor aut quinque digitorum; ſuperius digitum auricularem æquat. Verſus inferiorem partem habet folia quaſi convoluta, ſuperius recta & plane lævis, atque ex hac fiunt ſagittæ. Caulis habet interdum unum atque alterum ramum. Tredecim aut quatuordecim pedum altitudine à terra, per trium circiter pedum longitudinem, veſtitur foliis arundinaciis, anguſtis, & pene ſex pedes longis. Supra horum foliorum finem circiter duos pedes, rurſus lævis eſt & ſine foliis.



MEERV Braſilianis dicta, *Canna Indica* Car. Cluſ. Rar. pl. Hiſtor. lib. IV. cap. 54. in octo aut decem pedum aſſurgit altitudinem, caule arundinoſo, ſucculento, viridi, digit. craſſo; quem per intervalla ambiunt folia ſolitarie poſita quatuor aut quinque digit. etiam ſeſquipedem longa, decem aut undecim digitos lata, ſimilia foliis Paco. Superius habet caulis tres aut quatuor ramos, qui multos ferunt flores, tribus foliis linguiformibus conſtantes, circiter duos digit. longis, erectis, quæ circumdantur ab aliis foliis acuminatis & convolutis; in medio autem ſunt duo anguſta, paululum contorta, atque in horum medio adhuc unum folium inſtar ligulæ, habens ad latus ſtamen fuſcum in quadam prominentia. Flos eſt inodorus, coloris ignei. Poſt flores ſequitur fructus, nimirum corpus oblongum, teres, in tres exedras extuberans, echinatum, inſtar fructus Ricini, coloris viridis, at ex parte rubeſcentis: quum vero ſemen intus maturum eſt, tunc nigricat: dividitur interius in tres cellulas, habens in qualibet, ut plurimum, duodecim grana ſeminis, magnitudine piſorum, rotunda, lævia, nigra, & duriſſima: malleo contuſa continent intus duriſſimam ſubſtantiam albam, quæ cavitatem intra ſe habet inſtar vitri vinarii & in cavitate illa corpuſculum inſtar vermiculi caſei, ex quo progerminatio fit, ex hoc ſemine vulgo corollæ precariæ fiunt. Radix humanam craſſitiem acquirit, longa, ſplendide ex albo flaveſcens, inſtar cepæ ſquamas habens ruffas, atque ſucculenta: per intervalla autem hinc inde habet tubera ſeu prominentias faſtigiatas, unde novos profundit caules, nam perennat hæc planta.

Annotatio. Hæc Planta ut bene obſervat Car. Cluſius loco ab Auctore citato hyemem noſtram ægerrime admodum patitur, diligentia tamen haud difficulter etiam in noſtra Batavia conſervari interdum poteſt, & vidimus utramque ſpeciem nonnunquam florentem, atque radice ſe propagantem, ſed ante primum frigus in hypocauſtum transferenda eſt, nam

frigoris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

frigoris impatientior eſt. Obſervat autem doctiſſimus & diligentiſſimus auctor, è vetuſtis ſtolonibus cum marceſcentes in vaporario præſcinduntur, lacrymam exſtillare albam, Tragacanthæ æmulam, ſubdulcem & lentam; atque in ipſis foliis etiam ſeneſcentibus exiſtit tenue quoddam excrementum nitri ſapore. Quo nomine, inquit, veteribus dicta ſit hæc planta, me ignorare fateor ingenue.



Reperitur & alia ſpecies priori ſpeciei Meeru ſimilis figura, colore foliorum & venis, ſed flos variat: folia quoque ſunt anguſtiora, magis acuminata, ac ut plurimum circa imum caulis erumpunt ex vaginis: in medio aſſurgit caulis ferens aliquot flores paulo majores quam prioris: conſtat autem flos tribus cochleari-formibus (puta Luſitanici) foliis, tres digit. longis, incurvatis, in quorum medio adhuc anguſtum foliolum, ſeſquidigit. longum, inſtar cuſpidis directe extenſum. In poſtica parte floris, poſt tria illa majora folia, itidem talia foliola duo mucronata extant, ita ut totus flos octo conſtet foliis, & adhuc in medio, more Gladioli, ſtaminulum flavum, extremitate ſua fuſcum obtinet. Flos inodorus & flavus. Semen & radix ut prioris. Nigritæ commedunt radicem.

Annotatio. Audio Plantam hanc jam & ſemen ſuum maturaſſe in Horto diligentiſſimi Botanici Henrici Munting M. D. Groningæ, unde ſpes eſt illam magis familiarem cœlo noſtrati ſenſim futuram.

CAP. IV.

De Camaris variis.

CAMARA Braſilianis; diverſæ ejus reperiuntur ſpecies: *Camara tinga* & *Camara flore albo:* utraque autem fruticeſcit.

Camara flore rubro: caulis hujus hirſutus in multos expanditur ramos: folia habet ſerrata, menthæ criſpæ ſimilia, ſed magis ſplendentia, leni hirſutie prædita, & ad tactum mollia, bina ſibi invicem ubique oppoſita, quodlibet brevi pediculo inſidens. In extremitate ramorum, uti & ad exortum foliorum ad caulem proveniunt oblongi pediculi aliquot juxta ſe poſiti, multos floſculos habentes rubros. Poſt flores ſequitur uvula, baccis plena viridibus, magnitudine baccarum Sambuci: & uvula cum baccis ſimilis eſt fructui Chamæpericlymeni Car. Cluſii Rar. Hiſtor. lib. 1. cap. 38. Flos inſignis odoris: & ipſa herba ſuperat odore Mentham.

Huic plane ſimilem ſpeciem inveni ad ripam Fluvii S^ti^ Franciſci, excepto colore floris, qui plane flavus erat.

Camara flore albo: caule lignoſo, duro, quadrato, hiſpido, in duorum aut trium pedum adſurgit altitudinem, atque in multos expanditur ramos; partim etiam caules longi in terram procumbunt, ſerpentes cum ſuis ramis. Folia autem habet rugoſa, hirta & ad tactum dura, in ambitu ſerrata, ſplendentia, ſaturate viridia, bina ſemper ſibi invicem oppoſita, & ad exortum ramorum ſparſim. In extremitate autem ramorum & ſummitate caulis umbellatim proveniunt floſculi parvi, inſtar florum Lychnidis chalcedonicæ, coloris candidi ſeu lactei, ſuavis odoris. Tota planta odorem habet fere inſtar Menthaſtri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAMARA VVBA Braſilianis, in eximiam altitudinem adſurgit, caule hirſuto, nodoſo. Folia quoque hirſuta & ad tactum aſpera, in ambitu ſerrata, urticæ foliis ſimilia, inæqualis magnitudinis, bina ſemper directe ſibi oppoſita.

In extremitatibus ramorum enaſcuntur flores, magnitudine florum Bupthalmi, egregie lutei, novem foliis conſtantes, & in medio umbilico magno, luteo, cui admixta ſtaminula nigra, odoris quaſi medii inter urticam & mentham.

Planta ad tactum plane glutinoſa ſentitur.

Poſt flores ſequitur ſemen oblongum, nigricans, ut in cichorejo.



ANNOTATIO.

Icon quam hîc damus, quanquam illam acceperimus cum adſcripto nomine Camara uuba, potius videtur alterius Camaræ de qua ante Author; nam manifeſte baccas pro fructibus repreſentat; cum huic tribuantur ſemina oblonga inſtar cichorei; quód hîc monendum duximus, ne quis erret.

Cæterum hæc videtur illa planta quam Fr. Ximenes ſcribit à Mexicanis vocari *Tomatzitzicaztli*, quæ ſpecies, inquit, eſt urticæ, atque in molem humanam adoleſcit; folia habet ſuccida, grandia & plena ſpinis & villis, caules læves & blancos, flores luteos. Naſcitur locis calidis & frigidis Provinciæ Mechuacanæ & alibi: ſaporis eſt amari, cum quadam acrimonia, temperie calida & ſicca. Decoctum ſpiſſatum curat ulcera vetera, & lenit dolores capitis, ſi illa abluatur.

CAP. V.

Aguara ponda. Iacua acanga. Caacica. Innominatæ duæ.


AGVARA PONDA Braſilianis, Myouros ſive Myurus, Belgis Rattenſteert: in ſeſquipedalem aut majorem quoque altitudinem aſſurgit, caule geniculato, tereti, viridi: ad ſingula autem internodia folia habet quatuor, quinque aut plura, anguſta, ſerrata, & faſtigiata, viridia, inæqualis magnitudinis. In ſummitate caulis ſpicam unum pedem longam, teretem, undique floſculis eleganter cœruleo-violaceis plenam, coloris ut violæ martiæ noſtratis: quilibet floſculus conſtat quinque foliolis ſubrotundis, ac integer floſculus non male refert violam martiam, ac paululum quoque ejus odorem. Radix illius recta, mediocriter craſſa, & multas parvulas radiculas adjunctas habens adhæc filamentoſa.

Reperitur & alia præcedenti plane ſimilis, niſi quod ſpica florum lata eſt, cubicis foveis inſignita loricam repreſentans, viridis: ex foveis autem illis prodeunt floſculi cœrulei ut in altera ſpecie, quam deſcripſimus.

IACVA ACANGA Braſilianis, *Fedagozo* Luſitanis,, ſpecies eſt Scorpioeidis. Aſſurgit in duorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

duorum aut trium pedum altitudinem, caule hirſuto, piloſo, multis ramis prædito: folia bina ſibi oppoſita cum aliis parvulis habet, vel etiam quandoque ſolitarie poſita, ſuntque corrugata, ſimilia foliis Scarleiæ, raris pilis veſtita, oblonga.



In extremitatibus ſuperiorum ramorum enaſcitur ſpica decem aut duodecim digit. longa, in qua unicus ordo floſculorum, coloris è luteo & cœruleo mixti: quilibet floſculus autem figuram habet parvi calicis: extremitas ſpicæ curvata ſolet eſſe inſtar floris vulgaris Scorpioidis.

Poſt flores ſequitur ſemen milii noſtratis ſimilitudine, flavum, triangulare, & circa extremitatem acuminatum, figura pene fagopyri, ſed fuſci coloris.

Radix pedem aut ſeſquipedem longa eſt fere recta; pauca aut nulla filamenta habens, cortice fuſco, intus alba, lignoſa ac lenta, ſapore ſubdulci ſed parum manifeſto.

Reperitur & alia ſpecies plane priori ſimilis, niſi quod paulo major ſit quo ad caules. Radix eadem eſt, folia autem paulo molliora, ſpica quoque ut in priori incurvata, floſculi albi ſeu lactei, quinque foliolis conſtantes.

Semen denique rotundum, non triagulare ut in priori.

Annotatio; Non invenio has ſpecies Scorpioidis hactenus à Botanicis eſſe deſcriptas.

CAACICA Braſilianis, *Erua de Cobra* Luſitanis; ex radice parvula filamentoſa multi proveniunt caules juxta ſe, ſemipedem aut etiam pedem longi, ex viridi ruffeſcentes, paululum hirſuti, & unius digiti intervallo habentes nodos; & ad ſingulos nodos duo folia ſubtiliter ſerrata, appoſita, magnitudine & figura æmula foliis Veronicæ, aliquantum hirſuta, ſuperne viridia, inferne albicantia. Inter folia ad nodos multi prodeunt floſculi viridis coloris cum aliquantillo rubore mixti, in umbellam compoſiti. Tota planta fundit lacteum ſuccum. Præſentiſſimum eſt remedium contra ſerpentum morſus herba hæc contuſa & impoſita. Valet etiam ad alia vulnera.



Planta (quam Auctor non nominat) ex radicula alba, multis filamentis prædita, protrudit unum aut duos cauliculos, teretes, virides, ramoſos, hinc inde foliolis veſtitos inſtar ſinapi. In ſummitate cauliculi enaſcitur longa ſpica floſculorum albiſſimorum, tantæ magnitudinis, quantæ Acetoſæ minimæ. Poſt flloſculos ſequitur ſemen ex fuſco cinereum, rotundum, mediæ magnitudinis inter ſemen ſinapis & papaveris, hirſutum, ad tactum ut capitellum herinacei. Tota planta ſeptem aut octo digitorum altitudinem acquirit.

Planta (cui Auctor nomen non appoſuit) ex radice brevi, multis filamentis prædita, emittit novem aut decem caules, teretes, ruffos, unum vel duos pedes altos, qui folia oppoſita ſibi habent, figura foliorum ſalicis. In ſummitate caulium & ramorum

rum prodeunt flores albi, longis pediculis innitentes, quatuor circiter digit. longis, ſimiles plane floribus Tanaceti, ſed vix ſextam partem æquantes. Bini floſculi juxta ſe poſiti, in proprio ſinguli pediculo in caule quovis & ramulo inveniuntur. Caulis lentus & ſucculentus.

CAP. VI.

Plantæ innominatæ duæ. Caapotiragoa.

PLANTA hæc *(quam auctor non nominat)* in pedalem atque etiam majorem excreſcit altitudinem, caule nodoſo partim incumbente terræ, partim ſe ſurrigente: pars quæ terræ incumbit crebras agit radiculas. Diſtant nodi circiter trium digitorum intervallo, ex quibus prodeunt folia, unum aut duo minimum digit. longa, nervo & quinque aut ſex venulis ſecundum longitudinem, ut in Plantagine, ſuperius viridia, inferius parum cineraſcentia. In ſummitate caulis duo folia parva ſibi applicata inveniuntur, figura conchulæ quam miſellam vocant, ex quorum medio flos enaſcitur eleganter cœruleus, foliis tantum duobus obrotundis conſtans, aliquot ſtaminula habens cœrulea, flavis apicibus. Tota planta Gentianam aliquo modo repreſentat.



Radix teres, tenuis, longa, ſine fibris, hepatici coloris.

Reperitur & alia planta habens flores inſtar Loti tetragonolobi, folia oblonga, caulem craſſum, ſtriatum, paulum hirſutum, multis ramulis præditum.

PLANTA (quam Auctor non nominat) caule lento, anguloſo, ruffo, ſerpit, & trium aut quatuor digitor. intervallo, in pediculo digitum longo, tria ſemper folia ſibi appoſita habet, quinque aut ſex digitos longa, in ambitu ſerrata, læte viridia, nervo & venis obliquis conſpicuis prædita. Ad pediculum foliorum alius pediculus quinq; aut ſex digit. longus provenit ruffus, qui umbellam habet inſtar Sambuci, floſculis minimis, qui nullis foliis conſtant: in totum ſanguinei elegantiſſimi coloris; quilibet eorum figuram habet rhopali quo leproſi mendicantes circumcurſant.



CAAPOTIRAGOA Braſilianis: ex radice longa contorta, lenta, exterius fuſca, intus candida, multi enaſcuntur caules quadrati, duorũ aut trium digitorum intervallo geniculati, octodecim, viginti, & interdum plures digit. longi, qui partim terræ incumbunt, partim ſe ſurrigunt. Ad ſingulos autem nodos annaſcuntur duo, tria vel quatuor folia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

folia, figura & magnitudine hyſſopi, inæqualis tamen magnitudinis. Quidam etiam caules hinc inde ramulos protrudunt ad nodos, eodem modo foliis veſtitos. Caulis autem, ramuli, & folia ſunt piloſa, viridia, incana.

In ſummitate caulis & ſeſquidigitum ſub ipſa, & tali intervallo rurſus verſus inferiora, verticillatim enaſcuntur floſculi, globuli luſorii magnitudine, plurimi, albi, quatuor foliolis conſtantes: & prope quemlibet verticellum floſculorum bina foliola hyſſopi æmula. Poſt floſculos capſulæ rotundæ ſtriatæ ſequuntur, magnitudine myrtillorum, in quibus ſemen continetur: *cujus formam Auctor deſcribere omiſit*. Planta hæc ſalſi eſt ſaporis & proinde Kali geniculatum ſeu vitriaria poteſt appellari. Frequens eſt in locis arenoſis maritimis, in mediterraneis autem nequaquam reperitur.

Reperitur & alia ejuſdem ſpeciei, cujus caulis lignoſus, etiam partim terræ incumbens, partim ſurrectus. Folia autem Roſmarini æmula ad genicula caulis conſiſtunt: atque ibidem floſculos habet multos, congeſtos, candidos, in capitelli figuram circa caulem.

CAP. VII.

Paiomirioba. Innominata. Micambe. Tareroqui. Ivapecanga ſeu Sarcaparilla.

PAIOMIRIOBA, orobus Braſilienſis mihi flore Loti luteo. Ex unica radice multi prodeunt caules, circiter tres pedes longi, lignoſi, virides, nodoſi, in multos ramos divaricati, qui è nodis prodeunt: in quolibet ramulo octo vel novem folia, nimirum quatuor vel quinque paria ſibi invicem oppoſita, plane ſimilia orobi pannonici Car. Cluſii Rar. Hiſtor. Lib. VI. cap. 44. in extremitate ramorum enaſcuntur floſculi, quinque foliolis conſtantes, plane ſimiles illius orobi pannonici, ſed omnino lutei.



Flores ſequuntur ſiliquæ, quatuor, quinque, ſex aut ſeptem digitos longæ, teretes, paulum compreſſæ, haud craſſæ, incurvatæ ut enſis polonicus: quæ per maturitatem fiunt fuſcæ, & ſponte rumpuntur, atque effundunt ſemen rotundum, latiuſculum, compreſſum, fuſcum, paulo majus lentibus. In qualibet ſiliqua quinquaginta & interdum paulo plura ſemina continentur. Toto anno floret & fert ſemen.

Aqua diſtillatur ex hac planta, quæ uſurpata, comminuit & expellit calculos veſicæ.

Radix longa, recta, multa ſuperius habens filamenta, flavi coloris.

Radix contra venena: folia contra *Bichos de Cu*: ſemen cum aceto contra impetiginem valet: ſtranguriæ quoque radix medetur.

Planta quoque contuſa & calide applicata laterum doloribus auxiliatur.

ANNOTATIO. Natæ nobis aliquoties plantæ hæ è ſemine ex Braſilia miſſo, ſed nunquam floruerunt.

PLANTA (*cui neque nomen dat neque Iconem, ita ab ipſo deſcribitur*) è radice proveniunt aliquot folia, viginti aut paulo plures digitos longa, læte viridia, ſplendentia, ad tactum mollia, figura foliorum majoris Lapathi, nervo craſſo in medio ſecundum longitudinem, multangulari, venis vero tranſverſim eminentibus. Inter hæc folia aſſurgit caulis teres, digiti minoris craſſitie, & duarum ſpithamarum longitudine, in quo julus ſpithamam longus, co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

loris ut julus juglandis, verum quinque aut ſex digitos craſſus: videturque quaſi compoſitus ex quadratis gemmis, quarum quælibet in medio punctum habet brunnum; ſubſequente tempore hæ gemmæ prodeunt (etiam planta evulſa & in cubiculo appenſa) & cum prodierunt ad tertiam digiti partem, ſunt elegantis brunni coloris; dehinc amplius ſe produnt & reliqua ſui parte ſunt coloris eximie incarnati, cum paululo brunno ſuperius. Fructus ita integer cum prodiit, tribus ſubtiliſſimis filis quaſi pilis appendet: interius autem habet pulpam candidam & nucleum in medio.


MICAMBE Angolenſibus, (*& ut videtur ex Africa in Braſiliam tranſlata*) in pedalem circiter altitudinem aſſurgit caule tereti, contorto, quem circumdant foliola parvula, & hinc inde ramuli circiter duos digitos longi, quorum ſinguli ſuſtinent floſculos ex albo ſubluteos: ſequuntur dein ſiliquæ incurvatæ, obrotundæ, teneræ, in quibus multum ſeminis nigri, rotundi, majoris quam papaveris. uſurpatur à Nigritis in cibis.



ANNOTATIO. Miſſum nobis hujus Plantæ ſemẽ è Braſilia aliquoties, nomine *Moſambes d' Angola*, quod & feliciter pullulavit, & præſertim æſtate hujus anni CIↃ IↃC XLVI. non modo folia & caulem produxit, ſed & floruit liberaliter, & ſemen tulit, quod tamen à leviſſimo frigore, initio Octobris, cum ipſa planta corruptum fuit. Eſt autem elegantiſſima planta; foliis ſimilibus pentaphyllo, floſculis ſingularis conformationis ſed minutis admodum: ſiliquis contortis; ſed cum in eo eſſem ut iconem fieri curarem, præter expectationem periit.

TAREROQVI Braſilienſibus, *Matapaſto* Luſitanis, ſpecies eſt Payomiriobæ ejuſdem figuræ & eadem radice, caule, ramis: flore quoque eodem ſed paulum minori, eadem diſpoſitione foliorum & ejuſdem coloris. differt tamen foliorum figura: nam hujus ſunt digitum aut paulo plus longa, figuræ ovalis, ad exortum ſuum anguſtiora, ſuperius viridia inferius nonnihil incana; nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis prædita. Poſt ſolis occaſum folia ſua componit & quaſi marceſſit, mane iterum explicat. Semen rotundum, nigrum, minutum & multum diverſum à ſemine Payomiriobæ.

ANNOTATIO. Et hujus plantæ ſemen ſæpius è Braſilia ad nos delatum, ſed non tam feliciter pullulavit quam payomiriobæ, ut differentias harum plantarum non licuerit liquido obſervare.



IVAPECANGA Braſilienſibus, Sarcaparilla Hiſpanis. Caule ſarmentoſo, lignoſo, lento, viridi ſerpit, aculeos ſeu ſpinas hinc inde habente acutas. Folia ſolitaria, quinque, ſex, vel etiam duodecim digitos longa, exterius acuminata, & tres, quatuor aut quinque digitos lata, ubi latiſſima; in quibus tres nervi inſigniter conſpicui ſecundum longitudinem tendunt, tranſverſim autem multas minutas venulas habet vario flexu diſcurrentes; exterius dilute, interius virent ſaturate. Ad quemlibet cujuſlibet folii pediculum (qui brevior) duæ claviculæ prodeunt lentæ, longæ, quibus aliis plantis ſe firmiter annectit,

Flo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Flores fert racematim: ſequuntur dein baccæ, primo virides, mox cinnabriæ, ubi autem maturuêre, nigræ, rotundæ, magnitudine mediocrium ceraſorum: quælibet in umbella conſiſtit ſeu proprio breviori pediculo, quorum pediculorum decem aut duodecim uni longiori inſident. Baccæ autem rugoſæ ut ceraſa ſiccata. Intus continent unum aut duos lapides albo-flavos, duros, in quibus durus albicans nucleus. Datur & alia ſpecies hac validior. Vide Monard. cap. XXII.

ANNOTATIO. Fr. Ximenes. Mexicani vocant *Mecapatli* nobiliſſimam illam plantam quæ Hiſpanis dicitur *Sarcaparilla*, cujus in Nova Hiſpania plures reperiuntur ſpecies, quas hic ordine recenſebimus. Prima eſt quæ paſſim naſcitur in Hiſpania & præcipue in agro Hiſpalenſi, in campis & vallibus, quam quidam Botanici referunt ad Smilacem aſperam, quæ à Dioſcoride deſcribitur: hæc reperitur haud longe à Mexico in pago S. Fidei, juxta fontem cujus aquæ ſuaviſſimæ & ſaluberrimæ per aquæductus in civitatem deducuntur; itemque in *Tzonpango* & Provincia Hondura, unde potiſſimum infertur Europæ; de cujus figura nihil attinet dicere, quia Dioſcorides exacte illam deſcribit, neque illius facultatibus, quas obtinet eaſdem cum cæteris ſpeciebus; licet Dioſcorides nihil dicat de illius temperamento, neque virtute qua provocat ſudores & tollit dolores juncturarum atque aliarum partium, multaſque alias ſanat infirmitates graves ac pene incurabiles; ſed ſolum explicet illius vim qua reſiſtit venenis & inter alexipharmaca numeratur. Eſt itaque hæc planta ſpecies Sarcaparillæ; licet Hiſpani, qui nunquam adierunt Americam, non patiantur id ſibi perſuaderi, neutiquam tamen negabunt qui illam comparaverint cum cæteris ſpeciebus novi orbis, quanquam Americana non producat ſemen: verum haud inſolens homines faſtidire nota & peregrina atque longius petita admirari & magni facere. Eſt frigida & ſicca, licet non omnino careat partibus calidis & ſubtilibus, quibus movet ſudores & corroborat calorem ventriculi (& licet alii hoc negent) mundat renes & ureteres: Sanat morbos chronicos. Variæ & multæ ſunt opiniones de exhibendi modo, quas omnes hic referre nimis longum foret; ſolum monebo quomodo ſimplex decoctum fiat ad ordinarium potum, credo enim vix ullam domum ſine illo reperiri: Sume unciam unam Sarcaparillæ recentiſſimæ, ſiquidem facile poteſt haberi, & divide illam & conſcinde minute & cum quatuor azumbris (id eſt, octo ſextariis) aquæ tantiſper ebulli donec quarta pars conſumatur; reliquum bibitur ordinario. De liquore, quem ſolent præparare non pauciores ſunt opiniones, verum eſſem author iis qui in America Sarcaparillam ſunt uſurpaturi, ut utantur ſucco è recentibus radicibus expreſſo, (ſiquidem ubique ſunt obviæ) quatuor unciarum quantitate ſingulis vicibus; obſervavi enim mirabiles effectus, tam in lue venerea, quam in aliis morbis, & credo nullum magis ſalubre medicamentum poſſe reperiri. Ex Cluſ. edit. cap XXII. Doctor Monardes in priore parte ſui operis deſcribit ſyrupum è Sarcaparilla compoſitum cum aliis ſimplicibus, quem longe utiliſſimum eſſe ſæpe deprehendi, fit autem ad hunc modum: Sarcaparillæ unciæ duæ minutim conciſæ: Guajaci triti quatuor unc. Zizipha ſex & triginta, pruna paſſa XXIV. utraque oſſiculis repurgata: florum Boraginis ſemuncia, violarum tantundem: pugnus hordei mundati & fracti: in ſex aquæ ſextariis lento igne coquuntur ad quatuor ſextariorum conſumtionem, exprimuntur valide & colantur: & decem hujus decocti unciis, admiſcetur una ſyrupi violati. Calidus mane & veſperi ſorbendus datur, eodem ſervato ordine, qui ſolet in ejuſcemodi potionibus obſervari, ſudorem ſi quis ſubordiatur detergendo. Conceditur ab initio eſus pulli gallinacei exigui, & ſervatur idem ordo qui in uſu Guajacan, & bibunt aquam aut decoctum ſimplex quod modo deſcripſimus. Ea ratione curatur omne genus morbi gallici, atque aliæ etiam infirmitates, quæ uſu Guajaci aut Chinæ curari ſolent. Fit & alius ſyrupus, hoc modo: Sarcaparillæ octo unciæ conciſæ & confractæ in octo aquæ ſextariis ad ſex conſumtionem coquuntur; in binis qui ſupererunt ſextariis, ſacchari libræ IV. injiciuntur, fitque ſyrupus ut moris eſt. Hujus unciæ tres mane & totidem veſperi ſumuntur; prandium eſto è cibis boni ſucci, cœna ſobria, potus ex aqua Sarcaparillæ ſimplici. Eo utantur donec abſumtus ſit, quo tempore ad ſua negotia peragenda egredi non vetabitur. Curat hic ſyrupus pleroſque è morbis ſupra dictis ſine moleſtia.

Idem Ximenes; de ſpecie Sarcaparillæ quam vocant *Quauhmecatl*. Incolæ *Yauguitlan* vocant hanc herbam *Cocozcapatli* ſive *Cocoztic palancapatli*, Mechoacani *Yzhuatzoz* quæ eſt ſpecies Sarcaparillæ peregrina, habens radices ſurculoſas, è quibus ſaliunt caules volubiles, cum horridis ſpinis & multis capreolis, folia ejus ſunt ſimilia ocymo acuminata & curtata cum certis lævitatibus & nervulis qui diſcurrunt per longitudinem; nullum fert ſemen; pollet eiſdem facultatibus quibus cæteræ. Reperitur ad radices Vulcani haud longe à pago Atlatlaluca omnino ſimilis planta, verum radices ſunt tenues & fibræ graciles. Sunt qui omnes has plantas referendas putent ad ſpecies Chinæ, verum quia radices plurimum differunt, magis credendum eſt ſui generis eſſe plantas, licet figura foliorum, caulium volubilitate & ca-

preolis conveniant. Sunt frigidæ & ſiccæ omnes, & licet non omnes adſtringant, ſunt tamen utiles contra dolores juncturarum & alios quoſvis natos è lue venerea: & ad ſudores ciendos: inveterata ulcera ſananda, & morbos pertinaces & chronicos; adverſus vitia quæ nervis accidunt; pluresque infirmitates, ut vulgo jam notiſſimum eſt. Idem Ximenes: Quautimecapatli illa ſpecies, cujus radices in Hiſpaniam transferuntur, fert folia grandia figura cordis, caules volubiles & ſpinoſos, radicem ſurculoſam, fructum producit nullum: obtinet multos capreolos, qui illi ex omnibus partibus enaſcuntur. Naſcitur in campis Totopec & Miztitlan, verum optima creditur quæ provenit in Hondura, & potiſſimum infertur Europæ.

CAP. VIII.

Camaru. Inimboy. Altheæ ſpecies. Cararu. Sempervivum marinum bacciferum. Icipo. Perexxil.

CAMARU planta dicta Braſilienſibus; Solani veſicarii eſt ſpecies. Ex radice parva, alba, multis filamentis circumdata, enaſcitur caulis ſatis craſſus, quadrangularis, nodoſus, viridis, pilis albis veſtitus, qui in multos ſe expandit ramos itidem nodoſos, qui & ramulos profundunt, ut plurimum binos ſibi appoſitos: ad nodos folia naſcuntur duo vel tria, dilute viridia, ad tactum mollia, longis pediculis innitentia; figura cordis, craſſo modo in ambitu dentata, ſimilia foliis noſtratis ſolani veſicarii. Ad exortum foliorum in proprio pediculo, ex thecula rotunda prodeunt floſculi parvi pallide flavi, unica quidem parte conſtantes, ſed in quinque angulos expanſi; intra florem ſunt quinque maculæ obſcure purpureæ quaſi ungues, & quinque ſtaminula itidem purpurea. Quidam flores tantū quatuor angulos habent, & totidem maculas. Floſculi ſe claudentes ſtellam quadrangularē vel quinquangularem exacte referunt. Poſt quos ſequitur fructus pallide flaveſcens, ceraſi magnitudine, folliculo incluſus modo noſtratis Halicacabi fructus; nimirum pentagono, turbinato, cujus anguli lineis purpureis intexti. Pediculus fructus haud ita longus & itidem purpureus. Fructus comeditur & eſt ſapore fere ut noſtras Halicacabus. Herba cocta ſervit lavandis cruribus.



INIMBOY Braſilienſibus; ſpina illa quæ fert lobos illos echinoides Car. Cluſio memoratos: in cynoſbathi magnitudinem excreſcit; caudex & ramuli pleni ſpinulis hepatici coloris, lignum autem intus medulloſum inſtar ſambuci. Habet in quolibet ramo multos ramulos directe oppoſitos; in ramulis porro folia itidem oppoſita à quatuordecim ad viginti in uno ramulo, qui inter quodlibet par foliorum duobus munitur aculeis. Sunt autem folia læte viridia, ſplendentia, fere cylindracea, & unum circiter digitum longa. Flores fert in ſpicam congeſtos luteolos. Hos ſequuntur lobi ſpinoſi, hirſuti, coloris, cum maturuerunt, hepatici, in quibus ſingulis continentur duo globuli duriſſimi, cinerei coloris, glabri & ſplendentes, qui quaſſato lobo ſtrepitum edunt: nucleus interior ex albo flavus, amari ſaporis, inſtar Lupinorum. Lobus autem per maturitatem diſſilit & effundit globulos.

ALTHEÆ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ALTHEÆ ſpecies. Caulis rectus, teres, uno latere ruffeſcens, ad duorum aut trium pedum aſſurgit altitudinem, ramis multis hinc inde explicatis; folia ſingulatim poſita in pediculo tres aut quatuor digitos longo, in tres vel quinque lacinias ſecta, craſſe in ambitu ſerrata, nervis & venis ruffeſcentibus, ſuperne ſaturate viridia, inferne incana, hirſuta & ad tactum mollia. Ad caulem prope exortum foliorum & in ſummitate caulis & extremitatibus ramorum provenit flos egregie incarnatus, conſtans quinque foliis, ſtamineque in medio incurvato. Florem ſequitur ſemen, nimirum tot triangulares, hiſpidæ, adhærentes capſulæ gryſei coloris, juxta ſe in orbem poſitæ, quot folia flos habuit: in quibus ſemen triangulare, ſubrotundum, & figura lunæ gibbæ, coloris gryſei, magnitudine farris.



CARARV Herba dicta Braſilienſibus, Luſitanis *Bredos*, eſt ſpecies Bliti. Ex radice alba, ſatis craſſa, multi prodeunt caules, ab uno ad quatuor pedes alti, cum foliis ſimilibus Blito, quæ interdum quaſi farina videntur aſperſa. In ſummitate fert floſculos, virides ſpicatim congeſtos ut in Blito. dehinc ſemen provenit minimum, inſtar ſeminis papaveris minoris, rotundum, paulum compreſſum, nigerrimum, ſplendens, pelliculæ gryſeo fuſcæ incluſum.

Herba oleris loco coquitur ut Beta aut Atriplex, eſtque boni ſaporis & cito molleſcit cum coquitur.

Annotatio. Fr. Ximenes ſcribit in Nova Hiſpania reperiri multas ſpecies Atriplicis, tam ſilveſtres quam hortenſes, quas Mexicani generatim vocant *Hautiquilitl* & Hiſpani corrupto nomine Quilites; & ſtudioſe admodum colunt in ſuis hortis, præſertim quam vocant *Tlapalhuahquilitl*, quæ radicem habet groſſam, brevem, fibroſam; caules roſſos, folia oblonga & per interna ſerrata, ejuſdem coloris, quæ cocta manducantur & ſunt grati ſaporis, addito oleo & aceto.




An ſempervivum marinum bacciferum? In ſeſquipedalem aut majorem altitudinem aſſurgunt multi caules, digitum craſſi, lignoſi, fragiles, teretes, foliis circumcincti, eo modo quo Braſſica ſolet aut potius Portulaca: quæ ſunt egregie viridia, craſſa, ſucculenta, figura foliis Portulacæ ſimilia, verum longe majora & magnam Acetoſam æquantia. Inter folia in ſingularibus pediculis prodeunt floſculi, quinque foliis conſtantes, uno latere in ambitu ſerratis, albi coloris, figura caryophyllorum. Flores ſequuntur baccæ, magnitudine olivæ, nigræ, ſplendentes, ſucculentæ, carnem habentes inſtar nigrorum ceraſorum, multam; & nucleum in medio inſtar pruni, nullius apud incolas uſus.

Radix longa, recta, uno latere multa filamenta coacervata habens, lignoſa, albicans, ſed intus ſubflava.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ICIPO Braſilienſibus, cujus multæ ſunt ſpecies: circumvolvit ſe arboribus. Lignum ejus lentum, vimineum, cortice cinereo: folia dilute virentia, hinc inde in ramulis poſita, cõſpicuis venis tranſverſim prædita, quatuor circiter digitos longa, acuminata. In ramulorum extremitatibus multi prodeunt floſculi, conſtantes quinque foliolis albis, deorſum incurvatis; in medio autem habent multa ſtaminula coloris lutei, odoris ſunt ſuavis. Poſt flores ſequitur fructus, *quem tamen ab Authore noſtro deſcriptum non inveni.*



Annotatio. Dubito an hæc planta ſit eadem cum *Aparaqua* quam Fr. Ximen. ita deſcribit. Radices agit longas & per intervalla tuberoſas; è quibus ſaliunt multi caules, qui ſubeunt arbores & eiſdem ſe applicant: fert folia inſtar aurantiæ mali, flores albos & minutos, fructum nullum. Decoctum radicum hauſtum mitigat dolores è lue venerea natos; & eſt utile contra impeditam movendi facultatem.

PEREXXIL Luſitanis; Crithmum marinum non ſpinoſum poſſes vocare: ſemipedales aut paulo longiores caules adipiſcitur, teretes, nodoſos, ruſeſcentes, partim humo incumbentes, partim nonnihil ſe erigentes. Ad ſingulos nodos duo aut quatuor folia habet, hiſſopi æmula, ſed craſſiora ac nonnihil carinata, oppoſita. Superius autem capitulum oblongum ſive ovale eſt, album ut in Trifolio fere, pro flore, habens in ſe aliquot ſtaminula parvula crocei coloris.



Planta eſt ſucculenta. Folia & breves ramuli decerpti ac parum cocti ſuperfuſo aceto tanquam muria, condiri & ſervari poſſunt, & quando libet, cum carnibus aut piſcibus edi. Bene ſapiunt ac magni æſtimantur à Luſitanis: excitant enim appetitum, movent urinam & aperiunt viſcerum oppilationes.

PLANTA (*cui Auctor nomen non adſcripſit*) trium pedum altitudinem acquirit, multos caules ex una radice protrudens: qui craſſi, intus medulloſi, uno latere fuſci, altero Virides, alternatim proveniunt ramuli & folia, ſex, ſeptem & octo digitos longa, læte viridia, acuminata, ſplendentia, paulum rugata, in ambitu minimis dentibus ſerrata. Flores enaſcuntur in pediculis duos digitos longis, figura cornu venatoris, plus duorum digitorum longitudine, eximii rubri coloris, intus cavi: ex concavitate autem prominet ſtamen ex albo incarnatum, habens apicem magnum, fuſcum, pilis albis. Poſt flores ſequuntur poma rotunda,


ſtriata

ſtriata ut poma Amoris, intus diſtincta ut capita papaveris, ſemen quoque minimum & fuſcum continentia.

CAP. IX.

Ambuyaembo. Caacica ſeu Pheps major. Marrubrum. Innominata. Jetica. Ipecacoantia.

AMBVYAEMBO Braſilienſibus; Herba ſcandens, quæ aliis plantis & fruticibus ſe circumvolvit, caule ſuo ſarmentoſo inſtar Clematidis. Hinc inde ad caulem enaſcuntur folia unum atque alterum, in quorũ medio pediculus longus continens folium ſolitarie poſitum, ſunt autẽ folia figura cordis, lata, nervo craſſo in medio & venis obliquis decorata, dilute ſeu fere pallide viridia (quaſi paulum albedinis viriditati eſſet admixtum.) Hinc inde quoque fert florem egregiæ & pene mirabilis ſtructuræ; habet enim figuram ventriculi humani, & eſt magnus, quippe lõgus abſque proceſſu & caule ſex digitos fere. pediculus floris curvatus eſt, ſpithamã longus, viridis & ſtrioſus, repræſentans dextrum ſeu interius orificium ventriculi humani, pylorum dictũ; ab alia extremitate proceſſũ habet quatuor digitos longum, figura colli cygni elevati, ſed in extremitate retrorſum inclinatum, repræſentans orificium ſiniſtrum ventriculi ſeu ſuperius cardia dictum. Secundum longitudinem autem proceſſus ille ſuperius apertus ſeu fiſſus eſt. Ventriculo huic adnectitur ſeu deſuper incumbit tenuis membrana obrotunda, duplæ latitudinis quam Imperialis, innumeris venulis rubris varie intertexta haud male referens hepar humanum ventriculo incumbens. Totus flos coloris ex albo flaveſcentis, venis rubro-purpureis, majoribus ſecundum longitudinem, minoribus ſecundum latitudinem, intertextus, & inter venas quaſi rubro purpureo punctulatus: nullius tamen eſt odoris manifeſti.



CAACICA (*alia tamen ab illa quam Auctor ante deſcripſit*) Braſilienſibus, Peplis major floſculis albis. Ex radice alba, lignoſa, lacteſcente, paulo majori ſemipede, multi prodeunt caules, teretes, nodoſi, virides, uno latere rufeſcentes multis ramis donati, qui partim humi jacent, partim ſtant erecti: ad nodos caulium, & in ramulis bina folia oppoſita reperiuntur, in ambitu ſubtiliter ſerrata; ramulorum paulo minora iis quæ ad caules. In extremitate caulium & ramorum multi naſcuntur floſculi ſubtiliſſimi, albi, quatuor foliolis conſtantes: quos excipit triangularis capſula, in qua ſemen (*quod Author non deſcribit.*) Tota planta copioſe lacteſcit, quod lac commendatur à Luſitanis ad oculorum rubedinem & dolorem auferendum. Vide Carolum Cluſium Rar. Hiſtoriar. libro. VI. capite XI. & Dodon. libro XII. capite XVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

MARRUBIUM; *(quomodo hæc planta à Braſilienſibus appelletur ab Auctore notatum non inveni.)* Planta hæc in duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgit, caule ſtriato, nodoſo, leniter hirſuto: ad ſingulos nodos ramuli tres aut quatuor proveniunt; ut & folia; quorum antiquiora ſimilia ſunt Marrubii pannionici Car. Cluſii foliis, in ramulis autem junioribus Marrubii vulgaris.




Fert floſculos verticillatim poſitos, cœruleos, tribus foliolis conſtantes. *Quodnam ſemen ſubſequatur ab Auctore proditum non inveni.* Tota planta ſuaviſſimum odorem Marrubii ſpirat, & ad tactum eſt glutinoſa.

Planta hæc (*cui Author nomen non adſcripſit*) caule quadrato, piloſo, partim ſerpit, partim aſſurgit, bina folia ſibi oppoſita habens, longo pediculo innitentia, urticæ æmula, dentata, ſed obtuſiora in extremo ambitu. Ad ſingula paria pediculorum foliorum, alius pediculus longus exit, capitulum habens onuſtum floſculis oblongis galeatis, ſaturate purpureo-brunnis: ſaturatioribus quippe violis martiis, odoris fere ut Camaratinga.



IETICA Braſilienſibus; Congenſibus *Quiquoaquianputu*, Luſitanis *Batata*. Caule ſarmentoſo, lento, viridi, tenui, ſuper terram ſerpit, ſemper nova filamenta ingerens terræ, ex



quibus novæ radices generantur. Vnius aut duorum digitorum intervallo diſtant pediculi in caule ab invicem, quorum quilibet duos, tres, quatuorve digitos longus, in exortu incurvatus, folium ſuſtinens figura cordis, ut vulgo pingitur, vel etiam ad latera auriculas habens ut Ieticucu. Folia ſunt dilute viridia ſuperius & inferne quaſi caneſcentia. Nec florem fert nec fructum, ſed tranſplantatur ſcindendo in taleolas radicem & imponendo terræ, ita enim copioſiſſime augetur. Radices multas agit unus caulis, variæ figuræ; quædam enim quatuor, quinque, ſex digitos longæ, inſtar rapi craſſæ, quædam rotundæ, aliæ alterius figuræ: colore

ſunt

ſunt exterius albo flaveſcente, interius albiſſimo: præbent de ſe ſuccum lacteum. Coquuntur aut ſub cineribus aſſantur, ſuntque optimi ſaporis & præferendæ noſtris rapis. Batata recens contuſa & affuſa paucula aqua atque macerata, ſeipſam fermentando, fit potus, quo Braſilienſes utuntur. Quædam ſunt rubri coloris per totam ſubſtantiam, ac coctæ tingunt manus cæruleo: Cuticula eſt obſcure rubra; cultro conciſa nigreſcit inſtar atramenti ſcriptorii.

IPECACOANHA Braſilienſibus, ex radice ſpithamæ longitudine & ampliori, flexuoſa, nodoſa ſeu geniculata, multis filamentis lateralibus prædita, quæque corticem habet ſubruffum inſtar Tormentillæ, interius autem alba eſt, ac in medio habens medullam, à qua reliqua ſubſtantia viridis radicis detrahi poteſt, medullaque removeri; progeneratur unus aut alter caulis ſemipedalis aut paulo longior, teres, lignoſus, lentus, coloris cinereſcentis; partim terræ incumbens, aliasq; radices agens, partim ſurrectus. In uniuſcujuſque hujus ſũmitate ſex, ſeptem aut octo, ut plurimum, folia inſident, modo Herbæ Paris, ſuperius ſaturate viridia, inferius dilutiora, nervo uno ſecundum lõgitudinem & multis venis tranſverſis prædita inſtar foliorum Lupini, ad tactum ut folia Aſari, ſed molliora. E medio foliorum in proprio pediculo enaſcuntur decem, duodecim aut quindecim floſculi in capitulum congeſti, parvuli, albi, quinque foliolis conſtantes & totidem ſtaminulis albis. Poſt flores ſequuntur totidem baccæ brunnæ ſeu ſaturate laccæ coloris, magnitudine ceraſi ſylveſtris: bacca continet intus pulpam albam, ſucculentam cũ duobus granis ſeminis duris, flaveſcentibus, lenticularis figuræ.



Radix effoſſa in umbra non Sole ſiccari debet, recens ut & ſiccata ſuperamari ſaporis pungit linguam ſua acrimonia, proinde calidam in ſecundo gradu & ſiccam judico. Facultatem habet abſtergendi, meatus expurgandi ac infarctus exſolvendi.

Amat planta humidas ſylvas & in hortos tranſlata nullum ſumet incrementum, quia amat ſylveſtria. Vſus radicis, dragma una aut altera contunduntur, ac in poculo vini aqua mixti per noctem macerantur; mane leniter ebulliantur ac percolentur, bibit æger, per vomitum & ſeceſſum purgat, & non ſolum in dyſenteria, ſed etiam in affectibus ventriculi datur optimo ſucceſſu. Quo autem recentior eſt radix eo fortior. In quibuſdam plus ſuperne quam inferne purgat.

CAP. X.

Zinziber. Mucuna. Innominatæ. Ibati.

ZINZIBER (*quæ planta non videtur Braſiliæ naturalis ſed ex India huc traducta*) caule haud craſſo aſſurgit in pedalem aut etiam ſeſquipedalem altitudinem; folia habet xiphii ſeu gladioli, minora tamen, qualis & caulis. Radix non eſt ſimilis Iridi neque creſcit tali modo; ſed ad quindecim, ſedecim, plures paucioreſve digitos continuæ creſcunt, quæ dein-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

de fractura diſtinguuntur, alioquin conſtituentes radicem planam latam. Recens eſt exterius coloris inſtar lythargyri auri: intus vero flaveſcit; viridis ſaporis eſt fortioris quam ſiccata quæ ex India affertur, quæ ætate corrupta; noſtra hæc optima eſt. Quando cum caule & folio tranſplantatur, folia decidunt & poſt trimeſtre demum ſpacium nova generantur; ideo ſine caule ſola radix plantanda, nam facile creſcit. Habui interdum integram radicem parieti appenſam, quæ ibi progerminavit ad duorum digitorum longitudinem. Februario & Martio terræ commiſi & item egregie caulem & folia protulit. Magna quantitate hic ſaccharo conditur.



ANNOTATIO. Vide Garziam ab Horto lib. I. cap. XLI. Aromatum Hiſtor. & quæ Car. Cluſius & Vir doctiſſimus apud eundem de hac planta annotavit.

Fr. Ximenes. Quod Mexicani vocant Chilti, Orientis Arabes, Turcæ & Perſæ dicunt *Ginzibit*, officinæ *Ginziber*: duæ autem illius reperiuntur ſpecies; quarum una dicitur mas, altera fœmina. Mas habet folia magis aſpera quam Gingiber & craſſiora, verum ejuſdem figuræ: radicem quoque majorem & craſſiorem, ſaporis acris & aliquantum amari: uſurpatur adverſus affectus ventriculi & inteſtinorum è cauſa frigida; contuſam & irrigatam oleo è Coco applicant parti dolenti, eſt ſingulare remedium: prodeſt itidem adverſus potiones venenatas, & cum oleo jam dicto mixta imponitur vulneribus venenatis, eaque ſanat; dicitur majoris eſſe efficaciæ quam fœmininum. Indigenæ Philippinarum conficiunt ex illo vinum quoddam medicatum.

Fœmina eſt vulgare Gingiber: herba eſt duas tertias partes ulnæ longa, habens radices plenas nodis & tuberibus, atque decuſſatas, è quibus enaſcuntur caules ſimiles cannis, cum foliis longis & anguſtis, ſimiles Lilio, & in ſummitate eorum capitella, haud diſſimilia *Stæchadi*. Naſcitur pene in omnibus Americæ provinciis ubi ſeritur & propagatur tam per ſemen, quam per vivam radicem: nam quod ſponte naſcitur vile eſt. Colitur autem in ſolo pingui & bene ſtercorato atque culto, ſub umbra arborum: in terris calidis menſe Martio, dividuntur radices in partes pollicis magnitudine, quæ diſtantia quinque aut ſex digitorum, in ſcrobes altas ſingulæ diſponuntur & terra opertæ ſtatim rigantur, & poſtea bis ſingulis ſeptimanis; ubi autem prodierunt diligenter mundandæ ſunt & ſolum ſarriendum, ne detrimentum capiant: radices quotannis colliguntur ubi folia aruerint, quod fere fit initio Ianuarii: demitur autem exterior cortex & conjicitur in muriam, & hora aut ſeſquihorio maceratam exponunt Soli tantumdem temporis; tum ſub tecto ſuper ſtoreas collocatur donec omnis humiditas fuerit conſumta, niſi forte opus fuerit iterum aut tertio exponere Soli.

HERBA (*cui Auctor nullum nomen adſcripſit*) in duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgit, caule lignoſo, tereti: radice lenta, alba, filamentoſa. Caulis autem in ramos ſe pandit, qui alternatim oppoſita habent folia alata, unum, duos aut paulo plus digitos longa; nimirum quælibet ala continet duodecim aut plura paria foliorum viridium, ſimilium foliis Herbæ Vivæ. Ad quemlibet exortum alarum prodit flos brevi pediculo innixus, luteus, quinque foliis conſtans, quorum duo reliquis minora, ſine odore. Poſt florem ſequitur ſiliqua compreſſa, duos aut tres digitos longa, ſemen continens ut in Herba Viva.

HERBA (*cujus nomen Auctor noſter non prodit*) in novem aut decem digitorum altitudinem aſſurgit, inſtar arbuſculæ in multos ramos expanſa. Folia fert alternatim ſibi invicem oppoſita & Roriſmarini foliis ſimilia, ſed inodora: floſculos ſuperius in ramulis albos, parvulos, Polygonatæ æmulos & eodem modo diſpoſitos, radix tenuis, albicans.

MUCUNA Braſilienſibus: caule ſarmentoſo, ſatis craſſo, lento, altas aſcendit arbores & implicat ſe ramis: in quolibet pediculo duos, tres aut quatuor digitos longo, tria ubique folia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

folia ſibi invicem apponuntur, phaſeolorum more, oblonga nimirum tres aut quatuor digit. nervo & venis obliquis prædita, ſuperius ſaturate viridia, inferius albicantia & ſubtiliſſima lanugine ad tactum ſericum æquantia. In pediculo tres quatuorve digit. longo, qui ſuperius in plures breviores dividitur, proveniunt flores quatuordecim aut ſedecim juxta ſe, calicibus inſiſtentes inſtar ſiliquarum piſi: figura floris eſt quaſi duæ ſiliquæ piſi apertæ, una alteri inſerta eſſent: nam quinque foliis conſtat flos quilibet, quorum quatuor duos digit. ſingula longa, quintum unum digit. ſine odore, coloris flavi; in medio ſtamen fiſtuloſum pallidum, ſuperius multipliciter diviſum in fila, quorum quodlibet apicem habet fuſcum.



Flores ſequuntur ſiliquæ, ſpithamam longæ aut etiam longiores, tres digitos circiter latæ, exterius rugoſæ, utpote ſetis pungentibus, ruffis, præditæ; quæ non ſolum adhærent & pungunt, ſed etiam puſtulas ardentes excitant, quæ vix octiduo ſanantur & inſignem excitant pruritum: ſiliquæ maturæ exterius nigreſcunt & aperiunt ſe atque diſſiliunt: interior earum ſuperficies eſt inſtar matris perlarum, alba, ſplendida & quaſi polita: in qualibet continentur ut plurimum tres phaſeoli orbiculares, compreſſi, coloris luridi, cum ſemilunari macula nigra in uno latere, majores verticello. Floret plerumque menſe Iunio & Iulio. Fructus cum ſiliquis convenit cum anagyride Car. Cluſii Rar. Plantar. Hiſtor. pag. 93.



ANNOTATIO. Fallitur Auctor quod judicet cum fructu Anagyridis convenire, ut ex comparatione liquido apparet. Meminit autem hujus fructus Cluſius Lib. II. Exoticorum cap. XI. & ſcribit ſe lobos recentes accepiſſe è Pernambuco Macouna appellatione inſignitos; ſeque phaſeolos terræ commiſiſſe quorum unus tantummodo germinaverit, & in binorum cubitorum altitudinem excreverit: ſed, inquit, quum ſerius germinaſſet, ad frugem pervenire non potuit & præmatura hyems corrupit antequam ullum Floris etiam rudimentum dare poſſet.


Herba hæc (*cui nomen Auctor non adſcripſit*) humi ſerpit caule cavo, qui hinc inde folia obtinet in longis pediculis poſita, cordis figura atque Smilacis æmula. Flos albus, magnus, inſtar orbis menſarii minoris, uno tenui folio conſtans, in quinque angulos expanſo, ſubſtrata pallida ſtella quinquangulari. Sine odore eſt, nec lacteſcit hæc planta.

HERBA (*quam Auctor non nominat*) longe ſerpit caule ſuo ſarmentoſo, cinereo, paulum piloſo; qui duorum circiter digitorum intervallo folium habet brevi pediculo inſidens, quatuor plus minuſve digitos longum, figuræ cylindraceæ, nervo ſecundum longitudinem & venis aliquot obliquis conſpicuum, pallide viridis coloris. Prope quodlibet autem folium exoritur brevior pediculus, ſuſtinens tria foliola figura cordis, quibus inſidet flos campanulæ figura, albus, & in medio ſex ſtamina alba habens, apicibus umbræ coloris. Nigritæ Angolenſes hic veſcuntur foliis & floribus.

IBATI Braſilienſibus, planta caule ſarmentoſo, exterius cinereo, interius viridi, ſpongioſo, longe humi ſerpit, aut aliis plantis ſe implicat. Folia ſemper fert bina in ſuis pediculis ſibi oppoſita, figura cordis quando vetuſtiora, oblonga cum juniora, mollia ſubhirſuta, exterius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

paulum incana. in caule quoque multos ramulos ſurrectos ſolitarios, cum ſimilibus foliis appoſitis. Floſculos fert copioſos ad cujuſlibet folii pediculum, vario numero, ſine propriis



pediculis: quilibet autem conſtat quinque foliolis & ſtellam quinquangularem apte repræſentat: in medio habet obtuſum ſtamen, haud elevatum, cum coronula quadam: totus eſt pallide luteus, interius umbratus, inodorus. Hinc provenit fructus oblongus, ovalis, in extremitate acuminatus, magnitudine ovi gallinacei aut anatini, ex viridi ſubflavus, quando maturus, habens corticem craſſiorem aurantiis, exterius multis prominentiis inſtar aculeorum præditum: fundit de ſe ſuccum lacteum, glutinoſum, ita ut glutinis loco fungi poſſit: maturior aperit ſe, ac interius ſemina oblonga, nigra, inſigni ordine diſpoſita habet: quodlibet autem granum ſeminis habet floccum quaſi è pluma, coloris argentei ſplendidiſſimi. Hi flocci in extremitate fructus interius etiam junguntur, & ſuperior pars cavitatis fructus monſtrat ſemina, inferior floccos illos argenteos, jucundo ſpectaculo. Tota planta olet graviter, & copioſum lac habet albiſſimum.

CAP.

CAP. XI.

Seſamum. Innominata. Curuba. Iaee. Cururu ape.

SESAMVM, Congenſibus *Gangila*, Luſitanis *Girgilim*: caret nomine apud Braſilienſes, quia non eſt huic provinciæ naturalis, ſed ex Africa huc à Luſitanis tranſlata. Ex radice tenera, recta, multis filamentis prædita, exterius ruffa, interius alba, exſurgit caulis rectus, quadratus, viridis; cum foliis oblongis, haud latis, teneris, colore Atriplicis albæ, quæque quaſi farina inferius ſunt aſperſa, atque hinc inde poſita, plerumque tamen bina velut ſibi oppoſita, vel etiam alternatim poſita. Flores fert albos, cito decidentes, figura campanulæ: quos ſequuntur ſiliquæ erectè ſtantes ad caulem (non in ramis) virides, quadrangulæ, continentes ſemen copioſum, parvum, album, figura cordis: maturæ autem fiunt fuſcæ, & ſponte diſſiliunt, ita ut ſemen excidat.



ANNOTATIO. Fr. Ioannes de Santos Hiſtor. Æthiopiæ Orientalis lib. 1. cap. 4. In omnibus, inquit, his provinciis plurimum *Gergilim* reperitur, candidiſſimum & optimum, ex quo fit oleum, quod vulgo uſurpatur & comeditur ut in Portugallia olivaceum. Contunduntur ſemina in vaſe ligneo facto ad modum mortarii, grandi. Cafres (ita vocantur Nigritæ illius tractus) vocant *Chuni*, & Portugalli *Pilaon*. Poſtquam bene contuſum fuerit, & coactum in maſſam, exprimitur rite iiſdem lignis quibus contuſum fuit; effluitque oleum valde clarum: & amurca, quæ reliqua fit, comeditur à Nigritis, cum milio cocto loco butyri. Vide & Proſperum Alpinum de Plantis Ægypti. cap. 32.


HERBA (*quam Auctor non nominat, ſed cujus hanc dat iconem*) caule tereti, inferius nodoſo ſeu tuberoſo, piloſoque, aſſurgit in pedalem altitudinem, & in aliquot ſe pandit ramulos: folia ejus ſunt alternatim poſita, oblonga, & craſſo modo ſerrata, pallide viridia & parum piloſa. In ſummitate caulis & extremitate ramulorum enaſcitur flos flavus, ducati amplitudine, conſtans quinque foliis atque in medio habens ſtaminula lutea. Radix parvula & tota planta ſine odore.





CVRVBA Braſilienſibus, Cucurbitæ eſt ſpecies: primo protrudit duo folia cucumeris modo, ſibi oppoſita, digitum longa, figura linguæ, è quorum medio poſtea prodit caulis ſarmentoſus, humi repens aut ſcandens cucurbitarum modo, ac capreolis ſuis ſe annectens. Folia hinc inde cucumerum modo appoſita habet, ſingula ſuis pediculis longis inſiſtentia, in lacinias diviſa, inferius hirſuta, uti & caulis & pediculus, albicantia, ſuperius viridia & glabra: ſucceſſu temporis caulis glaber, ſtriatus ac viridis longiſſime ſerpit & interſtitio ſemipedis, ubique pediculum protrudit tres aut quatuor digitos longum, paulum incurvatum, cui folium inſidet ad tactum glabrum, viride, ſplendens, circinatum, ſeptem aut octangulum exterius, ſex aut ſeptem digitos longum & totidem latum aut paulo latius. Prope pediculum cujuſlibet folii clavicula prodit longa, contorta, arctè ſe implicans vicinis arboribus aut pedamentis appoſitis. Inter folia hinc inde in propriis pediculis naſcuntur flores: rudimentum autem floris eſt corpuſculum conicum ex viridi ſubflavum, in quinque foliola ex viridi flaveſcentia deorſimque incurvata deſinens; ex hoc corpuſculo prodit flos magnus, craſſis foliis, exterius glabris, interius hirſutis, dilute flavus & exterius lineis ſeu ſtriis vireſcentibus ſecundum longitudinem diſtinctus; pluſquam ſeſquidigitum altus, unico folio conſtans, verum ultra medietatem in quinque lacinias ſecto, ellipticæ ſuperius figuræ, in medio corpus rotundum

rotundum flavi coloris, magnitudine avellanæ, quod ſpeciem præbet inteſtinorum vituli, conſtatque tribus partibus ſeparabilibus. Fructus longus eſt circiter quindecim digitos, undecim craſſus, cortice glabro ut Pepo ex rubro purpureus. Caro ſeu pulpa ad flavedinem accedit, odoris dulci-acidi, inſtar pyrorum agreſtium, ſaporis ingrati, ideo non comeditur, ſemen continet copioſum, figura & magnitudine cucurbitæ ſeminis, ſed quod exterius in ſuperficie ſua fuſco eſt punctulatum in obſcure-flavo.



IAEE Braſilienſibus, Luſitanis *Balancia*, Belgis VVatermeloen, Melo aquaticus: caulem habet ſarmentoſum, hirſutum, humi ſerpentem, & multis capreolis ſe affigentem; folia profunde laciniata & inciſa, longa, ſtriata; Anguriæ Matthioli fere ſimilia; quodlibet inſidet pediculo ſeſquidigitum fere longo & caule humo affixa erecta ſtant folia. Flos parvus, flavus, quinque foliis conſtans, umbelico flavo: fructus rotundus ſeu globoſus vel etiam ellypticus cortice viridi, magnitudine capitis humani, aut paulo major vel minor; carnem habet albam & in medio rubram (nimirum ubi ſemina jacent) ſeu ſanguineam ſucculentiſſimam, boni ſaporis: tantam autem copiam aquæ dulcis, frigidæ, ut inter edendum tanquam è poculo hauriri poſſit. Semina continet multa cucurbitarum magnitudine & figura, in quibuſdam coracini, in aliis ruffi coloris, quæ inter frigida majora uſurpantur. Menſibus Decembri & Ianuario maxima habentur copia, quamvis toto anno reperiantur. Amat etiam ſterile & arenoſum ſolum, ſed ſi arena fimo mixto teratur, feliciſſime provenit & fructus fert ingentis molis.

Reperitur & hic Melo noſtratibus ſimilis, ſed plerumque major: carne viridi, ſemine albo; ſalubriores hi exiſtimantur quam apud nos, & plerumque à Luſitanis, initio prandii vel cænæ commeduntur. Eſt & alter carne viridi, priori per omnia ſimilis, excepto quod caro plane viridis & ſaporis præſtantioris.

CVRVRV APE Braſilienſibus. Planta caule ſarmentoſo ac lento, qui ſeſe arboribus ac fruticibus implicat, habens multos ramulos & in quolibet quinque folia, bina & bina ſibi oppoſita & quintum in extremitate: ſuperius viride ſplendentia, ſex inciſuras habentia ut ſerræ majoris dentes, eſtque inter hæc folia ramulus, utrimque alatus, ſive ambitur cordiali folio, ut in Inga arbore.

In extremitatibus ramulorum proveniunt longæ ſpicæ, onuſtæ floſculis ex albo & viridi luteſcentibus; poſt quos ſequuntur capſulæ, triangulatæ in ſummitate, prope exortum cylindraceæ, & ubi maturiores ovalis figuræ, exterius rubicundæ: quæ ſponte in tres partes dehiſcunt; cortex autem exterior rubicundus par craſſitie cortici mali, interius eximie eſt ruber, continetque quilibet fructus duas fabas Hiſpanicis albis magnitudine pares, eſtque quælibet involuta materiæ molli, albæ, nuci conſiſtentia ſimili, ad tactum frigidæ: ex illo albo involucro faba ſecundum longitudinem eminet, nigerrima macula ſplendens, ſeu potius ſemicirculo tali ſecundum longitudinem notata, reliqua pars fabæ fuſci coloris. Continet denique faba interius carnem fabaceam flavam. Aquis injecta necat piſces. Vide Iconem in præcedentibus apud. D. Piſonem, qui & plura obſervavit de qualitatibus hujus plantæ.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XII.

Avenqua. Aguape. Acetoſa. Iamacaru. Iaroba. Belingela. Camara Iapo.

AVENQVA ſive *Avenca* Luſitanis *(quod nomen apud Braſilienſes obtineat ab Auctore noſtro non proditur)* Aviantum Latinis, ſpecies eſt Adianthi, & quidem duplex major & minor, hic reperitur.





I. *Avenca major*, in duorum pedum altitudinem aſſurgit ex radice intus flava, extus nigricante, ſub terra ſerpente & multa habente filamenta. Caulis hujus tenuis, ſtriatus, ex brunno nigricantis & ſplendẽtis coloris, & lanugine quadam hepatici coloris veſtitus. Superius ramulos aliquot habet inordinate poſitos, qui, ut & caulis, folia habent alternatim poſita, quædam tres, quædam duos, quædam unum digitum lõga, dilute viridia, in ambitu dentata, atque ſingularis figuræ.

Nec florem fert nec ſemen.

II. *Avenca minor*. In eandem altitudinem aſſurgunt caules, ejuſdem cum priore figuræ & coloris, ſed non veſtiti lanugine, verum pulvere albo veluti farina quadam aſperſi. Folia alata alternatim poſita habet, variæ longitudinis à ſemidigito ſcilicet ad tres digitos; in extremitate enim caulium breviſſima ſunt. In quolibet folio alæ hæ alternatim poſitæ, interiores longiores, exteriores breviores, ſuperne ſaturate viridis coloris, inferius farina pulvere nigerrimo mixta aſperſo. Inferiores cauliculi progerminantes parum convoluti, & pulvere farinaceo plane albi ſunt.


Nec florem fert nec ſemen hæc quoque.

AGVAPE Braſilienſibus, *Goluaon* Luſitanis: Nymphea flore albo: folia noſtrati habet ſimilia, inferius multis venis implexis prædita: florem etiam talem, ſed qui conſtat duodecim foliis oblongis, acutis, anguſtis, albis, & quatuor foliis viridibus ſubtus, ſuavis odoris. Naſcitur paſſim in paludoſis fluviis.

ACETOSA Braſilienſis flore dilute purpureo. Caulis teres, viridis, ſucculentus: folia oblonga, lævia, ſolida & ſucculenta inſtar portulacæ. In ſummitate hujus caulis emergit alius caulis triangularis ſpithamæ fere longitudine, in cujus extremitate, quæ ramulos triangulares habet, naſcuntur multi flores dilute purpurei, quinque foliis conſtantes, ejuſdem coloris ut ſuccus ceraſorum rubrorum. Gratam aciditatem habet, & in acetariis utiliter uſurpatur.

IAMACARV Braſilienſibus, Luſitanis *Cardon*. Fruticibus aut arboribus adnaſcitur ſpinoſa hæc planta tenues radices habens quibus ſe illis inſerit. Folia ejus craſſa, triangularia, vario modo ſibi invicem appoſita ut in Ficu Indica: quodlibet folii latus digitum eſt latum ſubſtantiæ ſolidæ inſtar Aloës ſive Tunæ. Folia viridia, ſucculenta ſucco viſcido, haud manifeſto tamen ſapore præter herbaceum. In extremitatibus angularibus foliorum, ſeſquidigiti fere intervallo, ſpinulæ acutæ juxta ſe poſitæ ſunt quatuor cinereæ. Ad eaſdem etiam extremitates provenit fructus, cujus rudimento facto octo digitorum longitudine provenit in ejus ſummi-

ſummitate flos exterius conſtans quadraginta circiter foliis, viridibus, anguſtis, tres aut quatuor digitos longis, interius autem circiter viginti albiſſimi, latioribus quam viridia illa, in medio copioſiſſima ſtamina flava, luteis apicibus, ſpongiformibus; & in medio horum columna flava rotunda, ſuperius in multas partes ſciſſa & diducta. Flos dulcis & nauſeabundi odoris. Fert fructum ovalem magnitudine Strobili & talis figuræ, eminentiis triangularibus conſtantem. Totus fructus corticem obtinet cortici aurantii mali æqualem, interne & externe colore Laccæ Florentiæ humectatæ, elegantiſſimo (triangulatæ autem eminentiæ ſeu acumina ſunt ex viridi flava) ſeu laccæ & cinnabrii mixtorum: intus continet carnem ex albo cineream, ſucculentam, ſapidam, refertam ſeminibus nigris ſplendidiſſimis, magnitudine & colore ſeminibus Aquilegiæ ſimilibus; quæ una cum carne comeduntur.



Vide & alias ſpecies in deſcriptione Arborum quibus innaſcuntur.

BELINGELA Luſitanis; Melongela Latinis; *Tongu* Angolenſibus; *Macumba* Congenſibus. Ex radice dupla vel tripla, aliquot prodeunt caules, rotundi, varie flexi, lignoſi, partim ſerpentes; partim erecti, minimum digitum craſſi vel circiter, ex viridi hinc inde purpuraſcentes: quibus hinc inde folia adnaſcuntur, pedem longa, majora aut minora, ſeptem aut octo digit. lata, laciniata, obſcure virentia, nervo & venis purpuraſcentibus, braſſicæ noſtræ æmula, cujus etiam odorem habent. Flos lacteus eſt dilute purpureis venis intertextus, unico folio conſtans, quod inſtar ſtellæ quinquangularis expanditur ſolidi hollandici amplitudine; in medio autem decem ſtamina lutea cylindracea unum album circumdant: florem ſequitur fructus, uti flos inter quinque folia poſitus, magnitudine ſilveſtris pomi aut etiam pomi colochintidis, vel etiam major, rotundus, lævis, ſplendens, exterius albicans, multis ſtriis viridibus, vel etiam exterius viridis & purpurei partim coloris, quando maturus flavi: interius carnem habet albam, multa ſemina inſtar Seſami continentem. Naſcuntur autem duo vel tres juxta ſe invicem, in proprio quilibet pediculo. Coctus fructus comeditur cum oleo & pipere, habetque ſaporem citrii.



Confer cum Dodonei Melongela vel malis inſanis.

ANNOTATIO. Planta hæc nequaquam convenit cum Melongela vel malis inſanis Dodonei, neque foliis, neque floribus, ne quidem fructibus, ut facile animadvertet qui ipſum Dodoneum conſuluerit lib. XV. cap. XXXI. ita ut Auctor noſter in eo fuerit deceptus. Meminit & Melongelæ Mathiolus in Dioſcorid. lib. 4. cap. 71. in quo agitur de Mandragora: & ſane ſi bene advertas majorem cognationem habet hæc planta, ſi fructum ſpectes, cum Mandragora, quam cum malis illis inſanis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

IAROBA Braſilienſibus dicta *Caſaca amargoſa* Luſitanis. Altiſſimas arbores hæc planta





aſcendit, caule lento, tereti, qui hinc inde in longis pediculis tria folia appoſita habet Phaſeoli modo, ſunt autem plane ſimilia foliis Mucuna. Fructus autem ſimilis fructui Cuete, ſed ut plurimum minor, eadem pulpa, iiſdem ſeminibus, ejuſdem quoque uſus.

CAMARA IAPO Braſilienſibus; Mentha corimbifera Cordi, Balſamina officinarum. Herba D. Mariæ, Mentha græca Mathioli. Luſitanis *Mentaſtro*. In pedalem aut bipedalem altitudinem aſſurgit, caule tereti ruſeſcente, lenibus pilis hirſuto. Folia autem hirſuta, inferius quaſi incana, acuminata, lata, in ambitu ſerrata, figura foliorum urticæ minoris. Conſiſtunt folia ad exortus ramorum in ſuis pediculis bina oppoſita cum parvulis aliquot junctis. In extremitate autem ramulorum & præcipue in ſuperioribus ramulis caulis, multi prodeunt pediculi, qui umbellatim flores ferunt, Tanaceti modo, conſtantes multis ſtaminulis meris, lacteſcentis & dilute cærulei mixti coloris. Semen profert nigrum, oblongum, exile, quod maturum pappis evolat. Floret toto anno: odor plantæ ut Menthaſtri ſed fortior; ſapor amaricans. Calida eſt & ſicca. Radix tenella multis radiculis conſtans.

ANNOTATIO. Mathiolus in Dioſcorid. lib. 3. cap. 35. Cæterum, inquit, eſt & herba paſſim in hortis creſcens, folio Salviæ longiore, latioreque, Betonicæ æmulo, undiquaque ſerrato, in viridi albicante & caulibus bicubitalibus & aliquando majoribus: in quorum cacumine flores exeunt corymtacei, colore melino, Tanaceti modo. Planta in univerſum amara eſt, ſubadſtringens & graviter odorata. Goritienſibus hæc vulgo vocatur MENTHA græca: in Hetruria vero Salvia Romana, quod potius foliis Salviam referat, quam Mentham, quin & herbam Divæ Mariæ nominant, &c. Porro non videtur eadem planta quam Auctor deſcribit cum illa Mathioli, nam folia Braſilienſis ſunt acuminata, cum illius ſint obtuſiora; congeneres tamen opinor, & ejuſdem qualitatis, uſuſque in medicina.

CAP. XIII.

Hydropiper. Caapeba. Caaetimay. Embuayembo. Tajoja. Serpentaria major. Erva do Capitaon. Caapomonga.

HYDROPIPER Luſitanis *Erva pulgera*. Caulem habet teretem, nodoſum, viridem, & ad nodos ruſeſcentem: folia ſimilia foliis ſalignis, in ſummitate ramulorum proveniunt ſpicæ florum tenues & longæ, plenæ floſculis albis. Fert ſemen triangulare, ſplendens, obſcure brunnum ſeu fuſcum, parvum. Radix eſt inſtar capillorum longorum, fuſcorum, quibus ſub aqua ſe ſuſtentat: nam caules oblique ſub aqua natantes, ad nodos copioſas habent fibras capillatas. Herba urit linguam inſtar piperis.


Luſitani utuntur ad purganda vulnera ulceroſa loco Cauſtici.

Confer Dodoneum lib. xx. cap. 32.

CAAPEBA Braſilienſibus, Luſitanis *Erva de Noſſa Sennora*, aut, *Cipo de Cobras*: Scanſilis planta, caulibus teneris, rotundis, viridibus, admodum lentis. Folium quodlibet ſeorſim poſitum in caule, in ſuo pediculo ruſeſcenti, duos digitos longo & in exortu paulum incurvato, orbiculare vel cordis latioris, uti pingitur, figura, conſiſtentia folio perfoliatæ ſimile, ſuperius dilute virens, inferius albeſcens: (in quibuſdam plantis folia pene omnia ſunt rotunda) pediculus autem folii cujuſque non inſeritur in fimbriam ſeu extremitatem folii, ſed plus dimidio digito ab ora verſus medium folii, ut fit in Naſturtio Peruviano. Ad pe-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

diculos foliorum etiam pediculus provenit ſeſquidigitum longus, floſculum ſuſtinens pallide flaveſcentem, octo foliis conſtantem hoc modo; quatuor ſuperius adpoſita ſunt parva, obrotunda, his ſubſtat amplum obrotundum, adhuc magis inferius tria parva alternatim poſita. In ſummitate pediculi inter quatuor ſuperiora foliola, granum provenit magnitudine parvi piſi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum. Radix longa quaſi contorta.



Planta hæc nullum habet odorem præter herbaceum. Folia ſingulare ſunt remedium contra morſus venenatorum animalium, ut ſerpentũ, &c. tam in hominibus quam in beſtiis, ſi morſui paulum contuſa imponantur: curantur enim morſus ſine ullo alio impoſito medicamento. Radix contra calculum excellentiſſima & eſt illa quam Luſitanus dabat D. vander Duſſen, optimo ſucceſſu.

CAAETIMAY Braſilienſibus, eſt Herba quæ in trium pedum altitudinem excreſcit, caule viridi, intus medulloſo, quem ab ipſo exortu numeroſa ambiunt folia, quatuor digitos longa, anguſta, per ambitum inciſa, lævi hirſutie prædita (ut & caulis) & molli lanugine paulum incana. Caulis ſuperius in quatuor, quinque, ſex aut ſeptem ramos ſe ſpargit, & foliola parva obtinet, foliis hyſſopi figura ſimilia: in ramulis autem multos fert floſculos, florum Senecionis ſimiles, pallide flaveſcentes, qui in pappos deſinunt, vento diſſipabiles. Folia hujus plantæ acrem & calidum ſaporem habent, ac cocta, contuſa, atque illita ſanant ſcabiem in quacunque corporis parte.



EMBVAYEMBO dicta Braſilienſibus, Luſitanis corrupto nomine *Occoembo:* Herba radicem habet digitum craſſam, interius medullam lentiſſimam continentem, varie contortam exterius fuſcam, interius albicantem. E qua producit Caulem lignoſum; teretem, viridem, ſeſqui aut etiam duos digitos longum, foliis hinc inde onuſtum, quæ inſident pediculis digitum longis, tenuia, tenera, duos aut tres digitos longa, læta viriditate ſplendentia, nervo & venis prædita, quibus inferiore latere adhæret pulvis fuſcus, quemadmodum in Lingua cervina. *Floris aut ſeminis non meminit Auctor.* Sapor radicis eſt acris.

TAIOIA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

TAIOIA Braſilienſibus dicta. Herba ſcandens & longiſſime ſerpens atque aliis herbis & fruticibus ſe implicans. Caulem habet ſtriatum, lentum, viridem, & ad eum certis quibuſdam intervallis folia ſolitarie poſita: quodlibet pediculo ſuo alato prodiens, tres, quatuor aut quinque digitos longum, in tres lacinias diſſectum, tenerum, ad tactum tamen nonnihil hiſpidum, & viride: quælibet autem lacinia ſuum nervum & venam habet. In ambitu denique foliorum denticuli minimi prominent inſtar cuſpidum acicularum. *Florem aut ſemen non deſcripſit Auctor.*



SERPENTARIA MAIOR ſeu dracunculus major polyphyllos, Luſitanis *Erva de Sta Maria.* Caulibus aſſurgit ad duorum pedum altitudinem, rotundis, digitum craſſis, ex viridi, flavo & albo variegatis inſtar Serpentis; quilibet folium gerit, circumferentia folii Peoniæ, in quatuor aut quinque lacinias diſſectum, continetque quælibet lacinia nervum craſſum & varie in ambitum exſectum eſt, pluſquam Hieracii aut Chondrillæ folia: ſunt autem glabra & viridia. Inter caules foliorum etiam exſurgit caulis ut reliqui, è cujus ſummitate prodit vagina, pedem aut amplius longa, plus quinque digitos craſſa, in extremo acuminata, quæ ſe aperiens pediculum ſatis craſſum monſtrat, ad quem ſpicæ in modum, ut in milio Indico, compoſita ſunt grana, milii magnitudine, ſtriata, rotunda, ſucculenta, quinque aut ſex particulis compoſita, primo viridia, hinc flava & punctulis rubris ſubtilibus variegata, ubi maturuerunt, rubra. In his granis continetur ſemen figuræ ovalis, nuclei interioris ceraſi magnitudine.

Radix hujus plantæ rotunda eſt, pomum majus æquans aut etiam ſuperans, cuticula ex albo ſubrufeſcente prædita; ſuperius ubi caules erumpunt, multa habens filamenta. Acris ſaporis eſt inſtar Ari.

Commiſi aliquot harum radicum terræ menſe Auguſto anni CIϽ IϽ C XXXIX. & progerminarunt demum anno CIϽ IϽ C XL. Februario menſe. Ita hic ægre aliquid provenit plantatum ſeu ſatum menſium æſtivorum initio, ob ſiccitatem & æſtum. Addo etiam in maritimis locis ubi ſolum arenoſum. In hortis autem mediterraneorum locorum longius à mari diſſitorum, qui rigari aqua dulci poſſunt, circum circa ductis rivulis, uti fieri ſolet æque æſtivis atque hybernis menſibus, ſata & plantata probe ſumunt incrementum.

ERVA DO CAPITAON Luſitanis: Radix recta, teres, geniculata, alba ſub terra ſerpit, & ad genicula, unius aut duorum digitorum intervallo diſtantia, multa agit filamenta tenuia, &



ibidem caulem duos aut tres etiam octo aut decem digitos altum protrudit, exilem, teretem, fiſtuloſum, ex albo purpureum inferius medio, in filum lentum habentem: quilibet autem caulis fert ſuperius unicum folium rotundum læte viride, ut Nympheæ, ſed non ita ſolidum, in ambitu crenatum, more folii Vmbelici Veneris: caulis in centro folii aut circiter inſeritur, & ex centro inſertionis tenues venæ ad circumferentiam diſperguntur. Radix contrita odorem & ſaporem habet radicis Petro Selini. Luſitani utuntur ad maculas corporis delendas, *Os Figados* vocant.

CAAPOMONGA Braſilienſibus dicta, Luſitanis *Erva do vina*. Radicem habet ſemipedem pene longam, lentam, tenuem, rectam, aliis radiculis interdum præditam, exterius croceam,



(cum primum eruitur, ſed poſtea dilute umbræ coloris evadit) interius candidiſſimam, ſubdulcis ſaporis: è qua prodeunt caules tres vel quatuor, octo aut novem digitos longi, rotundi, nodoſi, virides, ex parte ruffi; partim humi ſerpentes, partim ſurrecti. Ad nodos autem prodeunt ramuli, in quibus itidem ad genicula duo, tria vel quatuor folia ſibi apponuntur, aut opponuntur, digitum longa, mollia, ſuperius ſaturate viridia, inferius incana: quodlibet inſidet ſuo pediculo ſemidigitum longo, nervis conſpicuis præditum. In ſummitate caulium rami ſunt continentes floſculos parvos umbellatim poſitos, dilute rubro purpureos. propter exilitatem eorum conformatio conſpici non poteſt, ſed adhibito Megaſcopio, apparet hos floſculos eſſe inſtar florum campanulæ ſuperius dentatos, habentque in medio duo ſtaminula rubro purpurea, figuræ ut campanula habere ſolet, paulum extra floſculum prominentia duobus apicibus. Erumpunt è conico cylindraceo corpuſculo viridi, quod antequam ſe aperiat hiſpidum eſt & pingue, ita ut facile adhæreſcat veſtimentis, unde Luſitani vocant *Carapicos*. Floſculi delineati ut per Megaſcopium videntur.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XIV.

Cara, Inhame. Camaranbaya. Innominata. Quingombo.

CARA Braſilienſibus, *Inhame de S.Thome*, Congenſibus *Quiquoaquicongo*; planta eſt caule quadrato, ad angulos pennato, viridi, hinc inde rufeſcenti, paululumque contorto; lon-



giſſime ſerpit ſuper terram aut etiam ſepes aſcendit, tamque late ſe propagat ut integri hortuli duodecim decempedas in unoquoque latere habentis aream unica planta facile occupet. Caulis enim & ramuli ejus hic illic terram contingentes protrudunt fibras atque alias agunt radices; quinimo ſi terram attingere non poſſint, nihilo minus has radices producunt, ſed quæ propter defectum nutrimenti ad juſtam magnitudinem nequeunt pervenire, ita luxuriat natura in hujus plantæ propagatione. In caule, ſeptem, octo, aut novem digitorum interſtitio, duo pediculi enaſcuntur appoſiti, quinque aut ſex digitos longi, itidem quadrati & pennati, quibus inſident folia, Sagittalis noſtratis aut vomericis poſteriori parte circinati figura, novem aut decem digitos longa, circiter ſex lata, ubi latiſſima: læta viriditate ſplendentia, ſatis ſolida, ſeptem aut novem nervis ex pediculi inſertione prodeuntibus & per longitudinem excurrentibus, inferius prominentibus, ſuperius profunde jacentibus: in extremitate ſunt acuminata, acumine molli digitum longo ut in vomere prominente. Copioſum liquorem aqueum fundit caulis inciſus inſtar lachrymarum vitis. Radix craſſa eſt plus uno pede, octo, novem & duodecim digitos longa & plus quoque, cuticula ex cinereo fuſca veſtita, ſub qua flaveſcit, intus carnem albam, ſucculentam & quaſi lacteſcentem habens.

Nata mihi radix in Horto ann. 1640. quæ magnitudinem habebat Aquariæ Allemannorum. *Bottinam* vocant Luſitani. Cocta cum butyro, vel oleo & pipere condita bene ſapit; ſicca tamen eſt & farinam refert, unde & pro pane à Guineenſibus uſurpatur. Habui tales radices ad parietem pendentes & progerminantes in muſæo meo, quas XXI. Novembris anni 1640. terræ commiſi & feliciter augmentum cœperunt. Ecce illa planta quæ progerminare è radice cæperat menſe Ianuario anni 1640. terræ à me commiſſa, quæque tam late ſe propagarat menſe Iunio dicti anni, in extremitate caulis ſenioris, multas quaſi ſpicas producebat, in quibus multa triangulata & turbinata corpuſcula adhærebant ſuperius, rudimenta habentes parvi floris lutei; interius autem inſtar burſæ paſtoris cava compreſſum ſemen indicabant:

ſed

ſed quamvis ultra duos menſes ita ſtarent numquam tamen flos ſe aperuit, nec in capſulis aliud factum, ſed perierunt denique omnia propter æſtatis calorem.

CAMARANBAYA Braſilienſibus. Lyſimachiæ ſpecies fruticeſcens. In quatuor pedum altitudinem aſſurgit, & dividitur in multos ramos, ruffos, piloſos. Folia ſolitarie poſita in brevibus pediculis, oblonga, hirſuta; ad quorum quodlibet floſculus provenit, calice fere duos digitos longo, cui inſident quatuor foliola viridia, & cuiq; ex his ſuperſidet foliolũ flavum, conſtatque quilibet flos quatuor foliolis flavis. Ex calice floris fit ſiliqua, ut in Filio ante patrẽ Lobelii, quæ ſemen cõtinet minutulũ, rotundum, ſplendens, coloris ex pallido ſubflaveſcẽtis. Fert florem & ſemen ab Aug. in Novemb.



Reperitur hîc & alia ejus ſpecies priori fere ſimilis; quæ in ſeſquipedem adoleſcit, caule anguloſo, ſtriato, nodoſo, viridi: ad quem folia poſita vel ſolitarie, vel majus cum uno aut altero minore: majora tres circiter digitos longa, anguſta, ſalicis modo, mollia, dilute viridia: ad exortum foliorum calix eſt digitum longus, cui quatuor foliola viridia, quibus quatuor flava ſuperſtant, obrotunda, facile decidua: in calice poſt florum caſum naſcitur ſemen.



PLANTA, (*quam non nominat Auctor, ſed hanc ejus dat Iconem*) Caule haud lento ſerpit, & aliis plantis ſe implicat: folia fert in pediculis, duos, tres aut quatuor digitos longis, cordis, ut pingitur, figura, mollia, dilute viridia: In pediculis autem duos aut tres digitos longis, & ſuperius in quatuor aut quinque diviſis naſcuntur totidem flores, Smilacis florum æmuli, albi & ad medietem extremam, diluta purpura mixti, in medio floris exſtat ſtamen album purpuraſcens: in ambitu vero interiori flos egregiam ſtellam quinquangularem

gularem repræſentat, quaſi in illum impreſſa eſſet, albi coloris uti flos. Poſt flores enaſcitur triquetrum corpus, fuſcum, ſubrotundum, in tres capſulas diviſum, in quarum qualibet granum ſeminis eſt fuſcum, magnitudine & figura medii piſi inæqualiter diſſecti. Flos inodorus ut & planta, ſine ſapore manifeſto.




QVINGOMBO Luſitanis, Congenſibus & Angolenſibus *Quillobo*: in duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgit, caule craſſo, rotundo, hinc inde nodoſo & ruffo: pediculos protrudit variis locis alternatim poſitos, ſex aut ſeptem digitos longos, partim ruffos, partim virides; quorum quilibet ſuſtinet folium laciniatum, in quinque lacinias ſectum, ac toto ambitu ſerratum, magnitudine fere ſimile folio ficus, ſuperius obſcure, inferius dilute virens, ac ibidem nervum ruffum & venas virides habens. In ſuperiore caule, in pediculis brevibus, craſſis, tres aut quatuor magni naſcuntur flores, quinque foliis roſaceis majoribus conſtantes, ſulfurei coloris, unguibus brunno-purpureis, qui intus & extus apparent: in medio ſtamen craſſum ſulfureum, apicibus flavis, & ſummitas ſtaminis purpurea. Fructus ejus pericarpium eſt, tres digitos longum, pyramidale, novangulare, initio viride, per maturitatem fuſcum: conſtans alba & parum glutinoſa carne, cortice craſſo inſtar mali aurantii; intus in octo loculamenta longa diviſum; in quovis duplex ordo ſeminum rotundorum, magnitudine ſeminis cannabis continetur, & quodlibet granum ſuo petiolo eſt appenſum. Pericarpium hoc viride odoris eſt leguminoſi & ſaporis ſubdulcis: coquitur totum in aqua & coctum comeditur cum oleo, aceto & pipere: quo immaturius eo melius ad coquendum.

Radix alba eſt, haud magnæ molis, multas radiculas & filamenta habens, lenta, & nullius manifeſti ſaporis.

CAP. XV.

Innominata. Caa ataya. Erva Cidreira. Innominatæ duæ. Tupaipi. Innominata.

PLANTA (*cujus Auctor quidem dat Iconem, ſed non annotat quo nomine à Braſilienſibus appelletur,*) in ſemipedalem aut pedalem altitudinem aſſurgit, caule tereti, ex viridi albicante,



lanuginoſo, quaſi ei goſſypium adhæreret. Habet autem hinc inde à terra multos ramulos longos & folia ſolitarie poſita, inæqualis magnitudinis, quædam tres, duos, etiam tantum unum digitum longa, in ambitu criſpata, figura fere folii Senecionis. In extremitate caulis & ramulorum naſcuntur flores ſpicatim congeſti, parvuli, ſplendentes, ex argenteo ſubflavi, figura pene ut flores Abſinthii. Poſt flores ſtellulæ ſplendentes argenteæ remanent. Radix exilibus conſtat filamentis. Tota planta ſemper videtur quaſi goſſypio obducta. Odorem habet ſingularem fere ut Dyctamnum Creticum.

Folia recentia contuſa impoſita culicum & muſcarum morſus ſeu ictus ſanant.

CAA ATAYA Braſilienſibus. *Erva de purga de Iuan Paez* Luſitanis. Ex tenui radicula alba in pedalem aſſurgit altitudinem, caule quadrangulari, pallide viridi, geniculato, tenui,

qui partim terræ incumbens, ad genicula iterum radices in terram agit parvulas, partim erectus ſtat.



Ad quodlibet geniculum, duo foliola ſibi opponuntur, nummulariæ figura & magnitudine ſeu rectius Veronicæ aut Chamædruos, in ambitu ſerrata, & pallide viridia. Ad quodlibet par foliolorum floſculus minimus provenit, quaſi galeatus, albus. Poſt hunc naſcitur ſiliquula grani avenæ magnitudine & figura, quæ ſponte ſe aperiens, ſemen effundit minimum, rotundum, obſcure flavum, minus ſemine papaveris minimi. Nullius odoris eſt planta ſed ſaporis amari. Hæc planta contuſa, cocta in aqua ac pota, purgat egregie per ſuperiora & inferiora.

Erva Cidreira Luſitanis: in quatuor aut quinque pedum altitudinem aſſurgit, caule ſtriato, geniculato. Ad quolibet geniculum duo rami ſibi oppoſiti naſcuntur & itidem duo folia oppoſita, tam in caule quam in ramulis. Folium quodlibet duos aut tres digitos longum, acuminatum & in ambitu ſerratum, brevi inſidens pediculo. In ſummitate caulis & ramorum ſpica provenit duos aut tres digitos longa, habens floſculos minimos, dilute cæruleos, multo albo mixtos. Tota planta maximi odoris, nec ante annum quamvis ſiccæ odor minuitur, gratior quam Meliſſæ cum cytro mixtæ.



Herba (*quam Auctor quidem non nòminat, ſed hanc dat Iconem*) in duorum pedum aſſurgit altitudinem, ex radice tenui gryſea: caulis eſt teres, lanuginoſus, in quo ab infima parte duo ſemper ſibi appoſita habet folia, digitum longa, in ambitu dentata & in utraque ſuperficie piloſa, nervo & venis obliquis intertexta, foliis Hederæ ſeu Teucrii aliquantum ſimilia. Ad bina quælibet folia aliquot parva appoſita ſunt foliola.

Caulis in ſummitate in caudam murinam longam extenditur, ac in eo alternatim (ut in Myuro) flores dupli ſtuferi magnitudine, circinati, in quatuor quaſi folia ſecti, inſigniter rubri figura florum Lychnidis, in medio unum ſtaminulum albeſcens exſtat parvum. Tota planta caret odore.



Tupa ipi Braſilienſibus, Luſitanis *Cebola albaraa*; eſt ſquilla: Bulbum habet album, rotundum, pomi noſtratis magnitudine, cuticula tectum umbræ coloris, qui inferius multas agit radiculas, quaſdam ad novem & decem digitos longas: producit porro, duo, tria aut quatuor folia, pedalis aut ſeſquipedalis longitudinis, quatuor digitos lata, ubi latiſſima, craſſa, ſucculenta, dilute viridia, ſplendentia; lineis ſecundum longitudinem & latitudinem viridioribus quaſi texta.

Herba hæc (*quam Auctor non nominat, ſed cujus hanc nobis dat Iconem*) ex arida radice pullulaſcit, atque in bipedalem aſſurgit altitudinem; caulibus ab ipſa terra adpoſita ſunt folia, quæ figuram & conſiſtentiam habent foliorum Auriculæ muris, lanugine quadam per totum incana. Verſus ſummitatem caulis rariora & minora ſunt folia, atque in ejus extremitate eſt ſpica mollis ſive piloſa, coloris è gryſeo argentei, ferens floſculos quatuor, quinque, ſex aut etiam plures, ſtuferi Hollandici magnitudine, conſtantes quinque foliis cæruleis. Quilibet autem flos intra ſe lacteam ſtellam quinquangularem repræſentat, ac in ſui medio ſtaminula aliquot habet alba.

Planta tota penitus caret odore.

Abutilon Avicennæ, vulgo hîc Malva appellatur atque etiam illius loco uſurpatur. Vide Dodoneum.

MANDATIA Braſilienſibus eſt Lablab Aſpini; de quo vide Car. Cluſ. Rar. Hiſtor. pag. CCXXVII. Planta hæc ex Africa in Braſiliam tranſlata; Phaſeoli ejus cocti comeduntur.

CAP. XVI.

Nana ſive Annanas. Tareriaya. Arapabaca. Vrucatu.

NANA Braſilienſibus, *Ananas* Luſitanis, *Iajama* Oviedi Carol. Cluſ. Rar. Hiſtor. lib. II, cap. IX. Strobylus aut Nux pinea Monard. cap. LXIII. Ex radice proveniunt quindecim aut plura folia Aloë foliis æmula, duos atque etiam tres digitos longa, unum aut ſeſquidigit. lata, ubi latiſſima, verſus extremitates anguſtiora & acuminata, craſſa, ſaturate viridia, in ambitu denticulis prædita, inſtar dentium Lucii: in medio horum capitulum provenit inſtar Cinaræ fructus, ejuſmodi foliolis acutis compoſitum, inſignis Cinnabrii coloris, quod ſucceſſu temporis augetur, figura inſtar Strobyli, & dum augetur inter foliola ejus prodeunt floſculi cærulei, tribus foliolis ſinguli conſtantes. Folia plantæ magna interius ad partem qua fructus inſidet etiam inſigni colore rubro ſunt tincta. Fructus quando maturuit magnitudinem obtinet majoris melonis vulgaris, figuræ ovalis, exterius eminentiis conſtans, quaſi umbelicis humanis, quæ in totum flaveſcentis coloris, per oras autem incarnati, quælibet autem in medio foliolum habet triangulatum, ſerratum, gryſeum. Fructus odoris eſt ſuaviſſimi, ſaporis, fere inſtar fragorum, gratiſſimi, apprime ſucculentus. Cortex ille abſcinditur & fructus ſecundum longitudinem in partes ſecatur & comeditur. Medium illius quod relinquitur inter ſecandum inſtar pilæ quadratæ etiam ambeditur, & pro optima parte habetur: in ſui medio habet medullam duram & lentam inſtar paſtinacæ quæ abjicitur: Continet fructus in ſe granula ſeminis. Fructus maturus ſuperius plantam juniorem habet, quæ decerpitur & ita ſine radice (nullam enim habet) terræ imponitur, quæ ſequenti anno fructum fert. Vnaquæque planta ſemel & unicum fructum profert annuo ſpacio, & fructus novam ſimul plantam, quæ cum plantatur, vetus eradicatur & abjicitur utpote inutilis.



Ex fructu hoc ſuccus exprimitur & cum aqua miſcetur, daturque in ægritudinibus à Braſilienſibus prout nos hydromel damus. Condiuntur etiam ſaccharo & adſervantur. Nana quæ vi Solis maturatur haud bona eſt, Braſilienſes vocant *Nana cacaba*. Menſe Decembri & Ianuario maxima habetur copia. Reperitur & *Nana brava*, id eſt, ſilveſtris, cujus fructus inſignis magnitudinis, ovalis citrulli magnitudine, compoſitus è quadrangularibus cylindris in extremitate quadrate pyramidalibus, per maturitatem flaveſcentibus, qui ſeparari ab invicem poſſunt. Cavi hi ſunt inſtar oſſis in capite vitulorum quod Den Mitzahn vocamus: continentes granula ovalia innumera pallide flaveſcentia, papaveris majoris ſemine majora, ſuavia, & dulciſſimo rore imbuta inſtar mellis. Quodlibet corpus cylindricum ſeparatum exprimitur digitis in os, ac granula illa rore melleo imbuta abſorbentur, gratiſſimi ſaporis. Fructus etiam tranſverſim diſcinditur in taleas.

TARERIAYA Braſilienſibus: an Fraxinella ſiliquoſa? an quinquefolium folio Caprifolii? Ex radice longa paucis filamentis prædita, lenta, albiſſima, aſſurgit caulis tres circiter pe-

des longus, multis ramis prædītus: folia ejus in longis pediculis alternatim poſitis, quatuor, quinque, ſex aut ſeptem juxta ſe in orbem poſita, oblonga, viridia, nervo & multis venulis in-



terſecta, foliis Caprifolii haud abſimilia, ſed ad tactum mollia & glutinoſa. In ſummitate caulis primo parvis foliis alternatim poſitis ornatur, brevibus, obrotundis: dein alternatim prodeunt ad ea pediculi longi, ad quodlibet unus continens cylindraceum corpus album, quatuor foliolis viridibus, parvulis, acuminatis inſidens, hoc corpus ſunt quatuor foliola floris; quo ſe aperiente inferius, primo prodeunt filamenta ſeptem, tres aut quatuor digitos longa; hinc quatuor foliola floris expanduntur, quæ ſtant erecta, figuram habentia cochlearis, filamenta autem ſeptem barbæ felinæ modo directe ad latera vel antrorſum extenduntur, egregie purpurea: foliis albis decidentibus decidunt & ſex ſtamina, ſeptimum in medio manet, ac abit in ſiliquam teretem, ſemipedem longam, continentem ſemen vix magnitudine ſinapis, rotundum quidem ſed quod in uno latere inciſuram videtur habere. Tota planta ad tactum glutinoſa eſt, & ad cujuſlibet rami ſeu pediculi foliorum acuta eſt ſpinula. Fert flores & ſemen toto anno. Flos inodorus, ſed folia referunt odorem Majoranæ.

ARAPABACA Braſilienſibus dicta Planta; In ſeſquipedalem altitudinem adſurgit, caule tereti, viridi, cavo; & vix duo folia aut duos ramulos ad latera habente: In ſummitate tamen caulis, duo, tria, vel quatuor (fere ſemper) folia ſunt poſita, Plantaginis facie, nervoſa, in orbem diſpoſita, & crucem effigurantia videntur, atque inter hæc aliquot ramuli ſurrecti, duos aut tres digitos longi, cum floſculis oblongis, dilute ex albo purpuraſcentibus, quæ quinque foliolis conſtant ſpicatim poſitis. Poſt floris autem occaſum enaſcuntur globuli

ſeu

ſeu capſulæ rotundæ Coriandri ſeminis magnitudine, in quibus continetur ſemen exile, ſubrotundum, nigrum, papaveris magnitudine & figura. Radix illius eſt parva, alba, filamentoſa, habetque odorem radicis Petroſelini.



Vide Androſacem apud Mathiolum.

Annotatio. Mathiolus agit de Androſace ad lib. 111. Dioſcorid. cap. 133. & dat duas illius Icones, quarum tamen neutra ullo modo convenit cum hac quam Auctor delineavit; neque aſſequor quare hanc cum illa comparaverit, præſertim cum Dioſcorides ſcribat Androſacen tenuia virgulta emittere ſine foliis.

VRVCATV Braſilienſibus, Planta eſt quæ ſuper arbore *Vrucari iba* naſcitur ſine radice: verum quatuor aut quinque folia inferius lata bul-




bum faciunt ovalem; circiter quatuor digitos longum, qui intus continet medullam quandam unguenti factitii conſiſtentia & aſpectu, pinguem, ad tactum frigidam, ex albo vireſcentem, multa adhæc filamenta ſubtilia albida in ſe diſperſa habentem. Supra bulbum folia à ſe invicem diſcedunt, ſuntque ibi anguſta, ſed in pedalem aut majorem altitudinem excreſcentia, ſuperius latiora, linguæ figura & ſimilia Squillæ, viridia: quodlibet autem folium ſecundum longitudinem habet tres nervos. Nec florem fert nec fructum; inodora eſt planta, unguentum quoque illius inodorum. Hoc denique frigidum & ad dolores leniendos judicatur aptiſſimum atque efficaciſſimum: ſoporem quoque inducere experientia probatum eſt.

CAP. XVII.

Tajaoba, ejus radix Taja. Jaborandi. Planta verbenæ facie. Mundubi.

TAIAOBA Braſilienſibus cujus radix vocatur *Taja*. Tres illius ſpecies hic reperiuntur.



Prima folio lacteſcente, radicem habet orbicularem, non tamen bulboſam, exterius incarnati coloris, interius flavi, cepæ magnitudine aut porri, multa filamenta inferius obtinentem, tres vel quatuor digitos longam: caulem autem brunnum ſeu fuſcum, folia pene orbicularia & nervos foliorum rufeſcentes.

Secunda folio lacteſcente. Radicem habet itidem orbicularem, ut prior. Ex qua radice porro prodeunt caules quatuor, quinque, ſex & interdum plures, rotundi, ſpongioſi, ſucculenti, virides, craſſi, novem aut etiam duodecim digitos longi: cuilibet autem cauli inſidet folium unicum ſagittalis herbæ figura & magnitudine, quando junior adhuc eſt planta, alias tri-


plo aut quadruplo majus, & Petaſitidis herbæ foliorum magnitudine, nervos habens conſpicuos, viride & ad tactum molle ut Braſſica, ac in ambitu cingitur duabus venis.




Radix cocta vulgo comeditur ut Batata, eſtque dulcis, ſingulariſque, quaſi moſchati aut floris violacei, ſaporis.

Vtriuſque ſpeciei folia cum caulibus craſſiſſimis etiam inciduntur & pro olere in aqua coquuntur; molleſcunt ſtatim & optime ſapiunt.

Tertia folio non lacteſcente: Radicem habet ut cæteræ ſpecies, caules, ut prima, fuſcos, folia ſagittalis figura ut ſecunda, ſed anguſtiora, pedalis circiter longitudinis, ſuperius ſaturate viridia, inferius albicantia, nervo & venis ex viridi flaveſcentibus, & in centro folii purpuraſcentibus. Hæc ſpecies mihi florebat circa finem Aprilis anno 1640. In caule autem longo (qualem quodque folium habet) flos erat unicus longus ſeu latus quinque digitos, albus, unico folio conſtans, cujus ſuperior medietas alba, inſtar corporis ellyptici per medium ſecundum ſuam longitudinem ſecti & veluti in ſcapham excavati: inferior medietas inſtar vulvæ, viridis coloris magnitudine juglangis & ejuſdem figuræ, aperturam habens; uno verbo totus flos figura cucurbitæ in medio vinctæ dum creſceret; per albam autem medietatem floris variæ diſcurrunt albæ regulæ, quarum pars circa extremum folii quodammodo purpuraſcit. In medio floris ſtamen eſt craſſitie pennæ anſerinæ, cylindraceum, in extremitate faſtigiatum, longitudinis paulo majoris duorum digitorum ac ſemis, conſtans corpuſculis clypiformibus, ac veſtitum brevibus villis luteolis, qui facile abſterguntur. Ita autem compoſita ſunt hæc corpuſcula ut columna ſeu ſtamen læve & teres appareat. Hæc corpuſcula ſunt ſemen. Flos caret odore aliquo perceptibili: clauſus adhuc totus vireſcit. Poſtea flores tulit eadem planta.



IABORANDI multæ dantur ſpecies. Prima (*cujus hic Iconem damus*) ad duorum pedum altitudinem aſſurgit, caule lignoſo, tereti, per certa intervalla nodoſo, tortuoſo & inæquali, coloris gryſei, quorum unus, duo, vel etiam tres ex una radice prodeunt & in ramos ſe pandunt. Radix autem haud craſſa eſt ſed in multas radiculas & filamenta dividitur, exterius ex albo flaveſcens, interius albicans, odoris acriuſculi, ſaporis acris ut pyretrum. In ſingulis ramulis ab internodiis pediculus prodiens digitum longus tria habet folia ſibi crucis modo appoſita, ad tactum ut Tiliæ folia, mollia, parum piloſa, nervo conſpicuo & venis obliquis, ab uno ad quinque digitos longa, totidemque lata ubi latiſſima, inæqualis quippe magnitudinis, pallide virentia, inferne paulum candicantia. In extremitate ramulorum multa foliola parva venabuli figura ſibi invicem confertim ſunt appoſita, in duos ramulos quaſi cornua diducta, in quibus floſculi albi quatuor foliolis conſtantes; quos ſequitur ſemen, duplici palea tectum ut in cannabi, fuſcum, compreſſum, parvulum, cordis figura, cui ab uno latere pars abſciſſa videtur. Radix valet contra venena & ea utebatur Poius qui fungos venenoſos comederat.



PLANTA Verbenæ facie; (*cujus Iconem Auctor non dedit*) ex radice recta, haud craſſa, ad latera multis radiculis prædita, alba, guſtu amaricante; adſurgit caulis angu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

angulоſus ac nodoſus in ſeſquipedalem altitudinem: ad ſingulos autem nodos duo naſcuntur folia ſibi oppoſita, ſeſquidigitum longa, per latera in medietate exteriore ſerrata; & ad eoſdem quoque ramuli duo exeunt ſibi oppoſiti, cum ſimilibus foliis ad nodos oppoſitis, ſed non ſolum duobus, ſed tribus aut quatuor foliis minoribus ſemper junctis: & in hiſce ramulis ad nodos etiam multi pediculi, breves, quatuor ut plurimum ad quemlibet nodum, quorum quilibet habet capitulum rotundum, cum parva prominentia inſtar cuſpidis aciculæ, quod ſe aperiens protrudit floſculum lacteſcentis coloris, quatuor foliolis conſtantem, habetque in medio multa parva ſtaminula erecte ſtantia, quæ repræſentant plumam, ita ut floſculus quaſi plumatus appareat.

CICUTARIA PALUSTRIS: In ipſis aquis ad ripas naſcitur, & in duorum aut trium pedum aſſurgit altitudinem; caulis illius angulatus, ſtriatus, nodoſus, multos habens ramos & in quolibet ramulos alternatim poſitos, qui folia itidem alternatim poſita habent, tres aut quatuor digitos longa, in octo vel novem anguſta & acuminata foliola diſſecta, ita ut cornua cervina pene referant: coloris dilute viridis, ſapore apium referentia. Folia autem in ramulis exteriora ſunt minora interioribus. Fert flores, ſed illos non invenio ab Auctore deſcriptos.

MUNDUBI Braſilienſibus Herba, in pedalem aut bipedalem altitudinem adſurgit, caule quadrato aut ſtriato, ex viridi ruffeſcente, & piloſo. Hinc inde enaſcuntur ramuli primo quaſi caulem amplectentes & foliolis anguſtis, acuminatis ſtipati; mox habent nodum ac trium vel quatuor digitorum longitudine extenduntur; continetq; quilibet ramulus quatuor folia, duo ſemper ſibi oppoſita, paulo plus quam duos digitos longa, ſeſquidigitum lata, ſuperne læte viridia, inſtar trifolii, inferne paulum caneſcentia, nervo conſpicuo & ſubtilibus venulis quaſi parallelis dotata, raris quoque pilis veſtita. Ad exortum ramulorum qui folia gerunt prodit pediculus ſeſquidigitum circiter longus, tenuis, floſculum gerens flavum & per oras rubentem, duobus foliolis conſtantem, more viciorum aut trifolii. Radix illius haud longa, tenuis, contorta, filamentoſa, cui adnaſcuntur folliculi ex albicante gryſei, figura minimæ cucurbitæ, oblongæ, magnitudine Myrobalani, fragiles: quilibet autem continet in ſe duos nucleos, pellicula ſaturate purpurea veſtitos, carne intus alba, oleaginoſa, ſapore piſtaceorum, qui comeduntur cocti & inter bellaria apponuntur. Multum tamen comeſti capitis dolores cauſare ajunt. Fructu integro quaſſato nuclei intus ſtrepunt.



Confer Monard. cap. LX. *Anchic* Peruvianis, Hiſpanis ibi *Mani* vocatur, uti traditum lib. X. cap. 2. Deſcriptionis Americæ.

CAP. XVIII.

Caraguata ſeu Erva Baboſa. Herba innominata caule Portulacæ.

CARAGUATA Braſilienſibus. *Erva Baboſa* Luſitanis, Aloë Latinis. Radice cum Aloë Americana Dodonei, foliis cum vulgari convenit. Nimirum ex radice craſſa, brevi, aſſurgunt folia viginti aut plura, craſſa, ſucculenta, acuminata, utroque latere dentata ſeu ſpinoſa, unum vel etiam duos pedes longa, pallide viridia, atque hinc inde gryſeo colore maculata. Inter folia prodit caulis, tres aut quatuor pedes altus, in duos ramos diviſus, quorum quilibet

 fert

fert ſpicam florum flavorum: eſt autem quilibet flos cavus, digitum longus, ad oram ſextupliciter ſciſſus, continens totidem ſtaminula flava apicibus flavis. Inſidet quilibet flos ſuo petiolo brevi, & apertus propendet deorſum, adhuc autem clauſus directe ad latera: eſt inodorus.



Annotatio. Hæc planta aut eadem eſt aut ejuſdem ſpeciei cum Maguey ſeuMetl Mexicanorum; cujus plures reperiuntur in Nova Hiſpania ſpecies; de quibus ita Fr. Ximenes: prima ſpecies fert folia ſimilia Aloës, verum multo majora & craſſiora, utrimque ſpinoſa & deſinentia in duriſſimum & acutiſſimum mucronem; excreſcit interdum caulis in proceritatem mediocris arboris, & eſt duplex; in cujus extremo naſcuntur flores lutei, oblongi, & in faſtigio ſtellati & ſucceſſu temporis ſemen inſtar Aſphodeli aut Batatarium; radix illius eſt craſſa, brevis & plena fibris; propagatur è ſurculis ſeu ſtolonibus qui exeunt circa plantam principalem. Eſt patiens omnis ſoli licet magis amet cultum & frigidum cœlum: neque enim metuit ullam cœli inclementiam, aut marceſcit propter ſiccitatem. Reperitur maxima copia in tota Nova Hiſpania, &, ſi homines ea temperantia viverent qua convenit, ſola videtur hæc ſufficiens ſubminiſtrare quæcunque uſus flagitat, præter alios innumeros uſus quos præſtat. Nam primum, integra planta præbet inſigne ſepimentum hortis & prædiis: folia tegularum vice funguntur ad pluvias excludendas, caules tignorum: foliorum nervuli & fibræ eundem uſum habent quem noſtrum linum & cannabe aut goſſypium, ex illis enim fila, panni aliæque telæ fiunt: è ſpinis autem clavi, acus, aciculæ, ſtili, terebræ ad auriculas perforandas: hiſce & barbari in ſuperſtitioſo Deorum ſuorum cultu corpora ſua affligebant: nec ad bellica inſtrumenta inidoneæ erant. Porro radendo novacula petroſa ſtolones emanat è concavitate liquor quidam tanta copia, ut ex una ſolummodo planta, mirabile dictu, interdum quinquaginta aut plures arobæ effluant: è quo liquore fit vinum, acetum, mel & ſaccharum: liquor quippe per ſe dulcis coquendo redditur multo ſuavior & ſpiſſior, ita ut tandem in ſaccharum coageleſcat. Ex eodem ſucco & vinum fit affundendo aquam & admiſcendo ſemina aurantiorum & melonum, aliaque ut facilius inebriet, nam huic vitio imprimis obnoxii ſunt barbari, quaſi peniteret homines eſſe natos & brutis ſimiles eſſe ſatagerent. E ſaccharo illo faciunt acetum, diſſolvendo in aqua & exponendo Soli novem diebus. Succus movet menſes mulierum, lenit ventrem, movet urinam, mundat renes & veſicam, frangit lapillos, purgat ureteres: eundem ſi ebullitus fuerit cum Tabaco aut Pitzitlxochitl aut Matlaxochitl vulnera curare produnt. Folium Maguey aſſum & expreſſum in ſcutella, addito pauxillo nitri bene triti, ſi inungatur cicatricibus recentibus, brevi tempore illas ita tollit, ut vix ullum veſtigium relinquat. Folia & caudex in ſubterraneo furno percocta, ſunt edulia & ſapiunt Diacitrum. Folia toſta & applicata medentur Spaſmo & mitigant dolores (præſertim ſi ſuccus calidus una hauriatur) licet è lue venerea oriantur, quia ſenſum tactus obſtupefaciunt. *Hæc ille*. Porro plerique Scriptores qui de rebus Americanis commentati ſunt meminerunt hujus plantæ, Gomara, Acoſta, alii, qui omnes fere conſentientia tradunt iis, quæ Franc. Ximenes hîc tradit ex Doct. Franc. Hernandez: videndus & Carolus Cluſius in Rar. Plant. Hiſtoria lib. v. Longe autem aliam plantam eſſe oportet quam D. Ioachimus Camerarius deſcribit & cujus Iconem dat in Epitome de plantis, ſub nomine Aloës Americanæ; quia ſcribit folia abundare ſucco amaro, & alia quæ minime conveniunt cum ſuperiori deſcriptione. Credo hanc Camerarii eſſe veram Aloën aut ſaltem ejus ſpeciem; nam & nuper accepimus à noſtris in Africa & quidem Loandæ S. Pauli degentibus ibidem abundare ejuſmodi plantas qualem D. Camerarius deſcribit, è qua & ſuccum expreſſum liquidum atque etiam coagulatum miſerunt, Aloë veræ Indicæ æmulum, & qui haud dubio eaſdem purgandi facultates obtinet, quare differentia

rentia harum plantarum bene eſt obſervanda, cum alioquin foliis & quibuſdam aliis notis inter ſe conveniant.



HERBA (*cujus nomen Auctor uen prodit*) caule Portulacæ tereti, geniculato, ruffo, humi ſerpit & quibuſdam fibris ſe firmat in terra: ad quodlibet autem geniculum quinque aut ſex folia appoſita, figura foliorum Lavendulæ, veruntamen craſſa & ſucculenta ut Portulacæ. Inter folia in ſingulari pediculo fert floſculũ dilute purpureũ, quinque foliolis conſtantem deorſum incurvatis & multis ejuſdem coloris ſtaminulis in orbem diſpoſitis, quæ in medio adhuc ſtamen viride ovale continent. Radices hic inde unicas agit, pennam anſerinam craſſas, innumerabilibus ſubtiliſſimis filamentis circumdatas, & caule ſerpente fibræ ex illo variis locis prodeuntes ſe terræ infigunt.

CAP. XIX.

Quiyæ variæ ſpecies.

QVIYA Braſilienſibus, Luſitanis *Pimenta*; multæ dantur illius ſpecies, ut plurimum figura fructus differentes, cum in cæteris fere conveniant.

Prima vocatur *Pimenta Malaguetta* (quam de Angola primum veniſſe dicunt) quam Braſilienſes vocant *Quiyaqui*, in arbuſculæ formam & trium aut quatuor pedum altitudinem aſſurgit, caule lignoſo, qui varie in multos expanditur ramos, qui habent oppoſita folia, vel in pediculo alicujus folii rurſus duo oppoſita foliola: quodlibet folium habet ſuum pediculum tenuem, longiuſculum, eſtque figuræ oblongæ, acuminatum, nervo & venis obliquis præditum. Ad exortum foliorum in pediculis longis, duobus, tribus vel quatuor juxta ſe poſitis naſcuntur floſculi inodori, quinque foliolis conſtantes, coloris ex albo pallidi, habentque in medio totidem ſtaminula è cinereo cæruleſcentia. Sequitur fructus cylindrico-pyramidalis, craſſitie majoris chordæ violæ, coloris coccinei, quando maturuit, interius granulis obrotundis compreſſis refertus, acerrimi ſaporis, & cæteris ſpeciebus acrior multo.

Annotatio. Ne quis erret alia longe eſt planta ab ea quæ fert notiſſimum aroma Malaguetta, quod Belgæ noſtri vocant Grayn, quod ex Africa affertur, nam neque ſemen neque planta ullo modo conveniunt, ſiquidem Malaguettæ ſemen naſcitur in lobis pene ad modum Ireos, & folia dicitur habere ſimilia Gladiolo.

Secunda ſpecies vocatura Braſilienſibus *Quiya cumari*: eadem figura cum prima ſpecie creſcit, verum folia ſunt paulo majora & ſolitarie poſita; nec flos differt, aut figura fructus, niſi quod major ſit & craſſior, & magis ſaturate rubens.

Tertia ſpecies vocatur à Braſilienſibus *Quiya apua*, Luſitanis pimenta rotunda; magnitudine eſt fructus ceraſi noſtratis acidi, coloris rubri. Reperitur & alia hujus ſpecies quæ in hoc tantum differt, quod fructus vix dimidiæ ſit magnitudinis, & haud major nucleo ceraſino, dilutiuſque rubet vel etiam flaveſcit.

Quarta ſpecies Braſilienſibus dicitur *Quiya uca*, Luſitanis *Pimenta grande* ſeu *Pimentoës* quæ folia habet anguſtiora & longiora quam ſecunda, & fructum tres digitos longum cylindraceum, acuminatum, rubrum, cum maturuit. Alia invenitur ejus ſpecies, cujus fructus ſe deorſum incurvare ſolet inſtar unci.

Braſilienſes hæc pimenta conterunt cum ſale, & mixturam illam vocant *Iuquitaya*, eamque uſurpant ad cibos inter manducandum ut nos ſalem. Optima eſt ac bene ſapit. Eandem quoque miſcent cum farinha & piſcibus coctis, exemtis ſpinis, ac mixturam illam appellant *Pira-quiya*, quam uſurpant iter facientes. Bene ſapit & durat ad aliquot dies.

ANNOTATIO. Hujus plantæ Iconem non damus, quia apud Botanicos obvia eſt, & jam

jam dudum in hortis colitur. Operæ pretium tamen duximus hic addere quæ Fr. Ximenes de hac planta prodidit. Mexicani, inquit, vocant *Chilli* plantam quæ fert ſiliquas illas, quas Inſulæ Hiſpaniolæ incolæ vocant *Axi*, & Antiqui, ut quidam volunt, Siliquaſtrum, Hiſpani Piper Americanum & Actuarius Capſicum. Hæc planta licet jam dudum in hortis Hiſpaniæ fuerit culta, non modo propter ornatum, verum & uſum in condimentis; tamen quia in America plures illius ſpecies obſervantur & ſiliquæ illius in tam frequenti ſunt uſu, ut vix edulia reperias quibus non admiſceantur, & facultates illius itidem notiſſimæ ſunt, operæpretium puto illam deſcribere, & varias illius ſpecies quas vidi, indicare. Folia autem pene omnium ſpecierum ſunt ſimilia Solani foliis, *Quauhchilli* tantum excepta cujus folia ſunt minora: fert flores candidos, è quibus enaſcuntur ſiliquæ, initio quidem rubentes, tandem veluti aduſti coloris inſtar uvarum paſſarum, plenæ ſemine minuto, ſubtili, candido & umbonato: ſapore acri & cauſtico, ita ut calidum cenſeatur in quarto gradu & ſiccum in tertio: licet viride obtineat ſuccum excrementoſum, qui tandem conſumitur. Vnde fit ut flatus excitando excitet venerem: atque etiam alvum ſolvat, non ſine torminibus, præſertim in iis qui non aſſuevere; alioquin moderate ſumtum movet alvum, (Cujus cauſa videtur illius acrimonia) menſtrua atque urinam; corroborat ventriculum à cauſa frigida debilem: excitat ſupra modum appetitum genus quoddam Chilli ſalſum, mixtum cum Thomatis, ut vocant, *Mittomatl* appellant: evacuat humores pituitoſos è quacumque parte corporis, præſertim illos qui juncturas coxarum obſident, & Sciaticam ſolent generare. Hecticis ventrem ac lumbos claviculis aut aciculis chille imbutis pungere, ut ſolent barbari, utiliſſimum putatur remedium. Veruntamen ſi quis crebrius & immoderate Chille utatur, inflammabit renes & hepar excitabit dolores in renibus, phreneſin & dolores hypochondriacos, abſceſſus internos & ſimilia mala. A Barbaris fere pro cibo ordinario, ab Hiſpanis vero pro condimento uſurpatur. Naſcitur locis tam calidis quam frigidis, melius tamen temperatis aut aliquantum calidis.

Prima illius ſpecies appellatur à Mexicanis *Quauhchilli*, quaſi dicas arboream, & in Hiſpaniola ubi minor eſt & ſiliqua rotundior Axi montenſe ſive Caribicum: hæc ſpecies omnium minima eſt, forma & mole ſimilis oleaſtri fructibus; & cum omnes ſpecies calidæ ſint in quarto gradu, hæc omnium calidiſſima eſt & maxime cauſtica; quare tantum condimentis loco piperis adhibetur; producit ſemen toto anno.

Secunda ſpecies vocatur *Chiltecpin*, quia colore & figura valde ſimilis eſt moſquitis, id eſt, culicibus; dicitur aliis *Totocuitlatl*, quod ſonat ſtercus avium, ob colorem & parvitatem; audio ab incolis S. Dominici inſulæ Huaratinac appellari: hæc ſpecies licet viridior videatur, tamen citius virorem deponit. Tres illius numerantur ſpecies pro diverſitate locorum in quibus creſcunt, & tempeſtatum quibus colliguntur. Prima eſt vulgaris: altera huic quidem ſimilis, ſed vergens ad nigrum colorem, unde *Tlilchilli* nominatur: tertia minima omnium ſeritur menſe Septembri & maturat fructum à Decembri ad Calendas Apriles.

Tertia ſpecies appellatur *Tzanalchilli*, ſeritur menſe Auguſto, locis cultis, quando jam pluviæ ceſſant; maturat fructum à Novembri ad Martium, qui principio quidem eſt viridis, ſed ſenſim rubeſcit: In Hiſpaniola vocant Axi candidum.

Quarta ſpecies appellatur *Chilcoztli*, ob croceum colorem quem addit condimentis & cibis quibus miſcetur, unde in Hiſpaniola *Acafran Axi* dicunt: ſiliqua ſex ſeptemve digitos tranſverſos longa eſt & mediocriter tenuis colore rubro & nonnunquam aduſto.

Quinta illius ſpecies dicitur à Mexicanis *Tzinquahyo*, quia ſilveſtris eſt, in Hiſpaniola *Axi coral* ob formam & colorem: ſiliqua eſt tenuis & quinque digitos tranſverſos longa: ſeritur menſe Martio, & fert fructum fere omnibus anni menſibus.

Sexta ſpecies appellatur *Tzonchilli* quia blandior eſt; ſiliqua illius eſt longa & lata rubri coloris: ſemen autem tam remiſſam habet acrimoniam, ut vulgo cum placentis quæ è Mayzio fiunt & *Chillaquiles* appellantur, commedatur: optimum nutrimentum præbere teſtantur barbari. Solent hanc ſpeciem humi ſpargere ut ſiccetur ut ita melius poſſit ſervari, nam aliter facile corrumpitur ob nimiam humiditatem: ſeritur & fert fructus omnibus anni menſibus.

Reperitur & alia ſpecies quam vocant *Milchilli*, cujus ſiliqua quidem præcedentibus non eſt minor, ſed attenuatur ſenſim & deſinit in mucronem; coloris eſt aurei, colligitur eiſdem menſibus quibus Maizium. Plures præterea ſpecies obſervantur in Inſula Hiſpaniola & inter illas notiſſima, quæ ſiliquas fert inſtar ceraſorum, eadem forma & mole: naſcitur autem inſtar arbuſculæ & appellatur ab aliis quidem Struchnodendron, ab aliis Speudocapſicum, ab Hiſpanis ceraſus acer Americæ. Item alia cujus ſiliquam vocant roſtrum pineæ nucis: & roſtrum avis, ob figuram utraſque. Baboram ſive Baniazam corniculatam: Cazicar hortenſe: & alias quas brevitatis cauſa prætereo, de præcipuis dixiſſe contentus. *Hæc ille.* Semen hujus plantæ adeo eſt acre ut cavendum ſit ne quis digitos ad oculos ferat, cum illud confricuit;


quare

quare caute admodum hoc uſurpandum autumo niſi bene præparetur & aliquo frigido additamento temperetur. Inſigniter enim urit linguam & guttur præſertim cum ſale mixtum.

CAP. XX.

Jeticucu ſeu Radix Mechoacan. Mandubi. Innominata.

JETICVCV Braſilienſibus; Radix Mechoacan, Luſitanis *Batata de purga*: Caulis ſarmentoſus eſt longiſſime ſerpens & ſcandens, multangularis, lentus, ruffus, etiam viridis. Folia ſolitarie poſita, quodlibet in ſuo pediculo digitum longo; figuram habet cordis, uti pingitur, duabus ad latera auriculis, tenera ad tactum, unum, duos, tres & quatuor digitos longa, ſaturate viridia, inferius nervo & venis tranſverſis conſpicua. nullum autem præter herbaceum odorem habent folia trita, caulis vero inciſus lacteum ſuccum præbet. Florem fert Convolunli magnitudine & figura, unico ſolio conſtantem album cum pauco incarnato dilutum, intus autem purpureum. Semen continet piſi magnitudine fuſci coloris, verum haud rotundum, ſed quaſi duæ particulæ exſectæ eſſent, ita ut fere triangularis ſit figuræ. Radix medium aut integrum pedem longitudine æquat, craſſities plerumque eadem & ut plurimum dupla & bifida, una parte breviore altera: exterius obſcure cinerea ſeu fuſca, recens reſinam quandam fundit, & eſt interius alba. Habui radices per quatuor menſes ad parietem pendulas in muſeo meo, quæ ibi progerminarunt, quælibet caulem unum, duos vel tres pedes longum, craſſitie fili ſutorum. Hanc terræ impoſui in horto, & ſpacio octidui ſecuta ſunt folia, feliciſſimeque adolevit planta.



Vſus. Datur pulvis illius radicis in vino aut brodio, pueris ℥s. adultis ʒvi. in ʒviii. vini vel ℥s. pro pueris, ʒvi. pro adultis infunduntur in vini ʒx. per noctem, mane colatura ſumitur & cum ſaccharo aut melle exhibetur. Vel. Recentes radices corticibus bene mundatis exprimuntur. per pannum, expreſſum ſumitur per aliquot horas ut ſubſideat, quod ſubſedit ſiccatur in umbra (vocant *Tapiora*) hujus ʒii. & in pueris ʒi. datur ſemel. Fit etiam ex recenti conſerva cum ſaccharo delicati ſaporis, cujus doſis choclear unum aut duo datur delicatis perſonis, quæ à purgantibus abhorrent. Radix hæc habet virtutem purgandi humores phlegmaticos ac ſeroſos, uti & bilem. Valet adverſus paſſiones ventriculi & inteſtinorum, ad inveteratum capitis dolorem, ad hydropem, ad proſtratum appetitum.

ANNOTATIO. Fr. Ximenes. Radicem purgativam vocant Mechoacani *Tachuache*, Mexicani *Tlalantlaqua cuitlapille* & aliæ nationes *Puſqua*. Tres reperiuntur illius ſpecies; quarum binæ ſunt mas & fæmina, quæ ambæ forma & qualitatibus multum conveniunt; habentque radicem longam & craſſam, è qua lacteus liquor emanat: caules volubiles & tenues: folia parva figura cordis; flores longos & roſſos, fructum ſimilem *pepino* figura & mole, candida cute tectum & plenum ſemine minuto, lato & candido, cum certis filamentis, inſtar goſſypii quæ difficulter rumpuntur. Radix eſt calida & ſicca in quarto gradu & ſi in ore maſticetur adurens: unde ſi hîc aliorum morem imitari vellem, poſſem graviter reprehendere eos, qui imprudenter & ignoranter multa de illa ſcripſerunt; neque mirum, quum illam non vidiſſent. Purgat per inferiora omnes humores, præcipue tamen pituitoſos, ſi ſumatur pondere dragmæ & ſemis aut ad ſummum duarum ex aqua aut vino, juſculo, aut ovo recenti: ſumitur enim hoc modo facile & ſine nauſea. Quidam utuntur ſucco illius expreſſo, loco Scamoneæ, ad cujus ſpecies hanc putant referendam, & conficiunt ex illo tabellas cum ſaccharo,

quas mirabiles effectus edere affirmant. Alii ſolent radicem pondere ſex dragmarum in pulverem redactam & in ſex aquæ unciis per noctem maceratam, mane exprimere & percolare atque aquam illam exhibere: ego autem eandem miſceo cum uncia aut paulo magis ſyrupi de Matlalitztic aut Salſaparillæ aut foliorum Senæ atque ita purgat ſine ulla moleſtia. Quum Scamonea deſideratur hujus ſuccus expreſſus & ſpiſſatus illius vice uſurpatur in Electuariis, quæ illam poſtulant. Quidam & radice hac utuntur forma unguenti aut emplaſtri ad vitia oculorum curanda. Tertia ſpecies maximam partem naſcitur in terra nigra & locis petroſis, radice magis tenui: è duabus hujus dragmis commodiſſime fit electuarium laxativum cum xx. dragmis Sacchari Tzautli ſive Tragacanthæ, quo leniter evacuantur cholera atque flegma, nec puto in America facile reperiri poſſe medicamentum quod illud ſuperet. Alii ex illius decocto conficiunt ſyrupum qui quantitate trium unciarum ſumtus egregie purgat prædictos humores. Naſcitur multis locis calidis Novæ Hiſpaniæ, licet Mechoacanæ provinciæ, ubi primum innotuit, præferatur; communis quoque eſt in Temimiltzingo, ubi radicem hanc cum cauda Tlaquatzin animalis pari pondere mixtam, mirabiles aſſerunt edere effectus in ciendo urinam. Oportet ſiccari radicem & ſervari toto anno: ſed in colligendo vitanda eſt radix haud multum illi diſſimilis, quæ præſentiſſimum eſt venenum. Quum Author noſter, quem ſequimur, ſcriberet, non tam probe cognita erat hæc radix, ſicut neque ipſa Nova Hiſpania; poſt illa plures illius ſpecies fuerunt repertæ, magis lenes in operando, licet tres illæ ſpecies ab ipſo proditæ, celebriores ſint, & magis uſurpentur. Prima eſt quam Hiſpani vocant *Mechoacan* à loco ubi primum fuit inventa; cujus in illa provincia & in Guadalajara duæ reperiuntur ſpecies; una venenoſa, quam Auctor noſter monuit vitandam, altera quæ moderate purgat. utriuſque radix grandis & craſſa, ſed nobilis major. Alia ſpecies quæ appellatur *Matlalitztic*, multo minus purgans quam præcedens, quam quidam perperam frigidam faciunt, haud intelligentes purgantium medicamentorum facultates, quæ nullam frigiditatem admittunt: hæc remiſſius purgat quam antecedens, atque omni ætatum & ſexuum generi convenit, etiam pregnantibus exhibetur ſine noxa: Ex hac radice fit ſyrupus hoc modo: Recipe ſex libras radicum recenter effoſſarum & demto prius cortice rade & inde ollæ vitriatæ; ſuper infunde totidem libras aquæ fontanæ ferventis, atque obtura os ollæ, & ita probe opertam relinque per horas XXIV. dein exprime & miſce illius colaturæ quatuor libras ſacchari & coque leni igne, donec ſpiſſitudinem mellis acquirat, ſumuntur tres aut quatuor hujus ſyrupi unciæ ad purgandum.

Alia ſpecies appellatur *Xalapa* à loco ubi primum fuit reperta: hæc longe potentior eſt cæteris, licet mole ſit minor, evacuat generatim omnes humores peccantes, ſed ſumma opus eſt vigilantia eo die quo ſumitur atque adeo ſequenti. Ex hac quoque fit ſyrupus, admodum utilis in quibuſvis morbis, & imprimis iis qui lue venerea laborant. Componitur ad hunc modum. Recipe radicum Xalapæ unc. v. Polipody unc. ij. Hermodactyl. unc. I. Florum cordialium, Jujubarum ana pugnum unum: Cinnamomi aut Canellæ præſtantioris; nucum muſcat. ana duas dragm. & ſemis: frangantur omnia & macerentur in ſex quartariis aquæ per noctem, dein coquantur ſecundum artem donec medietas conſumatur: colaturæ addantur duæ libræ ſacchari & percoquatur donec ſyrupi ſpiſſitudinem acquirat; denique cum pene refriguit, miſceantur octo grana exquiſiti muſci. Monendi ſunt qui iſtis radicibus utuntur ad purgandum ne poſtero die mane ſumant ſaccharum roſatum aut aquam, ſed potius pectuſculum voluc ris alicujus, aut carnem ovillam aſſam, nam alias facile recidivam purgationis patiuntur ægri non ſine diſcrimine. Omnes ſpecies reperiuntur in Nova Hiſpania magna copia: *Matlalitztic* habet radicem omnium maximam, huic proximam *Mechoacan*: multo minorem venenoſa ſpecies: omnium maximam *Xalapa* licet circuloſior ſit & longior. Vniverſæ autem ſunt calidæ & ſiccæ in quarto gradu, præter *Matlalitztic* quæ moderate calet & leniſſime purgat, ideoque & ſecurius uſurpatur. Ex iis quæ diximus apparet quantum fidei adhibendum ſit Monardæ & Alfonſo Inojoſſo in iis quæ de his radicibus ſcripſerunt. Non differunt autem hæ plantæ foliis, floribus aut fructibus, niſi ratione ſoli, quo fit ut alibi majores alibi minores naſcantur; tantum flores nonnihil differunt colore, qui fere cæruleus eſt, verum aut ſaturatus aut dilutior. *Hæc ille.* Ex hiſce autem præſertim quæ dicit de ſemine facile apparet plantam quam Auctor noſter deſcribit non eſſe eandem cum illis quas Fr. Ximenes deſcribit. Car. Cluſius notat ad Monard. cap. LI. ſe anno MDLXIX. duo genera ſeminis accepiſſe ex Hiſpania quæ plantæ Mechoacan eſſe dicebantur: unum caliculo ſive ſiliqua, ſemineque nigro quale eſt Scamonii aut Convolunli majoris: alterum oblongiori aliquanto caliculo, ſemine ruffo & quam ſuperius longiore tenerioreque. Utriuſque ſiliqua parte interiore erat lanuginoſa. Ex utroque ipſi natas plantas, quæ prodibant Convolunli modo, dein proxima pedimenta ſcandebant multis ſarmentis & amplectebantur, foliis Convolunli majoris, ſed tenerioribus & colore magis flaveſcente; hyemis autem inclementiam eas ſuſtuliſſe. Ego ſemen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſemen è Braſilia allatum aliquoties terræ commiſi & quidem adhuc ſuperiori æſtate, è quibus natæ elegantiſſimæ plantæ & ad ſeſquipedis altitudinem adoleverunt, ramulum appoſitum ſcandentes, ſed primum frigus ſtatim illas enecavit.



PLANTA hæc *Braſiliæ familiaris, cujus tamen nomen ab Authore noſtro non proditur*; in quatuor aut quinque pedum altitudinem adſurgit; caule rotundo, lignoſo, leviter piloſo, quique ſuperius in multos ſe diſpeſcit ramos ſurſum elevatos. In caule autem & ramis ſolitarie poſita ſunt folia anguſta, brevibus pediculis innitentia, quatuor aut quinque digitos longa, ſimilia foliis Salicis atque piloſa; diverſæ magnitudinis, in Summitate enim plantæ fiunt anguſtiſſima & parvula. Flores fert magnitudine florum Lychnidis, albi coloris, quinque foliis conſtantes, unguibus in medio purpureis & ſtaminulis luteis.

Radix illius haud longa eſt, ſed habet multas proles ad latera extenſas atque etiam filamenta.

Quale ſemen ferat ab Auctore noſtro proditum non inveni.

Reperitur & in Braſilia Planta Amaranthi facie, quæ ſeſquipedalem aut bipedalem altitudinem adipiſcitur, arbuſculæ figura adoleſcens, caule lignoſo cinereo, quique ſuperius habet multos ramulos lignoſos & quaſi geniculatos. Ad ſingula autem ramorum genicula rubrum eſt capitellum minimorum floſculorum & ibidem pediculus circiter digitum longus & ruffus, ſuſtinens folium urticæ figura, verum longe minus & pallide virens.

Radix albicans, pene recta, gracilis, ſed multis filamentis prædita.

Tota planta eſt inodora.

Quale ſemen ferat ab Auctore noſtro non proditur.

MANDVBI D'ANGOLA, in Congo vocatur *Quubaci congo*; Cauliculo tenui ſarmentoſo longe ſuper terram ſerpit, inſtar *Ieticu*, ac novas fibras agit in terram, atque hinc inde unius, duorum aut trium digitorum intervallo profert pediculos, tres aut quatuor digitos altos, ſtriatos, qui tria folia, phaſeolorum modo diſpoſita ſuſtinent, dilute viridia, duos & amplius digitos longa, figuræ ellypticæ, nervo ſecundum longitudinem & venis oblique currentibus. In eodem caule etiam floſculi proveniunt in ſuis pediculis egregie flavi. Caulis, ut dixi, multas fibras agit, quibus ſub terra annaſcuntur retis fere figura & nucis avellanæ magnitudine aut paulo majoris, folliculi, quorum ſubſtantia alutam ovillam craſſitie æquat, exterius terrei ſeu umbroſi coloris, interius ſplendide albi: quilibet autem folliculus ſecundum longitudinem circum circa quaſi ſuturam monſtrat & preſſus ſecundum illam finditur, continens in ſe duo grana vel etiam unum, ſi minor ſit, more ſeminis piſorum adhærentia, piſiformia & ejuſdem magnitudinis flavo-pallida, ejuſdem cum piſis recentibus conſiſtentiæ & cum ſiccis ſaporis; quæ commeduntur. Plantatur hoc modo: exempta è folliculis grana, digiti altitudine terræ inſeruntur, ſatis amplo intervallo, ſæpiuſque irrigantur; (deſiderant enim humiditatem) brevi erumpunt Cauliculi, qui deinde ſe multiplicabunt & fructus dabunt innumeros. Convenit cum *Openauck* Virginiæ deſcripto à Ioanne de Laet.

Annotatio. Quia Auctor noſter hanc Plantam comparat cum *Openauck*, operæ pretium putavi hic repetere quæ lib. III. cap. XXII. deſcripſit. Americæ de illa dixi. Etiam radices edules ſponte hic proveniunt, imprimis quas Indiginæ *Openauck* vocant, rotundæ, juglandi nuci magnitudine pares, interdum & multo majores; naſcuntur humidis & paludoſis locis plures inter

res inter ſe cohærentes & veluti funiculo colligatæ, in aqua coctæ, aut igne toſtæ boni ſunt alimenti. Dubito autem an eadem planta merito cenſeri debeat: & magis credo eſſe ſpeciem piſi ſub terra fructificantis, hanc ab Auctore noſtro deſcriptam.

CAP. XXI.

Innominata. Jurumu. Cucurbita. Cucumis Silveſtris. Alcæa hirſuta. Conyza inodorata.

HERBA (*quam Auctor non nominat ſed tantum hanc ejus dat iconem*) in duorum aut etiam trium pedum aſſurgit altitudinem: caule tereti, geniculato, ſubruffeſcenti, paululumque piloſo: ex geniculis emittit ramulos & bina folia ſemper ſibi oppoſita, brevibus pediculis innitentia, quinque aut ſex digitos longa, aliquando craſſo modo dentata, interdum etiam non.



In extremitate ramulorum flores naſcuntur ſolitarii, lutei coloris, umbelico conico conſtantes, & in ambitu illius quinque foliolis luteis minimis.

Radix exilis admodum.

Flos tritus odorem habet ſuavem fere ut Chamæmelum.

IURUMU Braſilienſibus: Luſitanis *Bobora*,



Belgis Pompoen; folia fert fere ſimilia noſtratibus peponibus; & florem quoque flavum quinque foliis conſtantem. Fructus autem illius magnus, orbicularis, compreſſus, ſtriatus, coloris exterius cinnabrii cum plurimo albo mixti, interius autem crocei: ſemen quoque album quale noſtratibus. Boni Saporis eſt fructus coctus ſeu etiam aſſatus ſub cineribus.

Reperitur hic quoque Cucurbita lagenæ forma: cujus planta folia habet ſimilia cæteris ſpeciebus: flos quoque albus, magnus, quinque foliis conſtans, obrotundus, in medio habens ſtamina brevia luteſcentia. Semen fructus eſt pallidum, compreſſum, utraque extremitate quaſi bicorne.

Cucumis Silveſtris Braſiliæ, ſarmentoſo caule ſerpit ſuper terram, in longis pediculis folia habens ſingulatim poſita, quodlibet in tres lacinias ſectum, ac in ambitu dentatum, atque hirſutum. Flos flavus: fructus ovi gallinæ magnitudine, ellipticæ figuræ, tuberculis per ambitum acutis, maturus eſt pallidus. Intus cucumeris modo ſemina alba tranſverſim ſita multa: edulis eſt.

ALCÆA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ALCÆA hirſuta, flore flavo, & ſemine moſcato, ex parte reſpondet Ægyptiacæ C. Cluſii quæ Bamia Ægyptia Alpini, & ſunt ſpecies congeneres. Ex ſemine ſato primo ſurgunt duo foliola, nummulariæ æmula, dein provenit caulis rotundus, una parte viridis, altera ruſſus, hirſutus, duos circiter pedes altus, craſſitie pennæ anſerinæ. Hinc inde in pediculis, quatuor quinque aut etiam ſex digitos longis, hirſutis, uno latere viridibus, altero ruſeſcentibus, folia appoſita circinata, quinquangularia, in ambitu ſerrata, hirſuta ac paulum rugoſa, quædam & triangularia, duos digitos longa & totidem lata, atque etiam minora: quinque nervis è centro, ubi pediculus inſeritur procedentibus, in exortu ruſeſcentibus, ſecundum longitudinem prædita & multis venulis varie intertexta. Ad pediculos foliorum, unus atque alter enaſcitur pediculus brevior cum foliis minoribus, & in pediculo duos digitos longo flos inodorus, magnitudine & figura fere floris goſſypii, elegans, quinque foliis conſtans, ſeſquidigitum longis, læte flavis, ac flavis venulis ſecundum longitudinem conſpicuis, interius ungues foliorum inſigniter ex rubro & brunno purpuraſcunt, ut & exterius ubi pediculo inſeruntur: in centro floris eſt ſtamen erectum, ſemidigitum altum, flavum, cui ſuperius quinque clavi infixi ſuis cuſpidibus, brunni ſeu purpurei coloris. Flores ſe aperiunt bihorium aut trihorium ante meridiem & ſtatim à meridie corrugantur & decidunt. Poſt florem provenit corpus pentagonum & turbinatum, duos & ſemis digitos longum, hirſutum, interius in quinque cellulas diſtinctum; in qualibet duodecim, tredecim, quatuordecim grana ſeminis ordine leviter adhærent, ita ut in una capſula ſeptuaginta aut etiam plura contineantur grana. Semen autem eſt figura lunæ gibbæ aut renis ovilli, exterius gryſeum, quaſi leviter ſtriatum, interius albam ſubſtantiam habens: odorem fragrantiſſimum moſchi referentem ſi maſticetur. Radix longa, alba, lenta, in multos ramulos & filamenta diſperſa, ita ut longitudine ſua plantam æquet: & profunde inſeritur terræ. Moritur ſingulis annis. Locuſtæ virides minores lubentur folia depaſcunt. Colitur in hortis: ſevi ſexto Aprilis & floruit fine Auguſti & Septembri & tulit ſemen copioſum.



CONYZA inodorata: In ſeſquipedalem altitudinem aſſurgit, caule cavo, tereti, leniter hirſuto, & multis ramulis ex adverſo poſitis prædito. Ad ramulorum exortum & ad nodos, bina, terna aut quaterna folia ſibi oppoſita aut etiam juncta habet, mollia, oblonga, unum majus altero, dilute viridia, non ſerrata, verum acuminata. Ad foliorum inſertionem prodeunt pediculi; unum, duos vel etiam tres digitos longi, qui floſculum ferunt luteum, cum corpore ovali luteo in medio floris: magnitudo floris ut Chamæmeli, ſed plane eſt inodorus. Quale ſemen ferat ab Auctore proditum non inveni.

CAP. XXII.

Garyophillata. Camanbaya. Gandiroba vel Nhandiroba. Gnaphalium Braſil. Innominata, Iaſmini ſpecies.

GARYOPHILLATA herba: Caulis ad trium pedum aut etiam majorem altitudinem aſſurgit, ad ſingula genicula quaſi duos ramos oppoſitos habens, atque itidem duo folia, quæ cum pediculo ſuo quatuor digitos æquant (ſuperiora ſunt anguſtiora) in quinque alia ſingula ſecta, nimirum bina priora oppoſita & quintum in extremitate. Sunt autem folia in ambitu dentata ac læte viridia. In extremitatibus ramorum, in ſingulis provenit flos flavus, Tormentillæ æmulus, conſtans quinque foliis anguſtis, quibus multa foliola viridia ſubſtrata. Poſt flores ſequitur capitulum rotundum, hiſpidum, continens ſemina oblonga, figura repræſen-

præſentantia palos illos clavis ferreis armatos, quibus admunimenta utuntur. Radix multa habet filamenta, & odore refert Garyophyllos: Vnde nomen meruit.



CAMANBAYA Braſilienſibus; Herba eſt filamentoſa, dependens ab altiſſimis arboribus, gryſei coloris, & quaſi lanuginoſa: obducuntur illa integræ arbores. Filum eſt, cui hinc inde certis intervallis, ſex, quinque, tria, duo, vel etiam unum folium roſmarini æmulum adſiſtit, inodorum.

GNAPHALIVM Braſilienſe mihi videtur Planta, quæ ex radice minimum digitum craſſa, multis filamentis prædita, (odore aliquantum cum Elenii radice conveniente, ſapore tamen haud manifeſto, perenni & quæ novos ſubinde caules protrudit) ſex interdum & plures prodeũt caules, mediocriter rotundi, inferius craſſi, ad trium pedum altitudinem, geniculati, quaſi ob folia quæ illos ambiunt ſubfuſci & alba lanugine obſiti: folia autem ambiunt multa, tres vel quatuor digitos longa, anguſta, viridia, ac copioſa lanugine alba ſeu tomento obſita, ſuperius minora fiunt ad caulem, & caulis diſpeſcitur in multos ramos, mediocriter hirſutos. Ramos ornant hinc inde foliola anguſtiſſima, lanugine incana, unum aut duos digitos longa. In extremitatibus autem ramorum proveniunt capitula, ex ſquamis oblongis argentei coloris, ſplendentibus compoſita, quibus floſculi innaſcuntur copioſi, cuilibet nimirum ſquamulæ quinque, conſtantes quinque foliolis albis, diſſectis, in medio eminente ſtaminulo albo-purpuraſcente: cæterum ſunt penitus inodori. Poſt floſculos naſcitur ſemen in ipſis ſquamis, oblongum, fugax, coloris fuſco-argentei.

GHANDIROBA vel NHANDIROBA Braſilienſibus. Hederæ ſcandentis ſpecies, more



Murucujæ aſcendit, ſarmentis paulo tenerioribus. Folia habet diſpoſita more Hederæ ſubrotunda & quaſi in tres angulos deſinentia, quatuor digitos longa & totidem lata, viridia, glabra,

glabra, ſplendentia. Floſculos fert parvos ex pallido luteſcentes & quatuor foliolis conſtantes. Fructus ſequitur rotundus, viridis, ſplendens, inſtar Murucujæ, pomi majoris magnitudine, ſuperius circulum inſculptum quaſi continens & in centro ejus tres lineas, una extremitate ad angulos obtuſos ſe contingentes. Fructus ſecundum longitudinem diſſectus, interius apparet cavus, cortexque illius Murucujæ cortici craſſitie eſt æqualis, duplici ſubſtantia compoſitus, exterius minima craſſitie lignoſa, reliqua interius ſpongioſa, ſucculenta, alba: cavitas fructus in medio per interſtitia more juglandis, in tres diſpeſcitur concamerationes, continetque in qualibet quatuor (in totum duodecim) ordine diſpoſita corpora ſubrotunda, clypeata, ſatis craſſa, magnitudine pataci, in extremitate ambitus tenuiora, ſolida verſus medium. Quodlibet corpus, primum pellicula obductum eſt uvea, punctulis ſeu tuberculis nigricantibus, qua defricta cortex ligneus fuſcus apparet, inſtar teſtæ ovi fragilis, in ambitu dentatus. Cortice fracto intus albus apparet, continetque oleaginoſum nucleum ex albo flaveſcentem, pelliculæ incluſum. Ex hoc nucleo oleum parant Braſilienſes, quo in lucernis utuntur, clariſſimum & optimum, tarde enim conſumitur; in cibo non poteſt uſurpari, quia amarum eſt quemadmodum & totus fructus.

Planta hæc (*cujus nomen ab Auctore non proditur*) in novem & non raro decem pedum altitudinem excreſcit, elegantis arbuſculæ forma: caudice recto & pollicem craſſo; inferiori parte ſine ramis, ſuperiori vero in ramos diſtributo: in quibus folia fert Malvæ modo diſpoſita, longis pediculis, magna, in totum hirſuta, inferiori parte albicantia, per ambitum ſerrata & ad tactum glutinoſa, quemadmodum & univerſa eſt planta. In extremitatibus porro ramorum, & capitellis hirſutis, ad modum Alceæ enaſcuntur flores inſigniter incarnati, quinque foliis conſtantes itidem glutinoſis, in cujus medio ſtamen eminet, ſtaminulis multis veluti ramulis repletum, coloris flavi, ſemen profert ſplendide nigricans, oblongum, quaſi triangulare, magnitudine grani Fagopyri.



Iasmini ſpecies videtur Planta, (*Cujus nomen Braſilienſe aut Iconem Auctor non dedit*) quæ ex tenui radicula, unum atque alterum filamentum ſuperius habente, vel etiam è duabus radiculis, unicum caulem emittit, teretem, glabrum, viridem, geniculatum, interius medulloſum. Ad ſingula autem genicula, bina ſibi opponuntur folia, ſine pediculis, tres vel quatuor digitos longa, læte viridia, lævia, nervo ſecundum longitudinem, & coſtis tranſverſis oblique diſcurrentibus. Superius porro in caule ad internodia, ubi folia conſiſtunt, copioſi flores conjunctim naſcuntur Papilionacei, quaſi uno folio lato conſtantes, quod in tres partes ſectum eſt, & deorſum incurvatum, & altero anguſto & quaſi continuata ſurſum erecta: ex ipſo autem flore duo ſtamina flaveſcentia prodeunt, apicibus flavis, & è medio aliud ſtaminulum abſque apice; eſt autem flos ipſe coloris ſplendidiſſime rubri.

Herba (*cui Auctor noſter nomen non adſcripſit*) in duorum circiter pedum altitudinem aſſurgit in multos ramos diſtributa: caulis illius teres & ſubtilibus pilis albis veſtitus: folia autem hinc inde ſunt poſita, in brevibus pediculis, oblonga & acuminata, itidem piloſa. Hinc inde quoque in brevibus pediculis floſculi proveniunt parvuli plane, ſpicatim vero congeſti, coloris ſanguinei. Poſt floſculos illos ſequitur capſula inſtar Lini, fere triangularis, rotundior tamen, ſuperius quidem tricuſpis atque ad viſum ut inſula, in qua illius ſemen continetur.

CAP. XXIII.

Pino. Paco Caatinga. Paco Seroca. Innominata. Nhambi. Caaponga. Tamoatarana.



PINO Braſilienſibus; Vrticæ Vrentis ſpecies, Ex radice parva filamentoſa, in octo aut novem pedum aſſurgit altitudinem, caule ſtriato, aliquantulum piloſo, & craſſo: Folia habet hinc inde poſita, ſolitaria vel duo juxta ſe invicem: quorum quodlibet innititur pediculo ſeſquipedem longo aut etiam longiori, ex albo paulum ruféſcenti. Folia autem urticæ noſtrati ſimilia, magna, in ambitu dentata, triangularibus dentibus, & raris pilis prædita. Fert ſuperius racematim plures floſculos plane parvulos, candidi coloris longo pediculo inſidentes. *Quale autem ſemen ferat ab Auctore noſtro annotatum non inveni.*

PACO CAATINGA Braſilienſibus: vulgo *Cana do mato* id eſt ſilveſtris; caulem habet arundinaceum, digitalis craſſitudinis, rotundum, & intus continentem ſucculentam medullam ſubdulcis saporis, conſiſtentiæ fere ut Canna ſaccharifera: Hunc porro ambiunt ſine pediculis hinc inde folia ſolida, ſeptem, octo vel novem digitos longa, circiter tres lata, ubi latiſſima, interdum & majora, figura linguæ, in medio nervo ſecundum longitudinem, nullis ſecundum latitudinem venis, ſed ſubtiliſſimis lineis oblique diſcurrentibus ut in foliis Meeru: ſuntque ſuperius glabra & dilute viridia, inferius molli hirſutie prædita & ſubalbicantia. In ſummitate caulis provenit conus (ut in pinu) octo aut novem digitos longus, in faſtigio paulo acutior, ſquamis præditus ut conus pinus, quæ in prominentibus extremitatibus aurei ſunt coloris, in partibus ubi ſibi invicem incumbunt miniati. Succeſſu autem tẽporis ſquamæ illæ ab ſe invicem dilatantur & ſub quaque apparet floſculus canus, inſtar alveoli apiarii, dilute purpuraſcentis coloris: ſub floſculo vero cuticula eſt albeſcens, rotundum ſacculum præbens, & quælibet continens viginti quatuor aut plura grana ſeminis nigri ſplendentis, magnitudine ſeminis ceparum, multangularis, ſuntque grana albis filamentis quaſi lineis involuta & illis adhærent. Caulis hujus plantæ maſticatus detrahit humores è capite, calefacit inſuper; & frangit calculos uſurpatus. Vulgo maſticatur contra Gonorrheam (quam Luſitani vocant *Eſquentamento*) atque eſt inſigne remedium; nimirum frequenter de die maſticanda arundo, ſuccus deglutiendus: curat circiter octo diebus ſine ullo alio medicamento adhibito.



Reperitur & alia ſpecies præcedenti ſimilis, excepto quod folia inferius non ſunt hirſuta, ſed lævia ut ſuperne & floſculi ſint rubri.

Sicuti & alia ſpecies, hoc tantum habens peculiare, quod conus conſtet floribus cæruleis, qui ſinguli quatuor habent folia.

PACO SEROCA Braſilienſibus dicta planta, in ſex, ſeptemve pedum aſſurgit altitudinem;

nem; caule recto, ſpongioſo & viridi inſtar *Meeru*: habetque folia eodem modo alternatim diſpoſita & ejuſdem magnitudinis, figuræ, coloris, ac ſimilibus lineis, ſed in ſummitate folium convolutum ut in *Paco*. Ad exortum autem caulis prope ſolum provenit pediculus craſſus, verum brevis, in aliquot ramulos ſuperius diviſus, qui multos habent flores, ſeſquidigitum aut circiter longos, cavos, floribus Paco quidem ſimiles, ſed incarnate rubentes. Flores hoſce ſequitur fructus in uvam congeſtus pruni magnitudine & figura, habens prominentem umbelicum; eſtque adhuc immaturus ſaturate viridis, maturus vero ſuffuſcus, triangularis figuræ, & cortice aurantiæ mali cortici pene æquali, qui ſponte finditur in tres partes atque facile ſeparatur: intus vero habet paucam pulpam, filamentoſam, magnitudine nucis avellanæ, in tres itidem partes diviſibilem per cuticulam flavam: pulpa autem hæc cinnabrii eſt coloris, odoris vinoſi, fere ut pomum noſtras cidonium, in qua continentur ſupra triginta grana ſeminis, triangularia, fuſca, cum macula cinnabria in acutiore parte, magnitudine ſeminis cannabis, & albiſſimum nucleum habentia: cortex exterior ſucculentus, qui cutem tingit colore brunno ut ceraſa noſtratia nigra vel Violæ Martiæ; atque ideo uſurpatur loco atramenti.



Folia recentia ut & caulis & fructus immaturus, ſi fricentur, odorem de ſe fundunt zinziberis & ſuavem admodum.

CAAPONGA Braſilienſibus dicta planta, Portulacæ eſt ſpecies quæ *Bel droga* Luſitanis dicitur; ex radice autem brevi & in multa filamenta alba deſinente, producit caulem rotundum, craſſiuſculum & ſucculentum, qui ſtatim prope terram in multos alios caules dividitur & hi porro in ſuos ramos, qui veſtiuntur foliis inſtar portulacæ ſucculentis atque alternatim poſitis: in extremitate autem cujuſlibet rami, octo folia in ſtellæ modum diſpoſita ſunt, ex quorum medio flos enaſcitur luteus, quinque foliis conſtans, magnitudine floris Portulacæ noſtratis.



Poſt florem denique remanet corpuſculum quoddam obrotundum, pappo albo circumdatum, in quo ſemen continetur nigricans, rotundum, papaveris ſemine paulo minus. Rami hujus plantæ tomento albo circumdati conſpiciuntur, inſtar lanæ ovium. Cocta comeditur hæc herba.

PLANTA hæc, (*cujus nomen ab Auctore non proditur*) ex radice lenta, paucis fibris prædita, producit caules tenues, teretes, inferiori parte virides ſuperiori rufeſcentes, partim humi repentes, partim ſurrectos. Caules autem inordinate multos habent ramulos, & in iis ſimiliter inordinate foliola oblonga, ſerrata, ſibi appoſita, verbenæ fere modo. In extremitate autem caulis enaſcitur flos, capitulo conſtans ſubargenteo, & ſtaminulis ex ruffo & cæruleo purpureis, odoris ut Viola Martia ſed remiſſioris. De fructu aut ſemine nihil ab Auctore annotatum inveni.



HERBA (*quam Auctor non nominat*) ex parvulis radiculis albis, juxta ſe poſitis, producit multa folia, ſuis pediculis adpoſita, Plantaginis figura & facie. E quorum medio caulis bipedalis aut tripedalis enaſcitur, qui fert flores verticillatim poſitos, tribus foliis conſtantes oblongis, albi ſeu lactei coloris, ſine odore. Caulis autem inferius rotundus quidem, ubi autem flores conſiſtunt angularis.

NHAMBI Braſilienſibus. Herba eſt caule ſatis craſſo, lignoſo, tereti, geniculato, qui por-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tulacæ more ſerpit & hinc inde fibras in terram dimittens radices agit, partim quoque ſe erigit. Expanditur varie in multos ramulos, geniculatos, binos ſibi ubique oppoſitos, in iiſque habet ad ſingula genicula bina folia oppoſita, interdum etiam plura, inæqualis magnitudinis: in extremitate autem ramulorum quinque, ſex, ſeptem folia ſibi invicem appoſita oblonga, figura cordis in ambitu leviter ſerrata, interdum & laciniata, dilute viridia. In extremitate quoque ramulorum enaſcuntur flores ſolitarii magnitudine ceraſi majoris aut minoris, conſtantes ſolo umbelico, rotundo & craſſo, flavo, ſine foliis. Semen in umbelico, fuſco per maturitatem, ovalis figuræ, plane compreſſum, ex fuſco gryſei coloris ſplendentis. Radix denique filamentoſa, tenera, alba. Folia maſticata linguam pungunt inſtar Sinapi ſeu Naſturtii. Hæc herba præſtantiſſimum eſt remedium contra quæcunque venenata animalia, ſi unciæ ſemis pondere è vino bibatur: vel ſi decoctum illius ſumatur cum media parte vini. Contra ventriculi & inteſtinorum frigiditatem ex pituita ortam etiam apprime valet. Folia vel ſemen affricatum Bubonis dorſo, quantocius illum enecat. Solet hæc herba cum piſcibus coqui & optime convenit.



PLANTA (*quam Auctor non nominat*) in ſeſquipedalem fere altitudinem aſſurgit, caule lignoſo, rotundo, cinerei coloris; qui ad ſemipedem fere ſupra terram in duas partes diſpeſcitur ſeu ramos magnos, atque hi iterum in minores ramulos, ita ut pæne egregiæ arbuſculæ figuram referat. Folia illius ſunt Orobi foliis figura ſimilia, ſemper tria ad modum Phaſeolorum juxta ſe poſita; tenuia, non ſerrata, ſed leviter hirſuta. Fert floſculos, quos ſequuntur quatuor aut quinque capſulæ juxta ſe in orbem poſitæ: quibus continentur totidem grana ſeminis, ſuæ cuticulæ incluſa, rotunda, nigra, ſed punctulis ſeu tuberculis ſubtilibus inſignita, ab uno deniq; latere videtur quaſi particula aliqua abſciſſa eſſet, atque ibidem albicat.

CAP. XXIV.

Innominatæ duæ. Omenapo Yeima. Convolvulus marinus. Pararo. Cara Inambu. Mandatia. Caaponga. Caa-apia.

PLANTA hæc (*cujus nomen ab Auctore non proditur*) ex radice ovali nucis avellanæ magnitudine, inferiori parte filamentoſa, emittit caulem rectum, obſcure brunnum & piloſum,

duobus

duobus aut tribus foliis præditum, quorum quodlibet quatuor, quinque, ſex, etiam decem aut duodecim digitos longum, figura foliis Tamoataranæ ſimile, nervo ſecundum longitudinem & multis venis obliquis inſignitum. Folia autem ſuperna parte dilute viridia, inferna albicantia, ubique piloſa, ad tactum ut holoſericum optimum, duplici ordine macularum quadratarum, majuſcularum, notatum, quæ in ſuperiori ſuperficie folii, coloris ſunt nigri, inferiori brunni. In ſummitate caulis tres aut quatuor enaſcuntur flores, coloris flavi, duobus foliis papilionaceis conſtantes, quorum alterum macula notatum eſt, pro ſtamine habet corniculum: flos inodorus eſt.




PLANTA *(quam Auctor non nominat)* caule tereti, recto, paulum piloſo, viridi, in trium aut quatuor pedum aſſurgit altitudinem, ac in longis pediculis bina ſemper folia oppoſita gerit, figura urticæ foliis ſimilia, ſed majora, in ambitu ſerrata; ad foliorum exortus etiam hinc inde rami opponuntur, qui eodem modo folia obtinent; in ſummitate caulis & extremitate ramorum minora. Flores ibidem fert in longam quaſi ſpicam congeſtos, elegantiſſimos, pediculo digitum longo inſiſtentes ac deorſum propendentes, figura mitræ Polonicæ, & in extremo ambitu habentes quinque inciſuras: ſunt autem coloris coccinei & interius punctulis ſaturate rubris variegati; præterea habent in medio ſtaminulum longum pallidum, cum apice liliaceo. Tota autem planta cum flore, odorem refert Marrubii ſeu Praſſii. De ſemine nihil apud Auctorem annotatum inveni.



OMENAPO YEIMA Braſilienſibus, Batatæ ſpecies eſt; humi ſerpens, caule ſarmentoſo, viridi: folia habens cordis figura, vel etiam aurita, ſolitarie poſita, viridia, nervo & venis viridibus. Radix cruda eſt alba, ſed cocta fit rubra, eſtque ut plurimum rotunda.

CONVOLVVLVS marinus ſeu *Soldanella* (Braſſica marina male à quibuſdam dicitur, vide Spigelii Iſagogen) ex radice lenta, longa, non craſſa, ſed gracili, paucis fibris prædita, nigricantis exterius coloris, intus alba & lactis glutinoſi plena; naſcuntur aliquot caules, longiſſime



ſerpentes ſuper terram, qui hinc inde radices iterum agunt, teretes, lenti & virides. Adnaſcuntur illis folia alternatim poſita vel oppoſita, quodlibet ſuo pediculo, quatuor aut quinque digitos longo inſidens, obrotundæ figuræ, inſtar clypei ſtomachalis, læte viride & aliquantum craſſum, elegantibus venis obliquis tranſcurrentibus, & nervo in medio. Hinc inde quoque prope pediculum foliorum petioli florum prodeunt tres, quatuor, quinque interdum & unicum florem ſuſtinentes, Campanulæ ſeu Convoluuli majoris figura, coloris dilute purpurei & in baſi nonnihil albicantis, in medio viſitur breve ſtamen, ut in Convolulis ſolet. In hoc flore interius quinquangularis repræſentatur ſtella; nam totus flos

ſupe-


ſuperius quaſi in quinque angulos deſinit. Claudit ſe flos poſt meridiem. Tota planta copioſe lacteſcit lacte glutinoſo.

HERBA (*cujus Auctor nomen non prodit*) caule viridi, piloſo, geniculato, partim ſerpit, partim aſſurgit, habens ad ſingula genicula duo folia Hyſſopi æmula, ſibi invicem oppoſita, & præterea aliquot minora, atque ibidem etiam ramulos oppoſitos: in ſummitate autem capitulum florum luteorum, qui ad medietatem ſuam in ſex crenas ſunt ſecti: in medio ſex ſtaminula alba.

PARARO Braſilienſibus, alia Batatæ ſpecies eſt, caule & foliis ut præcedens, niſi quod caulis hujus ſit purpureus, & nervi atque venæ foliorum itidem purpureæ ut & radix.

CARA INAMBI Braſilienſibus, ſpecies eſt *Inhame*, caule longe ſerpente, qui folia habet hinc inde ſolitarie poſita, quorum quædam ſunt cordis figura, quædam inſuper aurita, nervo ſecundum longitudinem, & venis obliquis conſpicua. Radix illius eſt candida.

MANDATIA Braſilienſibus dicta eſt Lablab Alpini, de qua planta vide Carolum Cluſium Rar. plant. Hiſtoria pag. CCXXVII. planta hæc ex Africa in Braſiliam eſt tranſlata. Phaſeoli illius cocti commeduntur.



CAA-APIA Braſilienſibus, ex radice unum aut ſeſquidigitum longa vel etiam duos digitos, pennæ olorinæ vel etiam minimi digiti craſſicie, nodoſa ſeu verrucoſa, & filamentis ad latera & inferiori parte tenuibus, & tres aut quatuor digitos longis prædita; exterius ex gryſeo rufeſcente, interius tota alba & lenta; tres vel quatuor pullulant pediculi teretes, tenues, tres quatuorve digitos longi, qui ſinguli ſuſtinent unum folium obrotundum vel oblongum; nimirum duos, tres, vel etiam quatuor digitos longum, ſeſquidigitum latum, ubi latiſſimum, tenerrimum, ſuperna parte viride & ſplendens, inferna paulum albicans, nervo & venis tranſverſis inferne conſpicuum: cæterum caret caule: Fert autem florem in proprio pediculo, rotundum, umbelici figura, ut Bellidis flos, multis ſtaminibus conſtantem pallidis, inter quæ ſemen provenit rotundum & ſeminis ſinapis magnitudine. Radix initio haud manifeſto ſapore eſt prædita, ſed manſa quodammodo acris eſt & relinquit in lingua vellicantem ſaporem. Inſigne eſt remedium contra venena, & contra alvi fluxum diſenteriacum. Poteſt & tota Herba ʒI. s. per diem naturalem infundi in vino, atque hinc exprimi & diſenteria laboranti mane præberi, ita ut jejunet per quatuor horas; purgat enim ita ut ſimul profluvium ſiſtat Reperitur & hîc alia *Caa-apia* ſpecies, præcedenti ſimilis, excepto quod folia quidem ſint ejuſdem figuræ, verum in ambitu ſerrata & hirſuta, quodque & pediculi horum raris pilis veſtiantur. Florem fert in proprio pediculo rotundum cum umbelico in medio, inſtar floris Chamæmeli.

HERBA (*cui Auctor Braſilienſe nomen non adſcripſit*) Scoparia appellari poteſt, nam in Braſilia Scopæ ex illa fiunt; Verbenæ facie eſt, & in figuram arbuſculæ excreſcit, nimirum in ſeſquipedis altitudinem & ſæpe majorem. Folia habet ſibi invicem directe oppoſita, foliis Verbenæ ſimilia, & ad folia exoriuntur ramuli qui itidem foliis veſtiuntur. Ad exortum autem foliorum etiam breves pediculi enaſcuntur, qui floſculos albos ferunt, quatuor foliolis conſtantes, & poſt illos rotunda corpuſcula inſtar baccularum, quibus continetur ſemen minimum pene inſtar pulveris, fuſcum. Radix illius recta, brevis, candida, plurimis filamentis prædita. Planta caret odore & ſapore manifeſto.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XXV.

Agutiguepo-obi. Innominata. Tamoatarana, Innominatæ aliquot.

AGVTIGVEPO-OBI & *Acutitiguepo* Braſilienſibus; ex radice ſuperius rotunda, ſubruffa & ſucculenta, quæque inferius ſex, ſeptem, octove digitos in terra oblique diſtenditur, & multa craſſa habet filamenta; provenit caulis, tres, quatuor, quinque pedes longus, arundinaceus, rectus, digitum craſſus, hinc inde habens in pediculis duos, tres, vel etiam quinque aut ſex digitos longis, folia unum aut ſeſqui aut etiam duos pedes longa, quatuor digitos lata, acuminata, eleganter viridia, ſplendentia, ad tactum inſtar membranaceæ chartæ aut foliorum Pacoeira, nervo ſecundum longitudinem & ſubtiliſſimis lineis obliquis decorata, & in ambitu linea rubra fimbriata. In ſummitate caulis provenit flos inſtar Lilii egregie incurvati & ignei coloris, tribus vel quatuor foliis conſtans: apud quodlibet folium tria, quatuor aut quinque ſtamina exſtant ejuſdem coloris, figuræ ut dens apri. *Semen non deſcribit Auctor.* Radix contuſa ulceribus medetur, mundat ea & implet carne: aſſatæ autem & coctæ comeduntur tempore famis.



PLANTA hæc (*cujus nomen ab Auctore non proditur*) ex radice alba, ſucculenta, oblonga, & multis filamentis prædita, producit quatuor, quinque, ſex, aut plures caules, rotundos, cavos ſeu fiſtuloſos, virides, ſpongioſos, bipedalis aut etiam majoris longitudinis: quilibet autem tantum unicum ſuſtinet folium, & ſuperius unicam ſpicam, quæ prodit è latere caulis veluti è vagina. Folium autem quodlibet, quatuor vel quinque digitos eſt longum, & ſplendide viride, figura cordis. Floſculi vero in ſpicam congeſti, longiuſculi & ſex foliolis conſtantes, quorum tria ſuperiora coloris ſunt cæruleo purpurei, inferius vergentia obſcure purpurei. Inodorus eſt flos.



Quale ſemen ferat ab Auctore obſervatum non inveni.



TAMOATARANA Braſilienſibus, planta quæ ex bulbo albo, ſplendente, triangulatis tunicis conſtante, figura & conſtitutione ut Tulipa, ovali vel etiam rotunda, magnitudine ovi anſerini vel etiam minoris, producit caulem duos aut tres pedes altum, inferius in longis pediculis duo vel tria folia habentem, ut & in ſummitate unum aut alterum, foliis *Coti trepooba* figura & aſpectu ſimilia, ſed paulo minora. Sub folio autem quod in ſummitate caulis eſt, pediculi duo, tres, quatuorve proveniunt, duos circiter digitos longi, qui quatuor ferunt flores, ſplendide albos, ſeſquidigitum longos,

ex triangulatis obtuſis ſquamis more pineæ nucis compoſitos, inodoros. Bulbus coquitur, & more Batatæ comeditur, boni ſaporis.

HERBA hæc (*quam Auctor non nominat*) frutices atque arbores aſcendit, iiſque ſe implicat; caulem habens rotundum, uno latere plerumque brunnum, altero viridem, per totum autem



punctulis brunnis variegatum & piloſum: intervallo autem ſemipedis fere in caule ad latus extenditur ſemper ramus ſatis craſſus, ſemipedem circiter longus, itidem hirſutus, qui ſubrotunda & quaſi turbinata corpuſcula, ſuis pediculis innitentia & hirſuta ſuſtinet, quæ ſeſe aperientia florem exhibent candidum uno folio conſtantem inſtar campanulæ: in eodem autem puncto è quo prodit pediculus qui florem ſuſtinet, etiam pediculus ejuſdem craſſitiei ac quatuor circiter digitos longus enaſcitur, quinque folia in orbem diſpoſita ſuſtinens ut in Pentaphyllo, ad tactum mollia, ſuperius viridia, inferius ſubalbicantia, ac ubique pilis albicantibus prædita.



PLANTA hæc (*cui Auctor nullum nomen adſcripſit*) in ſeſquipedalem altitudinem aſſurgit, caule rotundo, leniter hirſuto, geniculato; ad genicula autem bina folia ſibi invicem oppoſita, leniter item hirſuta, oblonga, viridia; & in extremitatibus ramulorum multa foliola ſibi adjuncta; atque inter illa flores ex longo calice prodeuntes, ex lacteſcente dilute purpurei coloris, unica quidem parte conſtantes, ſed ſuperius in quinque lacinias diviſi, nullo in cētro ſtamine. Poſt florem ſequuntur folliculi magnitudine grani cannabini quibus continetur ſemē compreſſum fuſcum.



Annotatio. Iconem ex herbis ſiccis ab Auctore collectis delineandam curavimus, ſiquidem ipſe illam non addiderat.

PLANTA hæc (*cujus nomen Auctor non prodidit*) Vetonicæ figura adſurgit, caule tereti, hirſuto; quorum quatuor aut quinque prodeunt ex una radice, tenui & fla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


& flava: folia illius ſunt viridia, ſerrata, Vetonicæ æmula quidem ſed plane hirſuta. Floſculos fert (*quos tamen Auctor non deſcripſit*) hinc proveniunt capſulæ baccis myrti magnitudine pares, in quibus continetur ſemen copioſum, ſplendidum, durum ut Lithoſpecmon ſeu milium Solis, verumtamen paulo minus.

Annotatio. Nullam hujus Plantæ Iconem reliquit Auctor, quare illam ex Herbis illius ſiccis, delineandam curavi; ſunt autem folia ſubtiliſſime ſerrata, (quod à pictore non ſatis bene expreſſum:) & valde hirſuta, & caules illius lignoſi; flores autem obſervare non potui.

CAP. XXVI.

Aguara quiya. Sagittaria cordialis. Innominata. Inimboy icon.

AGVARA QVIYA Braſilienſibus; *Erva moura* Luſitanis. Eſt Solatrum officinarum ſive Solanum Bacciferum.



Planta hæc è radice longa, & in plures alias diviſa, filamentoſa, alba, in arbuſculæ figuram ſurgit, caule lignoſo, medulloſo, viridi, nodoſo, qui hinc inde in multos ramos ſe ſpargit. Folia habet Capſico Braſilienſi ſimilia, duo, tria vel quatuor juxta ſe poſita, inæqualis magnitudinis. Hinc inde quoque provenit pediculus ſolitarius digitum longus qui ſuperius duos, tres atque etiam plures ſuſtinet breviores, in quorum quolibet enaſcitur floſculus, deorſum ſe inclinans, foliola quinque acuminata, lactei coloris, retrorſum inclinata obtinens, & in medio ſtaminula craſſiuſcula, erecta, lutea, quinque juxta ſe poſita.

Poſt floſculos proveniunt baccæ primum virides, per maturitatem nigræ, ſplendentes, rotundæ, magnitudine myrtillorum noſtratium, ſucculentę multos acinos purpuraſcentes continentes, quę ab avibus comeduntur.



Tota planta nullum alium præter herbaceum odorem habet aut saporem, multi autem uſus eſt in medicina. Pſeudocapſicum Dodonei convenit cum hac planta quoad folia & florem, fructum tamen ſcribit eſſe rubrum.

AN SAGITTARIA Cordialis poterit vocari?


Hæc planta in trium pedum altitudinem aſſurgit caule tereti, hirſuto, alato; foliis in illum inſertis ſagittæ figura, eo modo ut plumæ ſagittis inſeri ſolent, ex caule prominentibus, in utroque latere hirſutis: folia præterea habet caulis & ramuli ejus anguſta oblonga, ſuperius viridia, inferius incana, in totum autem piloſa, & majora ſunt cauli inferius adnata. In ſummitate caulis pediculi aliquot longi erumpunt, in quibus floſculi proveniunt, figura florum Piſorum lutei, tribus foliis conſtantes, quorum ſuperius ſecundum longitudinem ſtriis purpureis eſt variegatum.

Poſt flores ſequuntur ſiliquæ fuſcæ aut nigræ, piſorum ſiliquis ſimiles, continentes ſemen ſplendens, vireſcens ſeu olivaceo colore, figuræ quaſi ſemilunulæ, ſeu rectius cordis, ut pingi ſolet. Admodum autem vermibus obnoxium eſt & vix inter decem unum reperitur quod non ſit perforatum, & ſemen à vermibus abſumitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Radix recta eſt, tres aut quatuor digitos longa, tenuis, unam atque alteram prolem adjunctam habens.

Annotatio. Iconem hujus plantæ non dederat Auctor, ſed ex herbis ſiccis ab ipſo collectis delineandam curavimus.



HERBA (*cui nomen Auctor non adſcripſit*) ita ſe habet. In ſeſquipedalem aut paulo majorem altitudinē aſſurgunt caules multi, ſtriati, pluribus ramis onuſti, quorum quilibet eo loco quo è caule oritur, nodum habet: rami inordinate poſiti, folia ad exortum ſolitaria, oblonga, faſtigiata, venoſa, ad tactum mollia, foliis oxylapathi ſimilia: interdum majuſculo folio minutulum junctum: diſtat unum ab altero circiter ſeſquidigitum. In ſummitate caulis & ramorum extremitate naſcuntur multæ ſpicæ parvulæ virides, quatuor aut quinque digitos longæ, quæ ſeſe aperientes floſculos promunt minimos, flavos, tantæ parvitatis ut foliolum quodlibet floris non ſit majus cuſpide acus.

Radix albicat, lignoſa, nullo manifeſto ſapore: perrennis eſt planta & novos producit caules. Vide Mathiol. pag. 446.

Annotatio. Nullam hujus Plantæ Iconem Auctor noſter reliquerat, itaque illam ex Herbis ſiccis ab illo collectis delineandam curavi. Porro Matthiolus folio ab Auctore indicato deſcribit Centaurium minus, cum quo hæc Planta minime convenit, qua editione uſus ſit ignoro; nec obſervare potui apud Mathiolum plantam huic ſimilem.



Icon Inimboy *ſupra pag.* 12. *omiſſa.*

GEOR-

GEORGI MARCGRAVI

HISTORIÆ PLANTARUM


LIBER SECUNDUS,

Qui agit de Plantis Fruteſcentibus & Fruticibus.

CAPUT PRIMUM.

De Plantis ex quibus fit Anil.

HERVA D'ANIR Luſitanis (utrum peculiare nomen habeat apud Braſilienſes ab Auctore non proditur, videntur uſum illius penitus ignoraſſe:) ex radice gracili, longa, in multos ramos diſtributa, lignoſa ac lenta, plures aſſurgunt caules, duos, tres & quandoque plures pedes longi, teretes, humi ſerpentes, & hinc inde filamentis in terram dimiſſis radicantes, verſus extremitatem autem ſe ſurrigentes: ex hiſce maximam partem jacentibus caulibus, alii plures in altitudinem adſurgunt, ex quolibet octo, novem ſæpius & decem, itidem teretes, lignoſi, uno latere paulum rufeſcentes. Caules omnes ornantur ramulis unum digitum longis, alternata ſerie diſpoſitis; & quilibet habet ſeptem cinereſcentia foliola, bina ſibi oppoſita & extremum ſolum: foliola habent in medio ſecundum longitudinẽ nervulum, non ſerrata, ſimilia foliis Trifolii corniculari Dodonei lib. XIX, cap. 17. juxta ramulos enaſcuntur breves pediculi & in iis floſculi quatuor, quinque, ſex aut plures, plane parvuli, purpurei cum albo diluti, figura caſſidis apertæ, ut in Hedera terreſtri vel Vrtica mortua, odoris jucundi.



Naſcitur paſſim in Braſilia.

Ex hac planta poteſt color Anir præparari.

ANNOTATIO. Ioſ. Scaliger. *Nil* vel potius *Nir* Arabibus eſt color cæruleus; qui vulgo Hiſpanis tam *Anir* quam *Anil* dicitur. Arabes quoque Iſatidem Herbam vocant *Nil*.

Garſias ab Horto lib. II. cap. XXVI. *Anil* Arabibus, Turcis, omnibuſque iis nationibus dictum, vocatur in Guzarate, ubi fit, *Gali*, nunc vero pleriſque *Nil*. Herba eſt quæ ſeritur ſin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

gulis annis Ocymo ſimilis: eodem enim modo colligitur & ſiccata maceratur. Hanc deinde probe contuſam & in panes coactam per aliquot dies ſiccandam exponunt: & ſiccata viridi colore prædita videtur, quoque magis exſiccatur, eo magis ad cæruleum tendit, donec tandem in cæruleum exſaturatum ſive venetum colorem evadat. *Cluſ. Mangiriquam* habet Auctor: quod vocabulum, quotquot Luſitanos conſului, Baſilicum ſeu Ocymum interpretati ſunt. At mihi iniqua admodum iſta comparatio videtur. Siquidem non ſolemus ex Ocymo paſtillos conficere, ſed potius ex Iſatide, quæ cum hujus plantæ deſcriptione multo elegantius quadrat. *Hæc ille*. De hac planta & modo eliciendi colorem illum diximus in deſcriptione Imperii Magni Mogolis, nunc adjungemus quæ Fr. Ximenes tradit in commentario ſuo de Plantis Novæ Hiſpaniæ.

Xihuiquilitl pitzahuac, inquit, id eſt Annir foliis ſubtilibus, eſt frutex, ex una radice plures producens truncos, ſex palmorum in altitudinem, & digitum minorem craſſos, coloris cinericei: folia habet ſimilia Ciceri, flores exiguos è candido rubicundos, cum quibuſdam ſiliquis coacervatim pendulis è caule quæ ſimiles ſunt vermiculis, quos vocamus *aſcarides*, craſſiuſculæ & plenæ ſemine nigro, quod non male legumini comparatur. Planta nonnihil amaricat, eſtque acuta, calida & ſicca in ſecundo gradu; pulvis medetur plagis veteribus, ſi ante urina abluantur, unde à quibuſdam vocatur *Palancapatli*. Folia contuſa & emplaſtro applicata, dolorem capitis dicuntur mitigare, maxime in infantibus: etiam in aqua macerata & cerebro applicata. Fit ex hac planta quod Americani vocant *Tlacchoylimihuitl*, quo capillos tingunt colore nigro. Naſcitur ſponte locis calidis, tam planis quam montuoſis. Licet autem quidam herbam eſſe cenſeant, mihi videtur frutex, qui vivit biennio cum ſummo vigore & viribus integris. Modus autem conficiendi cæruleum, quod Mexicani dicunt *Mohuitli* & *Tlecohuilli*, Hiſpani autem *Azul*, hic eſt. Indunt folia decerpta æneo vaſi, pleno aqua modice calida vel tepida (licet quidam magis probent frigidã) & verſant valide, donec aqua tingatur: eam effundunt dein in aliud vas ſive ollam, cui in ſuperiore parte eſt foramen è quo aqua magis clara dilabitur, turbida autem & quæ ſubſtantiam foliorum exhauſit, ſubſidet: ea porro colatur per ſaccum cannabinum, & ſpiſſior ſubſtantia formatur in paſtillos & exponitur ſoli, atque poſtea patinis compoſita imponitur prunis ardentibus, ut indurentur ac plene ſiccentur. Hæc Planta facile coli poſſet in Hiſpania locis calidis, Andaluziæ imprimis aut ſimilibus: ſerendum foret ſemen in terra bene fracta atque ſubacta, qualem lactucæ amant, menſe Ianuario, ſi terra humida fuerit aut rigua: ſin vero horum aliquid deſideratur Septembri aut Octobri, dein tempore oportuno transferendæ eſſent plantæ & commodis intervallis diſponendæ: denique danda imprimis opera ut zizania ſupprimerentur, ne tenellas plantas ſuffocarent. *Hæc ille*.



ALIA SPECIES: ad duorum aut plurium pedum altitudinem aſſurgit, caule rotundo, geniculato, lento, ſucculento & quaſi ſpongioſo ſeu arundinoſo, viridi & hinc inde breviſſimis pilis rufeſcentibus veſtito. Ad genicula tam caulis quam ramorum, folia ſine pediculis duo ſemper oppoſita ſtant directe, tres vel quatuor digitos longa, anguſta, inſtar foliorum Lyſimachiæ viridia & in utraque planicie pilis albis brevibus prædita, ad tactum paulum hiſpida. Ad eadem genicula, ubi folia ſunt, hinc inde etiam duo pediculi juxta ſe poſiti, erecte ſtantes, duos vel tres digit. longi, ſuperius florem album circularem ſuſtinentes, magnitudine Bellidis, circumcirca minutis foliis albis; in umbelico

belico minuta ſtaminula alba. Radix ſemipedem aut paulo plus longa, paulum curva, paucas radiculas habens, lenta, lignoſa, cortice obſcuri coloris veſtita, qui detrahi poteſt. Planta hæc tota cum ſua radice ſucculenta eſt & ſi quis vel caulem vel radicem frangat, ſtatim ſuccus effluit cærulei coloris.


Fit ex ea Anir, ſolum herbam contundendo & aquam affundendo: linquitur ut ſubſideat, hinc detrahitur & in ſole ſiccatur quod conſedit; æquivalet auro in pondere.

ANNOTATIO. *Fr. Ximenes*. Eſt & alia planta ejuſdem nominis cum præcedente, quæ colorem cæruleum, ſed valde ſaturum reddit, quo fœminæ capillos nigro colore tingunt, ſed differt ab altera, tam magnitudine quam forma: eſt enim mediocris tantum frutex, multas agens radices, inſtar ſarmentorum, cum pluribus fibris: è quibus prodeunt multi trunci cinerei: folia huic inſtar piperis longi, licet paulo majora, cum certis nervulis qui illa per longitudinem obeunt. Flores candidi ad modum capillorum: humida & frigida cenſetur. Modus colorem eliciendi idem cum præcedenti, ſed color hujus deterior & minoris pretii, itaque non eſt operæ pretium de ſerendi modo quicquam addere. Hæc ille: è quibus apparet hanc adhuc aliam eſſe ſpeciem plantæ è qua color ille cæruleus fit. Communis fuit Botanicorum opinio tincturam hodie ſatis notam, vulgo *Anil* & *Indigo* ſive *Indico* ex Iſatide fieri aut ſaltem è planta plane illi ſimili, itaque illis mirum viſum, ab iis qui peregrinas plantas deſcribunt, Ocymo vel Baſilico aut ſimilibus Plantis comparari, quarum frondes cum Iſatide, ſatis nota, neutiquam conveniant; inde & Cl. viri Car. Cluſii cum Fragoſo certamen. Idem teſtatur ex ſemine Anil nomine Alexandria miſſo, natas ſibi ſtirpes quæ Lentis ſeu Colutheæ minoris foliis conſpicerentur, floreſque luteolos Sparti Græcorum (quod Hiſpani Rejama vocant) omnino ſimiles proferrent: putat tamen eam plantam potius fuiſſe *Sesban*, quam Alpinus deſcribit inter plantas Ægypti. Ramulum autem cum foliis à noſtratibus ex India allatum accurate exprimi curavi, & dedi in deſcriptione Imperii Mogolis: ſi compares cum Iſatidis ſpeciebus, videbis nihil habere commune quo ad formam foliorum: non male autem cum Baſilici, cum Ciceris aut Lentis, optime autem omnium cum Colutheæ foliis comparari: habui & aliquoties plantas enatas è ſemine ex Iuſulis Americæ allato quarum folia omnino conveniebant cum iſtis Indicis, niſi quod paulo minora eſſent, quod eo factum, quod alieno cœlo non ſatis vigeat.

CAP. II.

Caaghiyuyo. Aminiiu ſive Algodon. Tangaraca. Tremate. Frutex arboreſcens.

CAAGHIYVYO Braſilienſibus dicta planta, Subfrutex eſt, inſtar Rubi Idæi, quoad magnitudinem. Caulis eſt plane lignoſus & hirſutus, folia bina ſibi ſemper oppoſita, hirſuta, ad tactum mollia, leviter ſerrata; tribus eminentibus nervis ſecundum longitudinem conſpicua, tranſverſim autem multis venulis intertexta; ſuperius magis viridia quam inferius, ac præterea ſuperius tuberculis per totum, inferius ſcrobiculis ſcatent: quodlibet tuberculum pilum habet albeſcentem. Fert floſculos in pediculis parvis, duos, tres, quatuor vel quinque in racemum ſibi appoſitos, albos, quinque foliolis conſtantes; poſt quorum caſum naſcuntur baccæ nigræ, magnitudine baccarum Iuniperi, dulcis ſaporis, quæ commeduntur ab Æthiopibus & ſuccum dant inſtar Myrtilli fere.



Folia hujus plantæ pulveriſata, & pulvis ulceribus ex cauſa calida ortis inſparſus optime illa curat. Naſcitur pluribus locis in Braſilia noſtra.

AMINIIV Braſilienſibus, Luſitanis *Algodon* & frutex *Algodaon* eſt Goſſypium. Excreſcit fere in magnitudinem Coryli, ligno molli, cortice fere ut Sambucus. Folia tenera & mollia, ſuperius dilute viridia, inferius ſaturatiora; in tres lacinias ſecta, quarum quælibet ſuum nervum & venas habet. Hinc inde inter tria foliola profunde ſerrata ac punctulata ſimilia foliolis quæ avellanas virides circumdant, provenit elegans flos, major roſa, conſtans quinque foliis

latis, eleganter flavis, interius in medio unguibus purpureis, habens in medio ſtamen flavum, tuberculis ejuſdem coloris inſignitum.


Poſt florem ſequitur ovale corpus, magnitudine pruni, una extremitate acutum inſtar coni, & tribus lineis notatum & in totidem partes ſeparabile; viride, nigris punctulis in externa ſuperficie variegatum: quum autem maturuerit fuſcum eſt & ſponte diſſilit in tres partes, & ex qualibet trium capſularum, prominet albiſſimum goſſypium, in cujus quolibet flocco continentur ſimul ſeptem nigri fructus magnitudine piſtaceorum & ejuſdem plane figuræ, ſub cute ſua nigra habentes nucleum, carne alba-flaveſcente conſtantem, pingui inſtar amygdali, dulcis ſaporis, è quo ſemine planta propagatur.

ANNOTATIO. Commiſi aliquoties hoc ſemen horto, & feliciſſime pullulavit & in pedalem atque majorem altitudinem excrevit, ſed inclementiam hyemis ferre non potuit. Semen autem multo minus erat quam auctor noſter hic prodit, atque adeo ſeptem illius ſemina conjuncta, ut plerumque ſunt, non multum ſuperant molem nuclei piſtacei. *Franc. Ximenes* Ichcaxihuitl, Hiſpanis *Algodon*, (id eſt, goſſypium) vulgariſſima eſt in Nova Hiſpania, ita ut innumeri panni & alia quotannis ibi fiant. Naſcitur locis humidis & calidis, maxime autem cultis. Stolones contuſi & poti ex aqua dicuntur mirifice mederi puncturis Scorpionum & viperarum aliorumque venenatorum animantium morſibus: caulis videtur frigidus, ſiccus & adſtringens, in pulverem redactus & inſparſus ſanat ulcera. Folia ſunt natura glutinoſa.



TANGARACA Braſilienſibus *Erva do rato* Luſitanis dicta: Frutex eſt, magnitudinem Ribium fruticum adipiſcitur, color corticis cinereſcit. Folia fert oblonga, viridia, multis coſtis tranſverſis intertexta: ſunt autem ramuli & folia directe ſibi oppoſita & hæc ſuperne viridia, inferne caneſcentia, ad tactum quaſi leni hirſutie prædita.

In extremitate ramorum flos provenit, purpureo brunni coloris, magnitudine clavellinarum Indicarum plenus: quatuor folia floris exteriora paulo lõgiora quam reliqua; figura vomeris, quibus inferius adſtant octo ejuſdem figuræ minora, & medium ſeu totum ſpacium floris conſtat foliolis parvis purpureis, more florum Scabioſæ: è quorum medio prodit una bacca cærulea, magnitudine myrtillorum, ad viſum quaſi gemma Turcois flori eſſet impoſita, & flos ut holoſericum brunnum: ſed cave tibi ab uſu: *eſt enim præſens venenum, ut alibi dicetur*.



ERVA DO RATO. Frutex eſt arboreſcens. Lignum habet lentum & in ramis ramulos oppoſitos, & duo ſemper ſibi oppoſita vel etiam tria ſibi appoſita foliola, oblonga profert, dilute viridia, eminente nervo ſecundum longitudinem & conſpicuis coſtis ſecundum latitudinem, prædita.

In ſummitate ramorum ſpica naſcitur ex floribus multis umbellatim poſitis conſtans, ſuntq; flores oblongiuſculi, cylindracei, rubri: pediculi autem florum crocei coloris & longiuſculi.

Flores & folia venenum ſunt, radix alexipharmacum contra illud.

TREMATE Braſilienſibus. Frutex arboreſcens, Mali punici figura eſt ſimilis, cortice Sambucino, ligno albo,& medulla m continente. Folia obſcure viridia, haud magna,ſeſquidigitum longa,ſine pediculis ramis adhærentia, aſpera,multis venis conſpicua. In extremitate ramorum fert multas umbellas magnas, floribus luteſcentibus onuſtas, quibus aliquid purpurei admixtum; in medio autem ſunt multa ſtaminula flaveſcentia ut florum Hieracei, & eodem modo



deſinunt in pappos: exacte odorem referunt Styracis, ut & folia trita. Poſt flores provenit in illis papposis capitulis ſemen minimum, rotundum, nigrum, multo minus papaverino.

Braſilienſes utuntur foliis contuſis in doloribus oculorum & rubedine.

FRVTEX ARBORESCENS (*cujus Auctor hanc dat Iconem, licet nomen non prodat*) cortice gryſeo, folia habet alternatim oppoſita,carinata,ſcaphæ figura, circa extremitatem autem dentata, læte viridia, ſplendida, venulis obliquis elegantibus prædita. In extremitate ramorum ſpicatim proveniunt flores, & ſpica floribus adhuc clauſis coloris eſt ſanguinei elegantiſſimi, hinc fit flava, & flores ſe pandentes ſunt flavi, quinque foliolis conſtantes; cuilibet folio floris ſubjacet folium acuminatum pallidum: in medio floris ſtamina lutea congeſta: flos ſuavis odoris, ut Keiri noſtras, & major illis eſt.

CAP. III.

Vrucu planta è qua fit tinctura illa quam vulgo vocamus orellanam.

VRVCV Braſilienſibus; Frutex eſt ligno albo inſtar Coryli, cortice fuſco. Folia habet alternatim poſita, in pediculis tres, quatuor aut quinque digitos longis, etiam brevioribus,



oblonga, cordis,ut pingitur,figura,quinque,ſex etiam decem aut duodecim digitos longa, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis, inferius prominentibus prædita, læte viridia.

Ad extremitatem ramorum in brevibus pediculis, multi enaſcuntur flores, in uvarum modum diſpoſiti; quilibet magnitudine roſæ quinque foliis conſtans albis incarnato dilutis: in medio ingens numerus ſtaminulorum luteorum, apicibus purpureis; vix ſenſibilem aliquem habet odorem.

Florem ſequitur fructus, nimirum ſiliqua myrobalani oblongi forma, ſeu pyramidali, rotunda, duos aut tres digitos longa, magnitudine pruni: quæ immatura vireſcit exterius, matura rufeſcit, eſtque tota hiſpida ob fila quæ habet prominentia, ſed non aculeata. In qualibet tali ſiliqua ultra triginta aut quadraginta grana ſuo pediculo innitentia continentur; unum quodque figuræ conicæ acutæ aut exigui piſi, at in duobus lateribus quaſi digito compreſſum. Granorum color inſigniter miniatus (inſtar optimi minii turcici) & ſplendeſcens atque tali ſucco madens, ita ut ad tactum inficiat manus egregio miniato colore. Grana recentia haud dura ſunt, ſed ut granum pomi: intra carnem albicantem habent, exterius quoque quodlibet granum punctulum argenteum. Siliqua matura ſponte ſe aperit: grana ſiccata evadunt obſcure rubra, nihilominus tamen ut ante tincturam continent, & recentia ſive ſiccata uſurpari poſſunt. Trita ſimpliciter in aqua ſimplici ſeu ſtillatitia egregiam dant tincturam miniatam, quæ pota per ſe prodeſt contra varia venena & eſt boni ſaporis, ſubamara & quid aromatici ſapiens.

Braſilienſes patinas ſuas & lagenas ex cucurbitarum corticibus factas, hac tinctura exterius tingunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Radix cocta cum carne gallinacea vel alia, tingit inſtar croci optimi & bonum ſaporem illi conciliat. Car. Cluſius judicat Bixam Oviedi Exoticorum lib. III. cap. 20.

ANNOTATIO. Fr. Ximenes eandem plantam accurate deſcribit in Arborum claſſe. *Achiotl*, inquit, quam aliqui vocant *Changuaricam* & alii *Pomaquam*, eſt arbor mole & trunco, figuraque omnino Aurantiæ ſimilis; foliis ulmi quoad figuram, aſperitatem & colorem Truncus, cortex & rami ſunt ſubfuſci vergentes ad viridem colorem, materies ſpinoſa & candida. Flores fert grandes in modum ſtellarum quinque foliis diſtinctos, coloris candidi vergentis ad rubrum. Fructus ſunt ſimiles calicibus caſtanearum, forma & mole exiguarum amygdalarum adhuc virentium, quadrangulares pene ſive potius quatuor protuberantibus lineis per longitudinem diſcurrentibus diſtincti: qui ubi maturuerint dehiſcunt, & oſtendunt certa grana valde rubra, ſimilia granis uvarum, ſed rotundiora. Naſcitur in regionibus æſtuoſis, uti *Guaxaca*, *Teguantepec*, *Huazaqualco*, locis magis ſiccis quam humidis. Refrigerat in tertio gradu, cum aliqua ſiccandi & adſtringendi qualitate. Barbari maximi faciunt hanc arborem, eamque colunt circa tuguria ſua, viret toto anno, fructum autem fert vere: & tum materies illius cædi ſolet, quæ utilis eſt ad ignem eliciendum inſtar Silicis, confricando inter ſe. Cortex idoneus eſt ad funes & rudentes, qui robuſtiores ſunt cannabinis. E ſemine conficitur tinctura coccinea, qua pictores utuntur & tinctores, quæque valde celebratur. Vtilis quoque eſt in Medicina, nam cum aqua aliqua ejuſdem temperaturæ hauſta aut foris adhibita, mitigat æſtus febriles, ſiſtit ſanguinolentas dejectiones, diſcutit tumores & abſceſſus, quapropter commode miſcetur potionibus refrigerantibus, atque etiam cibis. Miſcetur quoque delicatæ potioni è Cacao, ad refrigerandum & bonum colorem atque ſaporem illi conciliandum. Mitigat dolores dentium è cauſa calida natos: promovet urinam, ſedat ſitim, & non deſunt qui loco Croci cibis admiſceant. Tincturam ex fructu faciunt hoc modo: Sumunt grana bene matura, eaque infundunt aquæ calidæ, & ex ſubſidentia tabellas quaſdam conficiunt, ut ſolet fieri in Annir: adeo viſcoſa & tenax eſt tinctura, ut res quævis ſemel illa infecta, numquam colorem deponat: adſtringit & aliquantum, quare mixta cum reſina ſanat ſcabiem & plagas: corroborat ventriculum, & ſiſtit lienteriam cum corticibus Cacao mixta, auget lac mulierum, & efficit ne Chocolate quantavis quantitate hauſta noceat: illius quippe ope facile digeritur ſine ulla cruditate. Eadem cum urina mixta, tam pertinaci colore tingit lineos pannos, ut in poſterum elui non poſſit. *Hæc ille.*

Meminit & hujus plantæ Oviedus lib. VIII. cap. VI.

Tinctura autem quæ ex ſemine fit magna copia jam affertur ad nos ex Inſulis & Americæ continente, & vulgo ab Anglis & Belgis appellatur *Orellana*: Barbari autem aliis atque aliis nominibus indigitant; ii autem qui Braſiliæ continentem qua Arctum ſpectat incolunt vocant *Roucu* (quod nomen convenit cum *Vrucu*) & Inſulares illa cutem inungunt elegantiæ cauſa. Obſervandum tamen duplicem tincturam ad nos afferri, unam ſimplicem & perfectiſſimam, plane coccineam, cujus uſus eſt ad fucum fæminarum, eſt enim elegantiſſimus color & valde pertinax: alteram cum reſinis mixtam & in magnos globos coactam: cui & credo ſuccum radicis admixtum eſſe, tingit enim magis croceo colore, quam miniato; hujus autem in cibis aut medicina uſum non puto ita tutum eſſe.

CAP. IV.

Comanda guira. Araca iba. Frutex innominatus. Alter. Iva.

COMANDA GVIRA Braſilienſibus: Arbuſtum ſeu frutex ferens Phaſeolos; cortex illius viridis, lignum leve atque fragile: in ramis autem habet multos ramulos ſurrectos, ſeſquidigitum longos, directe ſibi oppoſitos, ſed paria alternatim poſita, in quorum uno tria ſunt folia oblonga, acuminata, foliis Salviæ acutæ ſimilia, inferne albicantia, ſuperne viridiora, & ad tactum inſtar ſerici lævia, conſpicuis venis prædita, in altero flores ſex, ſeptem aut octo, magnitudine noſtratium Piſorum, foliis duobus ſurſum verſus cum ſuo involucro & uno deorſum, quod maximum: ſunt autem flores lutei coloris, & folium illud maximum deorſum verſum, inferius rubris venulis per totum inſignitum. Flores ſequuntur ſiliquæ compreſſæ & quaſi contortæ, quarum quælibet continet quatuor grana phaſeoli, alba, noſtris piſis paulo minora, quæ cocta bene ſapiunt ac alvum laxant, ideoque Braſilienſibus in frequenti ſunt uſu, & Luſitanis quoque. Florent ac fructus ferunt toto anno.

ARACA IBA Braſilienſibus; cujus fructus ipſis dicitur *Araca miri*; Belgis autem **Granaet Pruymen**. Frutex eſt, ligno, foliis & floribus ut Guajaba arbor, ſed magnitudine & fructu differens. Eſt enim ejus fructus magnitudine pruni, qui per maturitatem flaveſcit, & carnem habet albidam cum multis granulis parvis. Boni eſt ſaporis, ſubdulcis ſed nonnihil adſtringentis. Silvæ hic, hiſce fruticibus, plenæ. Radix hujus fruticis cocta in aqua & pota mirifice medetur dyſenteriæ.

Fructus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Fructus cum ſaccharo miſcetur in conſervam, quæ conſiſtentia, colore & ſapore quoque & qualitatibus ſimilis conſervæ Cydoneorum vulgo marmolada.



FRUTEX (ſeu potius viſcum quoddam, caret enim proprio caudice & radice) in aliis fruticibus aut arboribus naſcitur, nimirum ubi progerminat, ibi rotundus eſt tuber in arboris ramo. Naſcitur autem & in multos ramos diſpergitur, ligno fragili, interius flaveſcente, & ruffam medullam habente, exterius vero corticem ex brunno nigricantem, multiſque ſtriis ac maculis notatum. Folia fert figura vomeris, oppoſita, craſſa, ſaturate viridia, in extremitate quaſi linea rubra circumdata, nervo ſecundum longitudinem paulum conſpicuo, & venis tranſverſis profunde ſitis, vix conſpicuis. Floſculos gerit multos juxta ſe poſitos in pediculis brunnis, ſex foliolis conſtantes acutis, anguſtis, ex flavo rufeſcentibus, paulum deorſum incurvatis, in medio autem habet aliquot ſtamina lutea. Foliolis florum decidentibus, calix florum fere Cariyophyllum aromaticum refert figura & colore. Super floribus hujus fruticis frequentiſſimæ reperiuntur aviculæ Vvanombugh, ibique ſclopeto decuti poſſunt.

FRUTEX (*cujus Auctor hanc quidem dat Iconem, ſed nomen ſilet*) in modum piri Silveſtris creſcens, ligno fragili, cortice cinereo. Folia fert pyri foliis ſimilia, denſa, ſuperius ſplendide viridia, inferius dilutius, alternatim ordine quæque ſuo pediculo craſſo, brevi appendentia & deorſum inclinata. In extremitate ramorum proveniunt quatuor, quinque aut ſex in racemum diſpoſita corpuſcula ellyptica, piſo majora, quæ ſeſe aperientia florem promunt habentem quatuor folia alba, craſſa, exterius ex albo viridantia, magnitudine lychnidis, inter autem hæc folia in circulum diſpoſita ſunt ſtamina alba, alta, centum viginti & ſupra numero, ſeſquidigitum longa, fili ſerici craſſi craſſitie, ſuperius flaveſcentem ſpongiolam adjunctam habentia. In medio autem floris & horum ſtaminulorum aliud ſtamen duos digitos longum, fortius, flaveſcens, erectum ſtat, ſuperius habens Cylindraceum capitulum. Ita foliis floris ſupereminent ſtaminula alba, ſtaminulis autem ſtamen hoc longum, medium. Et flos ad viſum jucundus eſt, ſuavi roſæ odore præditus, ſed non ita forti.



Foliis & ſtaminulis albis decidentibus, remanet medium ſtamen in cujus extremitate è cylindraceo corpuſculo (*reliqua neglexit Auctor ſupplere.*) Ramulos hujus plantæ adpenſos habui in muſeo meo ad libros, noctu ad quemlibet exortum pediculi cujuſque folii, ut & ad quodlibet folium floris exſudarat guttula cryſtallini ſplendidi humoris, quaſi plantæ affixa eſſet, ſeminis majoris ſinapi mole.



IVA Braſilienſibus, eſt frutex eodem modo creſcens quo *Iurepeba*, ſimilique ligno, ſed ſolet altius aſſurgere. Caudex ſpinoſus ac leni hirſutie præditus. Folia inordinate poſita, pallide viridia, oblonga, non ita laciniata ut Iurepebæ, leni hirſutie ſeu lanugine infecta.

Flores itidem fert ut Iurepeba, lacteos, quinque foliis conſtantes, inſtar ſtellæ expanſos, in medio autem ſtaminula lutea ſunt erecta.

Fructum fert magnitudine majoris pomi vulgaris, rotundum, initio ſaturate viridem ac brunna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

brunna lanugine tectum per maturitatem citrini coloris ac ſplendentem. Cortex inſtar teſtæ ovi frangibilis, intus continet pulpam ſucculentam, flaveſcentem, quæ copioſa ſemina, lentium figura, magnitudine & colore continet. Pulpa illa admodum dulcis eſt & grata formicis; ab hominibus non comeditur.

CAP. V.

Atitara. Iuqueri omnano.

ATITARA vel IATITARA Braſilienſibus. Spina eſt foliis Sigilli Salomonis. In ſeptem, octo aut novem pedum altitudinem aſſurgit, caudice ſatis craſſo, & acutiſſimis ſpinis ubique munito, unum etiam atque alterum de ſe ſpargens ramum majorem: per intervalla autem ambiunt ramuli fruticem, duos, tres aut quatuor pedes longi, aduncis & deorſum verſis ſpinis, viridibus, cum cuſpidibus brunnis, ſplendentibus: in his ramulis folia ſunt, interdum bina ſibi oppoſita, interdum unum ſolitarium, inodora, ſeſquipedem longa, duos & ſemis circiter digitos lata, ubi latiſſima, foliis Sigilli Salomonis aut Lilii convallium, plane conſiſtentia & colore ſimillima & in medio nervum ſecundum longitudinem tranſeuntem habentia: tres aut quatuor etiam acutiſſimæ ſpinæ rectæ muniunt folium inferne. Extremitas autem ramulorum ad unius circiter pedis longitudinem caret foliis, itidem ſpinoſa & in modum ſagittæ tripliciter figurata. Folia hujus plantæ antequam ſe pandunt, arcte ſunt complicata in modum foliorum Palmæ, ramulo adhærentia, deinde ſe explicant. Hinc inde in hoc frutice provenit ſiliqua pedē aut quindecim digitos longa, teres, duos aut tres digitos craſſa, & in utraque extremitate acuminata, paulumque incurvata, ubique per ambitum frequentiſſimis ſpinulis obſita, primo viridis, dein nigreſcit ac ſponte ſe aperiens promit ramum ex ſe more & modo palmæ nuciferæ in multos ramulos diſtributum, coloris ex flavo albeſcentis, cui floſculi multi, hinc copioſi globuli fiunt, qui in fructus abeunt; *quorum formam & conſiſtentiam Auctor non deſcripſit.*



JUQUERI-OMNANO Braſilienſibus; ſpecies eſt herbæ vivæ. Fruticeſcens planta, caulibus quadratis, ſtriatis, viridibus, & frequentiſſimis ſpinulis flaveſcentibus munita: per intervalla autem ramuli ad latera extenduntur, duos aut tres digitos longi, itidem ſpinoſi, qui in extremitate ſunt duplices; hi porro habent ut plurimum duo paria foliorum, nimirum bina & bina juxta ſe appoſita, ſeſquidigitum circiter longa, inferius albis pilis veſtita, ſuperius viridia & lævia, atque non ſerrata. Ad ramulos illos, qui folia tenent, ſingulos etiam duo, tres vel quatuor breviores pediculi, unum digitum longi proveniunt, cum capitulo rotundo, villoſo, albo, cui aliquid purpurei admixtum, quod floris eſt loco, quemadmodum in Herba viva majore. Poſt quemlibet autem florem prodeunt octo, novem aut duodecim ſiliquulæ unum digitum longæ, juxta ſe inſtar roſæ poſitæ in orbem, longis pilis hirtis candidis veſtitæ, in quibus ſemen.

Planta hæc alata ſtatim contrahit & componit folia ſi vel leviter digito tangatur, quæ tamen paulo poſt rurſus explicat.

ANNOTATIO. Franc. Ximenes, de Plantis Novæ Hiſpaniæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

PINAHVIZXIHVITL quam aliqui vocant *Cocochi atl*, quia capiti impoſita conciliat ſomnum, atque adeo ſolo contactu videtur ſomnum generare (facilius tamen in Barbaris quam in Hiſpanis) eſt frutex quatuor palmos altus: caudices illius ſunt tenues & pleni ſpinis: folia diviſa in ſex partes aut ſinus, & conjuncta inter ſe ad modum faſciculi florum, haud diſſimilia Izquixochitl. Radix eſt ſarmentis fœta: flores & fructus ad modum caſtanearum, principio virides & poſtea roſſi, racematim pendentes. Naſcitur in locis calidis Tepuztlan & Quahtlæ & in collibus Acapiztlæ. Ajunt amorem conciliare, ſed quo modo aut quare explicare non poſſunt. Folia nonnihil reſipiunt raphanos; ſunt frigida, ſicca & adſtringentia atque præterea glutinoſa. Succus radicis ſanat febres tertianas & oculos inflammatos, conciliat ſomnum, eſtque utilis adverſus diſenteriam. Hic eſt frutex ille cujus folia vel minimo contactu vel afflatu humano ſe contrahunt & marceſcunt; quare ſuſpicor eſſe eandem aut ſaltem congenerem plantam, quam in Philippinis Inſulis vocant Herbam vivam aut ſentientem: de qua quædam affirmant neſcio qua fide, quæ in hac noſtra non deprehenduntur; qualia ſunt; quod producat truncos rectos, craſſitie pennæ gallinæ, è ſingulis radicibus decem aut duodecim; quorum ſinguli teneant duodecim folia, quatuor ordinibus, inter ſe diſtantia intervallo ſex digitorum tranſverſorum & ſimilia Raphano: flores eſſe cæruleos ſimiles linguæ paſſeris antequam ſe pandant, dein ſe dividere in tria minora folia. Offenditur iſta planta tantopere contactu humano, ut ſi primoribus digitis ſumma plantæ folia contingas, ſtatim quaſi contriſtari aut alto ſomno opprimi videatur, caduntque omnia folia inferiora atque etiam ſuperiora ſi ſecundo attingas: ipſique trunci contacti rumpuntur atque concidunt: ſi autem præcidas, offendes partem contactam nigram, haud aliter quam ſi combuſta fuiſſet: ſi vero halitu plantam afflaveris ſtatim folia ſua excutit & diſrumpitur, quod non fit ſi virgula aut baculo attingas; ita ut ſolo contactu & halitu hominum videatur offendi: cæterum inſipida eſt planta & nullius, quod ſciam, in medicina uſus. Memorant & aliam plantam in Malabar naſci, quæ ſimiliter contactum & afflatum hominis averſetur, foliis polipodii, floribus luteis: aliam quoque in Peruvia, quæ contacta ſtatim areſcat; nec deeſſe ſimilem in Inſula Gaditana. Sed quæ de Pinahuiztli commemoravi, ea ſæpius ſum expertus, aliiſque probavi, ut haud dubia fides haberi poſſit. *Hæc Ximenes.*

Franciſcus Lopez de Gomara in Hiſtoria ſua generali cap. 194. ſcribit in Peruvia naſci arbuſculas quarum folia marceſcant, ſi manu tangantur, & cap. 205. ſimiles reperiri in Nicaragua. Credo eſſe fruticem quem Author hîc deſcribit. Cæterum Garſias ab Horto lib. II. cap. 27. *Naſcitur*, inquit, *in Malavar, planta miræ naturæ, nam ſi quis manum admoveat, ilico contrahitur: folia polipodii, flores vero habet luteos.* Chriſtophorus à Coſta cap. IV. Herbam vocat vivam & accurate illam deſcribit. Sed de hac alibi plura dicemus. Cæterum & Antiquis nota fuit hæc planta, ſiquidem accurate admodum deſcribitur à Theophr. lib. IV. Hiſt. plantar. cap. III. ſub finem. Ὕλημα δ' ἴδιόν τι φύεται περὶ Μέμφιν· ὃ οὔτε φύλλα καὶ βλαστοὺς καὶ τὴν ὅλην μορφὴν ἔχει οὐ τὸ ἴδιον, ἀλλ' εἰς τὸ συμβαῖνον περὶ αὐτὸ πάθος· ἡ μὲν γὰρ πρόσοψις ἀκανθώδης ἐστὶν αὐτοῦ καὶ τὸ φύλλον παρόμοιον ταῖς πτέρυξιν. ὅταν δέ τις ἅψηται τῶν κλωνίων, ὥσπερ ἀφαναινόμενα τὰ φύλλα συμπίπτειν φασίν. εἶτα μετά τινα χρόνον ἀναβιώσκεσθαι πάλιν καὶ θάλλειν. Id eſt: Naſcitur peculiare quoddam virgultum circa Memphim, quod quidem neque folia neque ramulos, neque totam formam peculiarem habet, ſed accidentem tantum illi paſſionem. Quippe facies ipſi ſpinoſa & folium perquam ſimile filicibus; ubi autem quis attigerit ramulos, folia quaſi hebetata concidere ajunt; atque hinc poſt aliquot tempus reviviſcere denuo atque folia ſua explicare. Sed de mirabili hac planta paulo poſt adhuc plura dicentur, nam variæ illius dantur ſpecies. Hoc tantum hic minime prætereundum etiam Plinium ejus meminiſſe lib. XXIV. cap. 17. *Adjecit his*, inquit, *Appollodoris aſſectator ejus, herbam æſchynomenen, quoniam appropinquante manu folia contraheret.* Memorat autem inter herbas à magis celebratas, cum nihil certius ſit quam hanc herbam hæc pati. Mirum autem Authores qui de Plantis Ægypti agunt hodie illius non meminiſſe.

CAP. VI.

Mandijba ſeu Maniiba, è qua fit Mandioca.

MANDIIBA & MANIIBA Braſilienſibus, cujus radix *Mandioca* vocatur. Frutex eſt caule lignoſo, pollicis vel digiti humani craſſitie, nodoſo, cortice corylino, in ſex, ſeptem aut octo pedum altitudinem aſſurgens; continens medullam in ſe inſtar Sambuci, & lacteum de ſe mittit ſuccum. Superius in multos expanditur ramos qui iterum ramulos habent, atque in horum quolibet, tria, quatuor, quinque, ſex aut ſeptem folia anguſta, oblonga, in ſtellæ figuram diſpoſita, ejuſdem fere viriditatis cum folio Peoniæ. Floſculos fert flavo-pallidos, quinque foliolis conſtantes, multis ſtaminibus luteis in medio. Radix fit duos

vel tres pedes longa, tibiam humanam craſſa, in fine magis teres, coloris exterius inſtar corticis corylini obſcuri, interius albi, eſtque fragilis & continet ſuccum lacteum glutinoſum, qui lethalis eſt omnibus animantibus. Plures ejus in Braſilia reperiuntur ſpecies, nominibus diſtinctæ, Mandiibucu, Mandiibimana, Mandiibibijana, Mandiibiurucu, Mandiibparata, Mandiibcariamuna, Mandiibtinga, Mandiibmaracana, Mandiibcuguacu, Apitiuba, Aipi. Aipi iterum ſuas habet ſpecies; Aipi guacu, Aipi arendi, Aipicaba, Aipiguapamba, Aipi Iaborandi, Aipi jurumu, Aipi jurumi miri, Aipi jurucuja, Aipi macaxera, Aipi maniacau, Aipi poca, Aipitajapoja, Aipipitinga. *De cultura Mandyba hæc obſervat Auctor.*

In qua terra plantetur. Silvæ ſive montoſæ ſive planæ cæduntur, lignum crematur, atque ibi fit ager, qui Braſilienſibus vocatur *Co*, Luſitanis Roza. Requiritur autem terra bona, mediocriter ſicca, non humida; quapropter montoſa loca opportuniora. Plantari poteſt omnibus menſibus æſtivis, hiemalibus non. Optimum tamen tempus eſt menſe Ianuario, Februario; item Auguſto & Septembri. Plantatur tamen etiam medio Iulio vel circa ejus finem.

Quomodo plantetur. Terra elaborata efformatur in monticulos, Luſitani vocant *Montes de terra cavada*, Braſilienſes *Cujo:* Indigenæ autem olim illos formabant ſudibus acuminatis ipſorum idiomate *Ibirapoa* dictis. Monticulorum autem quilibet tres circiter pedes latus, ſeſquipedem circiter altus eſt, rotundus, ut pluvia cadens decidere poſſit: nam hæc planta amat calorem & ſiccitatem. Cuilibet monticulo infiguntur tres taleæ de Mandiiba, quarum quælibet octo vel novem digitos longa, vel etiam pedem; infiguntur ita ut tertia pars emineat, quaſi crucis figura ſecantibus ſe eminentiis ſuis ſupra terram. Monticulorum autem diſtantia debet eſſe duorum & ſemis aut trium pedum. Taleæ autem omnes ita ſunt infigendæ ut pars quæ antea ſurſum vergebat, hic itidem ſurſum vergat. Per radicem Mandioca nulla poteſt fieri tranſplantatio, nam ea extracta è terra & tacta ſtatim emoritur. Poſtquam taleæ fuerint infixæ decem dierum ſpacio progerminant & tot germina proveniunt quot talea continet nodos. Quodlibet germen eſt cauliculus digitum longus, in multos ramulos diviſus; coloris rubri cæruleo mixti: quilibet ramulus folium habet in alia tria, quatuor, ſex aut ſeptem foliola diviſum, dilute viridia, anguſta, oblonga nervo ſecundum longitudinem & venulis tranſverſis ordine poſitis; poſitaque ſunt hæc foliola in pediculo ruffo figura ſtellæ.

Plantatio quomodo curanda. Ager ter vel quater debet ab herbis purgari, uſque dum planta adoleſcat, quod fit poſt ſex aut ſeptem menſes. Luxuriant enim hic admodum herbæ ſpontaneæ in agris, & copia ſua facile ſata ſeu plantata ſuffocant, niſi eruncentur.

Quæ damna inferant huic plantæ. Germina hujus plantæ & folia tenera comeduntur à formicis, quæ ideo multũ damni dant in hiſce plantariis. Poſtquam autem adoleverit planta à formicis nihil amplius patitur. Animalia ſilveſtria, ut Capreæ, &c. etiam folia depopulantur, item equi, boves, oves: ideo plantaria arboribus cæſis vel palis circumdantur ut animalia accedere nequeant. Radices admodum appetuntur ab apibus, cuniculis aliiſque Braſiliæ animalibus. Quamvis autem hæc planta ramis & foliis orbetur, radice illæſa, nullum inde accipit damnum.

Ad perfectam magnitudinem hujus radicis requiritur annuum ſpacium; Extrahi tamen & uſurpari poteſt radix ſexto menſe poſt plantationem, neceſſitate urgente. At tunc pauco commodo: nam minus dat. Quælibet planta duas, tres, quatuor uſque ad viginti profert radices, pro fertilitate ſoli, ubi plantatur. Et quælibet radix ſemipedem vel etiam duos aut tres pedes longa evadit, craſſitiem habens brachii vel etiam tibiæ humanæ quando perfecte adolevit.

Durare poteſt hæc radix in terra ad triennium ſi non eruatur. Altero tamen plerumque anno pars earum putreſcit & corrumpitur. Ideo ad ſummum linquitur annuo ſpacio & denuo per taleas novas plantatur.

Extrahitur radix matura, è caudice fiunt taleæ ad novam plantationem. Radix autem extracta vix triduum ſervari poteſt, quia putreſcit: putrida autem admodum fætet. Ideo quo citius in farinam redigatur, eo melius.

Farina quomodo fiat. Radix extracta cultro ab exteriori cuticula liberatur, quæ facile abradi poteſt. Hinc integra lavatur aqua pura, manu rotæ in diametro quatuor aut quinque pedes habenti admovetur, quæ in hunc uſum facta eſt, & cujus ſuperficies convexa lamina cuprea armata, multis foraminibus pertuſa, acuta more tyrocneſtis: Rota à duobus hominibus circumagitur, radendo ſic radicem, ut raſura cadat in ſuppoſitum lintrum. Rota hæc vocatur Braſilienſibus *Ibecem babaca* Luſitanis *Roda de farinha.* Braſilienſes tamen, utpote pauca ſupellectile inſtructi tyrocneſti radunt hanc radicem purgatam, longiori tempore & operoſiori modo. Linter qui excipit raſuram vocatur Braſilienſibus *Mieecaba* Luſitanis *coche de ralar Mandioca.* Sic molita & raſa hæc radix inditur longo ſacco facto ex corticibus arborum, more corbis texto, qui quatuor circiter digitos amplus eſt, figuræ cylindraceæ, vocaturque Braſilienſibus *Miamiama*, Luſitanis *Eſpremendouro de Mandioca.* Immittitur hic ſaccus prelo, quod Braſilienſes *Tiamicaba*, Luſitani *prenſa* appellant, atque exprimitur inde ſuccus, donec raſura om-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

nem humiditatem deponat. Succus ille Braſilienſibus dicitur *Manipoera* Luſitanis *Agoa de Mandioca*. Expreſſa raſura radicis immittitur cribro, quod *Vrupema* Braſil. Luſitanis *Ioeira* vocant: ſuccernitur & immittitur vaſi rotundo, lato, haud profundo ex argilla vel cupro facto quod more aheni fumario inſertum eſt, & igne inferne ſtructo, ſpatula lignea continuo agitatur, donec ſiccata ſit ſatis. vocant hoc vas in quo farina ſiccatur Braſil. *Vimovipaba*, Luſitani *Forno de Farinha*, ſpatulam Braſil. *Vipucuitaba*. Farina hæc ad medietatem ſolum ſiccata, ita ut ſemimollis maneat vocatur Braſil. *Vitinga*, Luſitanis *Farina relada*: amplius ſiccata dicitur Braſil. *Viecacoatinga*, integre autem ſiccata, ita ut durare poſſit vocatur *Viata* & *Vicica*, Luſitan. *farinha ſeca*, *farinha da guerra*, quæ ad ſummum per annuum ſpacium poteſt ſervari, ſi loco ſicco adſervetur & ab aqua caveatur. Viecacatinga vix dimidium annum durare poteſt; Vitinga vix biduum & has farinæ ſpecies loco panis uſurpant. *Farinha ſeca* irrorata juſculo qualicunque vocatur *Mivipiro* & *Mindipirô*, comediturque cum eduliis cæteris, carne vel piſcibus. Ex farina ſiccata formant placentas, miſcendo cum aqua ſimplici in maſſam, & coquendo ſuper prunas, vocantque nomine Braſilienſi *Bejû*.

Succus Mandioca expreſſus relinquitur in vaſe, & bihorii ſpacio reſidet in fundo fecula albiſſima, quam indigenæ vocant *Tipioja*, *Tipiaca & Tipiabica*: hæc dicto modo ſiccata farinam exhibet albiſſimam, *Tipiocuî* vocatam, ex qua fiunt placentæ longæ & tenues, quas *Tipiacica* dicunt, quæ panis optimi ſimilaginei vicem explent. Idem ſuccus coctus ad conſiſtentiam pultis comeditur. Eadem puls uſurpatur amyli loco ad incruſtandum linteamina, & glutinandas chartas. Ex pulte quoque cum oryza & ſaccharo mixta conſervam faciunt Luſitani non ingratam, quam Marmelada de Mandioca vocant. Succus autem Mandioja ſive *Manipoera* ſubdulcis eſt ſaporis, ideoque ab animalibus appetitur, quæ tamen omnia poſtquam biberint, cito moriuntur. Nam hic ſuccus & hominibus & brutis lethalis eſt. In hoc ſucco, ſi adſervetur diem unum atque alterum, generantur vermes, quos Braſilienſes vocant Tapurû, qui itidem venenati ſunt. Præparatur etiam Mandioca alio modo in uſus humanos. Mandioca cruda quamvis dicto modo purgata, ſcinditur in particulas, lingulæ figura, duos circiter digitos longas, ſemidigitum latas. Particulæ hæ exponuntur ſoli per biduum ut exſiccentur. (Succus non exprimitur) ſiccatæ ſunt albiſſimæ ita ut cretæ loco inſervire poſſint ad ſcribendum, tunduntur in pollinem in mortario ligneo (quod Braſilienſes vocant *Anqua* & *Vmbuâ*, Luſitani *pilaon de pao*) piſtillo ligneo, pollen vocatur *Tipiratî*, Luſitanis *farinha de mandioca crua* ex quo panis coquitur delicatiſſimus, albiſſimus, certans cum pane ſimilagineo optimo. Fit & panis biſcoctus, quem Braſil. vocant *Miapeatâ*, optimus, qui in expeditionibus poteſt uſurpari & diu adſervari.

Mandioca cruda integra vel conciſa aquæ immiſſa per tres, quatuor vel quinque dies ſinendo, ut mollis evadat, vocatur *Mandiopuba* & *Maniopuba*, & ſub cineribus aſſata comeditur. Hoc modo præparatam utplurimum fugitivi & in ſilvis vagantes uſurpant, utpote facile parabilem. Eadem Mandiopuba ſiccata ad ignem poteſt adſervari in uſus & vocatur *Caarimâ*. Hanc Caarimam in pollinem redigere ſolent tundendo in mortario ligneo & pollinem vocant Caarimâciu qui albiſſimus eſt & ſubtiliſſimus. Hic pollen in aquam fervefactam ſive coctam immiſſus pultem exhibet, *Mingau* Braſilienſibus, agitando continue quando immittitur aquæ, ut puls tenuis & ſine globulis fiat, grati ſaporis, & comeditur aut per ſe, aut cum pipere admixto, quod Braſil. *Quiya* vocant, integro aut conciſo; vel immiſcentur aliæ herbæ, vel gammari, piſces cocti, & caro cocta, & vocatur ipſis *Minguipitinga*. Servit etiam amyli vel glutinis loco farina de Caarima, ſi in pultem redigatur & tunc vocatur *Mingaupomonga*. Ex eadem cum aqua, butyro & ſaccharo placentulæ fiunt delicatæ, quæ calidæ comeduntur.

Ex Mandiopuba etiam farina fit mollis & ſemiſicca inſtar micæ panis recentis ſimilaginei, quam vocant *Vipuba* & *Viabiruru*, Luſitanis *Farinha freſca* & *Farinha d'Agoa*, quæ grata eſt ad comedendum, ſed non durat ultra diem naturalem, ideo quotidie de novo conficitur. Eandem Vipubam in globi formam manibus efformant ac in Sole ſiccant, vocantque *Viapuâ* & *Miapeteca*, & tunc diu adſervari poteſt. Hoc modo Tapuyæ præparant ut plurimum. Etiam Braſiliani reliqui, miſcendo poſtea cum Viatâ ut gratior ſit. Mandioca cruda etiam purgata ſcinditur in tenues particulas, contunditurque piſtillo ligneo, & manibus ſolum exprimitur, ac dein ſiccatur, vocaturque illa farina *Tinâ* & *Mixacuruba*.

Omnes autem ſpecies Mandiocæ crudæ hominibus lethales ſunt ſi edantur, excepta, *Aipimacaxera*, quæ recens extracta & aſſata ad ignem vel ſub cineribus tuto comedi poteſt & bene ſapit. Bruta autem omnia, omnes Mandiocæ ſpecies crudas devorant ſine noxa, & bene nutrit atque ſaginat, quum tamen ſuccus earum expreſſus ſolitarie ſumtus ipſis æque lethalis ſit atque hominibus.

Ex radice Aipimacaxera contuſa ac cocta fit potus albeſcens inſtar lactis ebutyrati, grati ſaporis, ſubacidi, qui tepefactus bibitur, & vocatur *Cavimacaxera*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Ex eadem radice dentibus per fœminas maſticata, ut pultem fere referat, adfuſa aqua & cocta conficitur potus quem *Caon caraxu* vocant.

Folia Mandijba quæ Braſiliani appellant *Manicoba* bene contuſa piſtillo ligneo, in mortario ligneo & cocta, atque oleo vel butyro condita, comeduntur inſtar Atriplicis aut Spinachii cocti.

Monticuli tres, quinque, imo interdum viginti requiruntur, ut ex radicibus unus modius (Alqueira vulgo) farinæ fiat, qui continet cantharos Holland. XXII.

Seſquimodius farinæ ſufficit homini ſano, robuſto, laborioſo per menſem. Valet autem modius unus modo quatuor, modo ſex, duodecim, octodecim ſolidos Hollandicos. Interdum & care venditur viginti octo vel triginta ſolidis.

Vſus Mandiocæ in Medicina.

Vitinga impoſita ulceribus antiquis ea mundificat quo citius ſanentur.

Caaaximâ contuſa & cum aqua pota forma ſirupi, antidotalis eſt.

Mingau admixto ſaccharo ægrotis datur magno emolumento.

CAP. VII.

Annotatio ad Caput præcedens.

FR. Ximenes de *Yuca* è qua fit panis, quem in Inſulis vocant Cazave, & Mexicani Quauhcamotli. Yucæ radix eſt parva, lignoſa & non admodum craſſa, trunci illius adoleſcunt ad proceritatem humanam: folia illius ſunt ſimilia cannabinis. Naſcitur & colitur in Inſulis Hiſpaniola, Cuba, aliis, & pleriſque partibus Continentis Americæ, ubi diverſæ illius reperiuntur ſpecies. Fit ex illis panis quem vocant Cazave hoc modo: frangunt & contundunt radices minutim. dein exprimunt ſuccum qui viroſus eſt, & reliquum cogunt in placentas, eaſque in vaſis torrent ad ignem, & fiunt placentæ candidæ, duræ & tenues: haud ſecus palato accidunt quam raſuræ ligni, vocant panem *Cazavi*. Succus adeo venenoſus eſt ut crudus ſumtus ſtatim enecet; ſi vero percoquatur non modo non nocet, ſed & ſalubris eſt & nutritivus. Vnde nobilis quæſtio oritur inter Phyſicos, quum venena omnia tam calida quam frigida vigorem ſuum magis prodant à calore adjuta & celerius atque validius cor petant, unde fiat quod hic liquor haud dubio venenoſus, contra à calore innoxius reddatur, doctor Cardenas reſpondet: Liquorem hunc conſtare duabus partibus plurimum inter ſe diverſis, quarum prior eſt ſubtilis & vaporoſa & veneni illius compos; altera dulcis, craſſior & viſcoſa & naturæ noſtræ amica: ubi autem ebullitur exhalari illam partem ſubtilem & noxiam & remanere dulcem & ſalubrem. Plura in hanc ſententiam adferri poſſent. Ex hac radice molita & percolata aut percribrata fit præſtantiſſimum amylum. *Hæc ille.*

Monardes item cap. LII. accuratam dat Cazavi hiſtoriam: Folia illi tribuit lata & manus humanæ modo expanſa atque in ſeptem aut octo lacinias diviſa. Obſervat autem Yucæ quæ in Continenti creſcit ſuccum minime venenoſum aut noxium eſſe, in Inſula Hiſpaniola, ſi non coquatur, lethalem. Deſcribit eandem Oviedus in ſummario cap. V. & Hiſtoria lib. VII. cap. 2. ubi & rudes dat foliorum icones. Meminerunt & plerique alii auctores qui de rebus Americanis ſcripſerunt.

Longe alia planta eſt quæ hodie Yucæ nomine celebratur à Botanicis & quæ hodie paſſim à curioſis colitur in hortis; cujus deſcriptionem vide apud Ioannem Baptiſtam Ferrarium de Florum cultura lib. II. cap. VIII.

CAP. VIII.

Innominatus frutex. Manaca. Jaborandi fruticeſcens. Maruuru.

AN Glaux, vel Anthyllis leguminoſa, vel ſecuridaca ſit dicenda; (*Planta quam ſic deſcribit Auctor, ambigit.*) Herba fruticeſcens; In trium aut quatuor pedum altitudinem aſſurgit multis caulibus juxta ſe poſitis, lignoſis, rectis, paulo incanis, qui hinc inde ramos habent. Folia fert in ramulis bina ſibi oppoſita, in quolibet plerumque ſex paria & in extremitate unum ſolitarie poſitum. Sunt autem folia vix digitum longa, inferius quaſi lanugine incana obducta ſuperius paulo viridiora. Prope exortum illorum ramulorum etiam proveniunt ramuli ſingulares, qui ſinguli ferunt ſpicam parvam, conicam, conſtantem floſculis parvulis, coloris ex albo & incarnato mixti, inſtar floris Loti. Poſt flores ſequuntur ſiliquulæ multæ juxta ſe poſitæ, ſemidigitum fere longæ & figura cornu caprini: quodlibet autem corniculum continet quinque, ſex aut ſeptem granula ſeminis, quod propriæ ſuæ cellulæ incumbit, parvum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3



vum, albicans, & figura inſtar panis ſacchari, verum ad latera paululum compreſſum, durum, ſaporis inſtar piſorum. Quando ſemen plene maturuit, ſiliqula diſſilit & ſemen ſuum effundit.

Manaca Braſilienſibus, eſt Frutex cortice gryſeo, ligno mediocriter duro, ſed fragili, qui in multos ramos diſpergitur, & hi itidem in ramulos inordinate poſitos, in quibus ſunt folia, pyri junioris foliis ſimilia, dilute viridia, in frondes quaſi diſpoſita: nervo ſecundum longitudinem & venulis tranſverſis vix conſpicuis. Fert florem ſolitarie poſitum ex longo calice prodeuntem, ſtuferi hollandici magnitudine, in quinque folia diſſectum, ſtaminulis parvis in medio: flos coloris dilute purpureo-cærulei, vel etiam albi: nam in uno eodemque frutice albi & cæruleo-purpurei flores reperiuntur: ſuavis odoris inſtar Violarum Martiarum. Fructum fert magnitudine inſtar uvæ ſpinæ, viridem, rotundum, cortice gryſeo tectum, qui ſuperius quinque fiſſuras habet ut fructus per fiſſuras ſtellam quinquangularem repræſentet, continet in ſe tria grana ſeminis magnitudine lentis vel etiam majores, figuræ ellypticæ.



Medicinalis eſt planta: intritum raſura ligni infuſa fortiter purgat inſtar Eſulæ.

Iaborandi Braſilienſibus altera ſpecies Fruticeſcens: caulibus aſſurgit minimum digitum craſſis vel etiam tenerioribus, per longa intervalla nodoſis, teretibus & ſaturate virentibus: qui ad nodos etiam ramos habent itidem nodoſos & virides. In his & illis folia naſcuntur velut appoſita invicem, vel etiam alternatim poſita, à ſex ad decem digitos longa, ſaturate viridia, ſplendentia & ad tactum inſtar membranaceæ chartæ, in extremitate incurvata, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis conſpicua.

Radix illius lignoſa, fuſca, nec magna nec craſſa, ſed tenuis & longa. Nullius odoris aut ſaporis videtur dentibus inciſa, verum ſi paulum maſticetur vehementer urit linguam & magis quam pyretrum. Trahit maximam copiam pituitæ è lingua, atque ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

liberat caput à catharris & mitigat dolorem dentium. Præſentiſſimum quoque eſt remedium adverſus Gonorream radix contuſa atque in aqua macerata, dein cocta & aqua mane hauſta. Prodeſt quoque adverſus venena, urinæ ſuppreſſionem & calculum.

MARVVRV Braſilienſibus: ſubfrutex eſt in ſemipedalem aut etiam pedalem altitudinem excreſcens & folia gerens ſimilia ſalignis, directe ſibi oppoſita & unum in extremitate. Florem fert flavum. Fructum autem magnitudine & figura pruni, flavum & dulcem quidem ſed minime edulem.

CAP. IX.

Murucuya ſeu flos Paßionis, variæ illius ſpecies.

MVRVCVIA GVACV & GVAINVMBI ACAIVBA: Hiſpanis *Granadilla*, vulgo flos Paſſionis; Belgis in Braſilia commorantibus Rhangappel: hedera eſt fructifera: plures autem illius reperiuntur ſpecies: hic quæ fructum ferunt edulem, ponam.



I. MVRVCVIA GVACV ſeu piriformis, planta eſt viminea, lignoſa, lentiſſima: Caulis contortus, quadratus, varius, coloris cinereſcentis ſeu griſei, pollicem craſſus, ſeu etiam vitis & interdum brachii craſſitie: longe ſerpit ac etiam arboribus & fruticibus ſe implicat. Folia habet læte viridia, lævia, ſplendida, quinque aut ſex digitos longa, non ſerrata, inæqualis figuræ; quædam enim ſunt ſimplicia, quædam in duas partes inæquales, quædam in tres partes ſive lacinias ſecta: adhærent autē cauli pediculis ſuis ſubruffis, & nervus tendit per longitudinem laciniarum, tranſverſim autem multæ venulæ intertexuntur. Florem fert inſignem, quem Paſſionis vocant, magnitudine Roſæ majoris plenæ, exterius foliis quinque dilute purpureis ſuperne & inferne, & quinque viridibus inferius, ſuperius rubris, alternatim poſitis. Supra hæc folia in orbem expanduntur filamenta inſignia ſeſquidigitum longa, criſpa, medietate interiore tota purpurea, exteriore, rubro ſeu purpureo & albo variegata in centro floris extat columna ex flavo albicans, teres & quaſi tornata, lata unum digitum, cui ſuperius apex ovalis figuræ, magnitudine ſeminis pyri impoſitus, & huic item clavi extremis ſuis cuſpidibus infixi in uno puncto: infra ovalem autem figuram à faſtigio columnæ quinque brachia extenduntur ad latera, quorum quodlibet continet ſpongiforme corpuſculum, flavo pulvere adſperſum ut in Lilio. quando exterior floris pediculus totus abſcinditur tunc integra columna è flore extrahi poteſt. Flos autem facillime perit decerptus & vermiculi in illo generantur ut in caſeo. Fructus piriformis eſt, initio viridis, maturus flaveſcentis è viridi coloris. Intus tribus lineis in tres partes dividitur ſecundum longitudinem, inter quas lineas multi proceſſus, quibus ſemen cum pulpa fructus per tenues cuticulas annectitur. Pulpa alba, ſucculenta, glabra, inſtar rudimenti avis in ovo, cui inhærent in quolibet fructu grana ſeminis ducenta ſexaginta vel plura, nigra, ſplendida, compreſſa, quorum quodlibet ſuo folliculo includitur. Odor & ſapor fructus dulcis & ſuavis. Cortex craſſior eſt quam mali aurantii. Quando commeditur, ſcinditur tranſverſim (non ſecundum longitudinem) & pulpa paulum ſeparatur à cortice, adhærens illis proceſſibus, ac dein una cum ſeminibus ſorbendo inſtar ovi tremuli exhauritur. Quando autem animus eſt ſemen colligere & ſervare, pulpa cum ſeminibus per linteolum leniter exprimenda & ita à granis ſeparanda, granaque deinde


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſuis folliculis adhuc incluſa, triduo aut quatriduo chartæ imponenda ut ex parte ſiccentur; poſtea ſummis digitis folliculus cuique grano detrahendus: alias ita glabra ſunt ut comprehendi nequeant, nec inter edendum ore ſeparari.




II. MVRVCVIA Maliformis caulis itidem ſarmentoſus ac ſubruffus: folia gerit hinc inde, ſuis pediculis circiter digitum longis affixa, & quodlibet in quinque alia ſectum quæ ſuos nervos & venas habent, & quædam horum foliorum ſunt interdum laciniata, quædam non. Ad ſingulos pediculos foliorum provenit etiam pediculus, continens florem in circumferentia duplam quantitatem Roſæ habentem; quique inferius tria folia viridia obtinet, ſupra autem, hæc quinque longiora, inferne virideſcentia, ſuperne cæruleo-purpurea, & inter hæc alia quinque in totum purpurea: dehinc Solis uti pingitur figura radiatim multa filamenta criſpata & in orbem explicata, exteriori medietate cæruleo-purpurea, interiori dilute cærulea vel etiam è contrario, ut ſupra obſervavi; vel etiam, quod elegantiſſimum, exteriora verſus dilute cærulea, in medio in orbem purpurea, verſus interiora ex purpureo nigricantia, vel etiam exterius ex parte cyanei, interius in totum uranii ſeu etiam rubri coloris ac circulorum modo punctulis dilutis albo & rubro in orbem variegata; circa centrum autem ex brunno itidem rubra ſuis punctulis. In medio floris columellam habet breviſſimam, pallidam, ſuperius in quinque partes diſſectam, quæ ad latera curvatæ extenduntur; cuique parti ſpongiæformi corpus luteſcens, pulverem luteum adſparſum habens adhæret. In medio autem columellæ piſiformis orbiculus ex flavo albicans, & huic tres clavi ſuperius infixi è flavo albi & punctulis minimis purpureis variegati & deorſum inclinati, ut brachia columnæ. Flos totus ſuavis odoris. Fructus æquat pomum noſtras vulgare, rotundus, cortice craſſo, flavi exterius coloris, conſtans pulpa ſucculenta, vinoſo acida: crocea & linguam tingente croceo colore: & in illa multa granula ſeminis nigri, magnitudine ſeminis pomi vulgaris, ſed variis tuberculis inſigniti, & folliculo incluſi. Fructus item tranſverſim ſcinditur commedendus. Semina quoque eodem modo colligenda & conſervanda. Commendabilis eſt fructus tam odore quam ſapore. Flos adhuc clauſus ita ſe habet ut in Icone.

III. MVRVCVIA maliformis alia, folia habet magna; quodlibet in tres lacinias ſectum,



continetque quælibet lacinia ſuum nervum ſecundum longitudinem, & venas obliquas: ſuntque præterea in ambitu ſerrata, læte viridia & ſplendentia, eodem modo ad caulem poſita ut in prima ſpecie. Flos magnitudine & figura convenit cum antecedenti, ſed differt colore atque numero foliorum: hujus enim exteriora & majora folia inferne viridia, ſuperne alba, quibus quinque prorſus alba interponuntur. Ex medio autem flore prodeunt in orbem filamenta, dimidia parte interiori quidem cæruleo-purpurea, altera exteriore albo-flaveſcentia. Columella in medio rotunda ex viridi flaveſcens, ſuperius in quinque (interdum & ſex) curvaturas deorſum vergentes diviſa, cum ſpongiformi corpore è viridi ſufflavo ut in aliis. In medio ſummitatis Columellæ orbiculus piſiformis, cum tribus clavis infixis, deorſum inclinatis. Flos ſuavis odoris. Fructus convenit cum ſuperiori, ſed immaturus adhuc ex viridi ſufflaveſcit punctulis albicantibus variegatus inſtar Colocinthis, & ſplendens inſtar ſpeculi & ſumme lævis. Maturus autem citrinus eſt.

IV. MVRVCVIA Piriformis altera, priori piriformi flore ſimilis ſed foliis differens, flos quoque major. Folia ſolitarie poſita, quodlibet ſuo pediculo ſeſquidigitum longo innitens,



cordis bubuli figura, circiter quinque digitos longa, quatuor fere lata, ubi latiſſima, in ambitu non ſerrata, læte virentia & ſplendentia, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis quaſi prominentibus. Ad quemlibet pediculum folii etiam capreolum habet caulis, quo ſe annectit, & eodem loco pediculum ſeſquidigitum longum, tria folia continentem, ſeſquidigitum longa, in orbem inſtar floris diſpoſita, viridia & craſſo modo ſerrata. Hiſce foliis herbaceis inſidet flos, diametro plus quatuor digitorum, continens decem folia, quorum quinque ſuperne & inferne rubri coloris, quinque vero ſuperne rubri, inferne viridis coloris, ita alternatim poſita. Supra hæc folia filamenta ſeſquidigitum longa in orbem ſtant erecta (cum in aliis ſpeciebus incumbant) ſatis fortia & teretia, quorum inferior medietas ex lacca, purpura & albo variegata eſt, ſuperior ſeu extrema tota purpurea. In centro floris itidem columna erecta, tornata, digitum alta, ſuperius ovale corpus cum tribus clavis infixis ex albo flaveſcentibus; infra quod quinque brachia rubra punctulata cæterum flaveſcentia extenduntur in orbem, quorum quodlibet ellypticum corpus habet referens ſpongiam, compreſſum, albicans, cui pulvis luteus adhæret. Floris odor ſuavis, fructus piriformis.

Murucujæ autem omnes ſpecies, ut plurimum, florere incipiunt menſe Auguſto & florent uſque ad Januarium. Fructus maturus copioſe menſe Januario & Februario, Martio, Aprili, Majo & Junio folia amittunt, novis ſubnaſcentibus.

Murcuja major & media coluntur in hortis, nec in campeſtribus reperiuntur, niſi ubi olim horti ab incolis culti fuerunt. Minor ſponte in campeſtribus provenit.

Utraque illa ſpecies tranſplantatur per ſurculos (ſine radice) craſſitudine unius digiti, qui ſeſquipedem longi, ad pedem circiter terræ immerguntur, ut dimidium pedem emineant: ſic poſtea progerminant & veſtiunt integras ſepes inſtar hederæ ſcanſilis. Habent enim & ſuas, ut dixi, claviculas quibus ſe applicant.

Reperitur hic & alia Murucujæ ſpecies; quæ tenui, rotundo, viridi, herboſo caule ſerpit & fruticibus ſe implicat. Folia hederæ ſcandentis foliis figura ſimilia, in tria cornua diducta, ſuperius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

periusſplendide viridia, inferius ex viridi caneſcentia,uti Caapeba. Quodlibet folium diſtat ab altero circiter duos digitos & ſemis, ſuo petiolo inſidens digitum longo, ex caule prodeunte parvo foliolo dentato circumdatum: & prope petiolū etiam habet capreolos ruſeſcentes, quibus ſe adnectit. Poſt florem provenit pomum ovale, magnitudine majoris pruni, initio viride, cujus cortex haud ita craſſus ut in cæteris ſpeciebus, continens pulpam albicantem cum ſeminibus ut Murucuja-guacu, lenticularis figuræ, magnitudine ſeminum pomi, nigra, ſplendentia.

Obſervavi & aliam ſpeciem, quæ à Braſilienſibus vocatur *Murucuja-ete*, cujus folia dilute viridia in totum, in tria alia ſecta & in pediculo ubi inſidet tria folia in ambitu ſerratá, viridia: flos ipſe conſtat decem foliis, nimirum quinque exterius viridibus, interius albis, & inter hæc quinque alia alternatim poſita in totum alba: ex medio floris prodeunt filamenta Solis figura, quæ ad medietatem interiorem purpureo-cærulea, ad exteriorem alba ſunt. In centro floris ſtamen in quinque brachia diductum, cæruleo punctulatum, cum ſpongiformi corpore, quod pulvere luteo aſperſum. In piſiformis corporis medio tres clavi infixi. Flos dulcis odoris.

HEDERA Murucuja ſpecies (nam & *Murucuja* hedera eſt) veſicaria, lanuginoſa, odoris gravis mihi dicitur. Longiſſime ſerpit caule ſuo & capreolis ſe firmat: caulis autem teres, hirſutus, ruffus ac mollis; folia acuminata, cordis figura, ad tactum ut ſericum, mollia. Florem fert pataci magnitudine, decem foliis conſtantem, quinque inferius viridibus, ſuperius albis, & quinque totaliter albis, alternatim poſitis: ſuper his foliis multa filamenta alba in orbem expanduntur ut in flore paſſionis, paulum contorta & interius in orbem purpurata: in medio columella albicans, punctulata rubro, cui quinque ſpongiæformia corpuſcula cum tribus clavis impoſita, coloris ex viridi albicantis, murucujæ modo. Poſt flores ſequitur folliculus turbinatus, magnitudine dactyli, qui intus cavus ſemina continet. Odor totius plantæ fortior & penetrans ut Hyoſciami, ſed cui dulcedinis aliquid admixtum deprehenditur. Planta manibus tractata odorem imprimit.

CAP. XII.

Caaeo ſeu Herba viva.

CAAEO Braſilienſibus: *Herba viva* vulgo: Caulem habet ſtriatum, viridem, longum, haud craſſum, lignoſum, aculeatum, fragilem tamen & medulloſum, qui partim terræ incumbit, partim aſſurgit & aliis ſe implicat: in varios panditur ramos & rami in ramulos, duos aut etiam quatuor digitos longos aculeates; quilibet autem ramulus quinque, ſex aut octo coſtas habet ſibi ſemper oppoſitas, quamlibet unum aut ſeſquidigitum longam, quæ coſtæ continent foliola læte viridia ordine poſita & ſibi oppoſita, anguſta, oblonga, ut lentium, ſine pediculis, ad tactum tenera, in medio ſecundum longitudinē ſubtili nervulo, qui non poteſt videri niſi foliolum obvertatur. Ad caulem ubi ramuli prodeunt brevis provenit pediculus (raro plus quam unus in uno loco, ſed in uno habens multos, & in ſummitate caulis quaſi ſpicatim congeſti ſunt globuli) unum digitum longus, qui capitulum producit rotundum, magnitudine globulariæ Monſpel. Car. Cluſii Rar. Plant. lib. IV. cap. I. vel etiam majus, conſtans cæruleo pur-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

leo purpureis (vel etiam incarnati coloris) floſculis egregiis, arcte junctis, ita ut capitulum hirſutum videatur. Poſt flores proveniunt ſiliquulæ tenues, ſtriatæ, hiſpidæ, mollibus aculeis munitæ, tres circiter digitos longæ, in quibus ſemen nigerrimum, ſplendens, oblongum, figuram fere habens cordis, magnitudine grani ſiliginis. Radix hujus plantæ perennis eſt, & ſemper protrudit caules recentes. Eſt autem radix pedalis aut paulo majoris longitudinis, quatuor circiter digitos craſſa ſuperius, ſed quæ paulatim attenuatur verſus inferiora; eſt autem contorta inſtar funis, & multa habet filamenta ad latus è ſui medio, unum aut duos pedes longa: exterius eſt coloris umbræ, interius alba, lignoſa, medulloſa, lenta, filamentoſa. Tota radix fortem odorem habet plane ſimilem raporum noſtratium, diu in cella tempore hyberno ſervatorum. Herba inodora, ſed ſaporis ſubdulcis. Mirabilis autem, nam manu, pede aut baculo tacta, ſtatim contrahit ſe & componit, brevi autem poſt iterum ſe explicat, quod ab aſtante videri poteſt. Etiam circa Solis occaſum quaſi triſtitia affecta ſe componit.



Reperitur hic & alia Herba viva fruticeſcens, Luſitanis *Silva d' Agoa* dicta. Adſurgit in altitudinem pruni ſilveſtris: folia illius ſimilia foliis prioris ſpeciei, ſed anguſtiora, in ramulis diſpoſita; nimirum quilibet ramus quatuor, quinque aut ſex digitos longus eſt, habetque octo aut novem paria ramulorum ſibi invicem oppoſita, quorum quilibet ſeſquidigitum longus, & in ſingulis multa paria foliorum ſibi oppoſita. Flos convenit cum flore primæ ſpeciei, paulo tamen major & ceraſi magnitudine. Lignum ſubruffum habet corticem, eſtque lentum, multis ſpinis rufeſcentibus munitum. Fert ſemen in ſiliquis magnis, latis, inſtar ſiliquæ piſi, plane hiſpidis, brunni coloris, tres digitos longis; quando ſemen maturum eſt, ſiliquæ ſponte in tot partes diſſiliunt, quot ſeminis grana continent: & ſecundum longitudinem ſiliquæ ad utrumque latus, filum quoddam hiſpidum etiam ſe abſolvit. quodlibet granum ſeminis habet magnitudinem farris, compreſſum, coloris olivacei, quadratæ ſeu parallelogrammæ capſulæ incluſum.

ANNOTATIO.

Plane ſingularis & admirabilis eſt ſiliquæ hujus compoſitio; quam cum integram ab Amicis è Braſilia ad me miſſam acceperim, operæ præcium putavi illam hic adjungere ea mole quam habet, quamvis elegantiam ejus pictor vix exprimere poſſit. *vid. pag. ſeq.*

Tertia ſpecies, itidem fruticeſcens, minor eſt præcedente; habetque foliola prorſus anguſta & multo anguſtiora foliolis prioris; atque ad hunc modum diſpoſita: ramuli ſeſquidigitum longi & non per paria ſibi invicem oppoſiti, ſed in orbem ſtantes, ſex, ſeptem aut octo

numero;

numero; foliola tam in illis ſibi invicem appoſita ut in reliquis ſpeciebus. Color ligni ſimilis ſecundæ ſpeciei, uti & flos: verum ſemen continetur in ſiliquulis parvulis, teretibus, hiſpidis, fuſcis, quarum multæ conjunguntur, figura Roſæ; quælibet autem ſiliquula habet tria grana & totidem tubercula. Semen autem coloris eſt olivacei paulo obſcurioris, rotundum & paulo compreſſum, inſtar lentium, ſed minus. Siliquulæ etiam ſponte diſſiliunt in tot partes quot ſemina continent.



CAP. XIII.

Piper caudatum ſeu Nhamdu. Frutex innominatus. Alter innominatus.

PIPER CAVDATVM, *Betre* quibuſdam Luſitanis; *Nhamdu* Braſilienſibus generali nomine: ſubfrutex eſt, inſtar arbuſculæ excreſcens ad trium, quatuor, quinque & interdum ſex pedum altitudinem. Caulis illius lignoſus, teres, viridis, nodoſus, ad adſpectum fere ut caulis Solani. Folia ſingulatim ſunt poſita, quorum quodlibet ſuum habet pediculum, qui ad nodos oritur: ſunt autem lata, figura cordis ut pingitur vel vomeris, multis venis arcuatim ſecundum longitudinem elegantiſſime notata. Ad nodos itidem proveniunt multi juli, quatuor, quinque aut ſex digitos longi, incurvati, figura fere ut muris cauda, virides, qui menſe Octobri aut Novembri decerpuntur ac in Sole ſiccati nigreſcunt: continentque granula rotunda, nigra, ſeminis papaveris magnitudine, arcte juxta ſe in uvam compoſita, acris ſaporis, inſtar piperis optimi quod ex India Orientis affertur. Radix in alias plures tenues dividitur, fuſcas, inſignis odoris, inſtar Thymi, & ſaporis qui linguam vellicat.



Folia hujus plantæ medentur ulceribus tibiarum. Radix mirabiliter valet adverſus apoſtemata.

Reperitur in Braſilia & alia ejus ſpecies ubique obvia & frequentiſſima in ſilvis mediterraneis, per omnia ſimilis priori, excepto quod folia anguſtiſſima ſunt & oblonga, & fructus ſeu cauda piperina longior, & melior, eſt enim grandior.

ANNOTATIO.

Fr. Ximenes de Plantis Novæ Hiſpaniæ agens, deſcribit eandem hanc plantam ad hunc modum.

Plantam quæ fert piper longum ſolent Inſularum Philippinarum indigenæ appellare *Buyo buyo* & Mexicani (apud quos non minus naſcitur) *Tlatlanquaye*, atque etiam *Acapatli*. Habet autem truncos contortos inſtar ſarmentorum, & in illa folia piperis candidi, verum longiora & acutiora: fructum fert teretem & oblongum: folia ſunt odorata, ſapore acri & mordaci, calida & ſicca in tertio gradu atque ſubtilium partium; Fructus nuſquam perfecte maturatur ita ut ſementi ſit aptus, itaque decerpitur cum jam rubeſcere cæpit, & exponitur ſoli ut matureſcat & ſervatur in uſus: ſiccus autem atque etiam viridis manducatur, neque male nutrit, additque cibis bonum ſaporem, modo ne igni admoveantur, nam ſi ebulliatur ſtatim illum amittit atque etiam vires. Cortex radicis contuſus & hauſtus evacuat commodiſſime melancholicos humores, ſanat vulnera venenata, prodeſt nervis reſolutis, diſcutit flatus & ſanat omnes infirmitates è cauſa frigida ortas, reſolvit humores craſſos & lentos. Hactenus in Nova Hiſpania tres illius ſpecies fuerunt obſervatæ, licet in Philippinis Inſulis quinque dicant inveniri, quarum ramulos nobis attulerunt; nam præter *Buyo buyo*, de qua jam diximus, memorant & alias quatuor quarum poſtrema appellatur *Buyo ſamo* aut *de ſemi*, quæ licet ſimilem fructum ferat, differt tamen gravitate odoris, & foliis quæ obtinet perforata & ſcabioſa, itemque ſapore acri & adſtringente: alias duas ſpecies ajunt differre à *Buyo buyo* parvitate foliorum & aſperitate, præſertim minimam, quia major producit majora, cæterum valde ſimilia. Obtinet ſaporem piperis nigri & præcipue radix, nam fructus magis accedit ad piper longum, licet ſubtilior ſit & acrior; cortex eſt colore melleo, acutus & corroborans. Radix utriuſque ſpeciei exhibetur contra venena uti cætera alexipharmaca, unius unciæ quantitate ex aqua Cocci aut vino palmarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

recenti: medentur frigidis ventriculi affectibus cum decocto Chamæmeli ſumtæ, corrigunt enim & ſuperant humores craſſos, atque ita corroborant ventriculum: ſuccurrunt frigidis & maleficiatis, præſertim ſi addantur alia remedia opportuna, ut affirmant Mexicani, qui propterea vocant *Tlatlanquaye quanhiautli.*

Naſcuntur locis calidis paſſim ad ripas fluviorum & in vallibus.

Succus radicum & ſtolonum expreſſus, & hauſtus vel per enema infuſus, evacuat humorem qui generat hydropem: decoctum reſolvit humores crurum, diſcutiendo humores pituitoſos, qui illos generant: movet menſes fœminarum: diſpellit flatus, & lenit dolores ex illis orientes: ſanat vulnera, maxime quibus aliquid viroſi ſubeſt: mitigat dolores luis venereæ: reſolvit tumores gutturis & alios quoſcunque, maxime ſi *contlynan* admiſceatur: reſtituit movendi facultatem: movet ſudores: curat paralyſin & ſpaſmum.

Vtuntur quoque foliis in ſubſumigiis ad frigora & rigores pellendum.

Clariſſimus vir Carolus Cluſius lib. I. Exoticorum cap. xx. dedit nobis iconem ramuli hujus plantæ & conſentit cum hoc Auctore folia hujus plantæ à piperis nigri foliis parum differre. Icones utriuſque plantæ faciunt fidem. Garzias tamen ab Horto dicit longe aliam eſſe plantam & non plus habere ſimilitudinis cum plantis nigri & albi piperis quam fabam cum ovo: in quo tamen liquet illum fuiſſe deceptum.

Allati ſunt nobis ejuſmodi fructus ex India Orientis, ligneis verubus affixi, quos ibidem ajunt appellari *Ciriboa*, quod nomen nonnihil alludit ad *Buyo*, & quidem immaturos decerpi; ſed in illis non deprehendo tam acrem & vellicantem ſaporem; fieri autem poteſt non eſſe admodum recentes: qui autem attulerat de viribus & uſu nihil poterat nos docere.



FRVTEX *(cui Auctor nomen non adſcripſit)* inſtar Salicis pumilæ naſcitur in arenoſis locis. Lignum & folia habet Salicis, ſed paulum lætiora, egregia viriditate ſplendentia, nervo prominente ſecundum longitudinem, venis vero in latitudinem ordine digeſtis.

Floſculos fert umbellatim congeſtos albos, parvos, inſtar Sambuci: poſt quos proveniunt folliculi plane compreſſi, figuræ ut in Icone *(quam ex herbis ſiccis ab Auctore ſtudioſe collectis, exprimi curavi)* valde elegantis; continentes ſemen rotundum, nigrum, macula alba notatum.



FRVTEX *(cujus nomen Auctor non prodidit)* inſtar Salicis pumilæ, foliis Salignis, ſed paulo latioribus, nervo ſecundum longitudinem utroque latere conſpicuo, & venis tranſverſis exilibus: ligno quoque Saligno. Capitula autem habet rotunda, viridia, in longis pediculis, qui & juxta folia & ſeparatim è caule enaſcuntur, & in iis congeſtos floſculos minimos luteos. Poſt floſculos proveniunt capitula ut in lupu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

in lupulo, minoris olivæ magnitudine, ſed dura & quæ ſemen continent triangulare. Iconem non dederat Auctor ſed illam ex herbis ſiccis ab ipſo collectis delineandam curavi, & deſcriptionem qua leviter defunctus erat, abſolvi. An autem ſit alicujus uſus dicere non poſſum.

CAP. XIV.

Guajeru. Nhambu Guacu. Frutex innominatus. Alter innominatus. Canambaya. Frutex innominatus. Fruticeſcens herba.

GVAIERV Braſilienſibus. Frutex arboreſcens, cortice ſubruffo ſeu brunno. Folia habet hinc inde poſita, ſolida, ſubrotunda, ſplendentia, breviſſimis pediculis innixa: nervo ſecundum longitudinem poſtica parte prominulo, & coſtis ſex aut ſeptem obliquis prædita, quæ in minutas venulas ſe ſpargunt, poſtica itidem parte prominentes, & magis conſpicuas. Floſculos fert multos, umbellatim poſitos, quinque foliolis conſtantes, pallide albis, in medio autem continet plurima ſtaminula pallida, quæ flava punctula habent. Fructum producit magnitudine & figura prunorum noſtratium, nigricantis ex rubro coloris quando maturuit: carnem habet albam, dulcis non tamen ita manifeſti ſaporis; & continet lapidem inſtar pruni, cum nucleo. Edulis eſt fructus.




Naſcitur paſſim ſponte in ſilvis aridis maritimis.

Iconem hanc cum floſculis & foliis delineandam curavi ex herbis ſiccis ab Auctore noſtro collectis, nam ipſe nullam fecerat.

NHAMBV GVACV Braſilienſibus; Ricini ſpecies; frutex eſt in multos ramos expanſus: caudicis color ut in Iuglande. Folia fert in longis pediculis, qui in medio folii ſunt infixi, magna, in octo aut novem lacinias acuminatas ſciſſa, per ambitum ſubtiliter ſerratas, & è centro folii per omnes lacinias nervus tendit ſecundum longitudinem. Inferius eleganter ſunt viridia, ſuperius ſaturate; ad tactum mollia, tenera, & quæ decerpta ſtatim flaveſcunt. In ramorum extremitatibus autem proveniunt ſingulares pediculi, in quibus alterna ſerie & ſpicæ forma in propriis petiolis, proveniunt virides læveſque globuli quinque aut ſex juxta ſe poſiti, inſtar uvæ, qui ſe aperientes exhibent floſculos ſubtiles, figura ut in Sambuco, ſed multo minores, coloris ex albo ſunt ſubflaveſcentis, qui facile decidunt, copioſe autem congeſti ſunt in racemum elegantem: odore fere ſunt ut Sambuci (quemadmodum univerſa planta fere ita olet.) Poſt flores ſuccedunt corpora rotunda, viridia, cinnabriis umbelicis notata, magnitudine avellanæ, in totum hiſpida ut Erinaceus, quinquaginta aut ſexaginta in unum racemum congeſta, qui fructus ſunt. Hic fructus maturus nigricat ac ſponte diſſilit in tres (rariſſime in quatuor) partes vel capſulas, quarum quælibet etiam ſe aperit & continet in ſe nucem lævem, cinerei coloris & nigro eleganter maculati, figura & magnitudine piſtaceorum. Nux aperta (nam ſolum cuticula fragili obducitur) albiſſimum in ſe continet nucleum oleaginoſum, ex quo & oleum exprimitur. Quando fructus nondum maturus eſt ſi manibus tangatur diſſilit in partes cum crepitu.

FRVTEX *(cujus nomen Auctor non prodidit)* ſimilis eſt arbori Ianipabæ; lignum habet cortice cinereo tectum, folia in frondes congeſta, læte viridia, venis ut folia Ianipabæ, ſed longe minora ſunt, quatuor aut quinque digitos longa. Fert florem magnitudine & figura flori Narciſſi ſimilem, quinque foliis flavis conſtantem: proveniunt autem hæc quinque folia, ſeu ſunt idem corpus cum ſcapo cavo quinque digitos longo, per quem filum quoddam tranſit uſque ad medium floris, continens duo ſtaminula figura nuclei pomi. Naſcuntur flores con-

ſertim in uno ramulo juxta ſe invicem, duodecim, quindecim, viginti aut plures. Fructus illius eſt rotundus, pomi mediocris magnitudine aut figura nucis juglandis ſuo cortice viridi



cinctæ, viridis, ſplendens & per maturitatem nigri coloris. Continetque intus multa ſemina, melonum modo tranſverſim poſita: caro autem eſt ſpongioſa, alba & facile ex cortice poteſt eximi ut juglans, ac eodem modo in medio interſtitio eſt diviſa. Omnia poma matura evacuata & inania reperiuntur.

FRUTEX hic (*cui ab Auctore nomen adſcriptum non inveni*) in ſpinæ albæ altitudinem excreſcit: cortice ligni viridante & raris ramis. Folia habet inordinate poſita, brevioribus pediculis innixa; tres circiter digitos longa, ſuperiori parte dilute viridia, inferiori lanuginoſa & alba; nervo ſecundum longitudinem ſuperne & inferne conſpicuo, & paucis coſtis obliquis alternatim oppoſitis. Folia autem ſiccata ſuperna parte plane nigra evadunt, inferna incana & lanuginoſa.

In extremitatibus ramorum racematim enaſcuntur copioſi floſculi minimi, qui aperti ſtellulas referunt quinque aut ſex foliolis conſtantes, luteolis; qui denique deſinunt in pappos. *Fructum ferat necne ab Auctore non proditur.*

Iconem autem hanc delineandam curavi ex ramulo ſicco ab Auctore collecto, itaque & nigrum illum colorem expreſſi.



CANAMBAYA Braſilienſibus. Frutex ligno cinereo exterius, folia habens craſſa, ſubſtantia Aloës foliis ſimilia, ſemipedem aut amplius longa, duos digitos lata, in ambitu exſecta, figura foliorum è cera confectorum, quibus ornantur crines angelorum qui ſalutem annuntiant paſtoribus tempore nativitatis Domini: per medium autem folium interius tranſit ligneus

nervus

nervus ſecundum longitudinem, eſtque folium virens ut Aloës & per oras quaſi bruneſcens.



Reliqua ad hiſtoriam hujus plantæ pertinentia ab Auctore prodita non inveni.

FRUTEX quoque hic naſcitur (*cujus nomen Auctor non prodidit*) pungens & urens: caule lignoſo, ſubtilibus ſpinulis albis munito, atque in multos ramos diſperſo aſſurgit. Folia fert inordinate poſita in pediculis tres digitos longis; quodlibet in tres lacinias diviſum, ſubtilibus pilis veſtitum & in ambitu inæqualiter exſectum. Tactum urit ac pungit vehementer. Fert floſculos ſimiles floribus Lychnidis ſilveſtris à Car. Cluſio deſcriptæ, quinque foliolis conſtantes, coloris prorſus nivei.



FRUTICESCENS hæc Herba (*cujus tamen nomen ab Auctore non proditur*) caules habet ruſeſcentes, lignoſos, & fragiles, & in figuram arbuſculæ aſſurgit, in plurimos ramos diſtributa, in quibus bina ac bina ſibi invicem opponuntur foliola in brevibus petiolis ruſeſcentibus, unum digitum aut paulo plus longa, ſuperius dilute viridia, inferius nonnihil albicantia; nervulo ſecundum longitudinem ſubtili conſpicuo, venis autem ita exilibus ut vix conſpiciantur. In extremitatibus ramorum ſex aut ſeptem digitorum longitudine proveniunt graciles admodum pediculi, ſuſtinentes elegantiſſimos floſculos, quinque foliolis conſtantes, flavis & ad oras ſanguinei coloris: in medio autem floſculi ſtaminula exſtant lutea & ſanguineo colore maculata. Planta & flos nullum habet odorem notabilem. *Fructus aut ſemen ab Auctore non deſcribitur.*



CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP.

Frutices tres innominati. Trematee. Frutices tres alii innominati.

FRVTEX hic *(cujus nomen ab Auctore non proditur)* ex radice quatuordecim aut quindecim digitos longa, lignoſa, alba, & multis filamentis prædita: lignoſus è viridi albicans prodit caulis in arbuſculæ modum, duorum aut trium pedum altitudine: caulis autem & ramuli multis ſunt armati ſpinulis acutis. Alternata porro ſerie adſtant folia in pediculis ſeſquidigitum longis, pleraque ad pediculum habentia unum aut alterum parvulum folium: folia autem vomeris ferme figura ſunt, ſed obtuſi, dilute viridia, ad tactum mollia & tenera, & ad nervum poſtica parte, ſecundum longitudinem aculeata. In extremitate caulis & ramorum, quemadmodum etiam ſparſim ad ipſos ramulos, proveniunt unus, duo, trés vel quatuor floſculi, ex viridi ad luteum inclinantes, & quinque foliolis conſtantes, & in medio ſtant quinque ſtaminula erecta. Poſt florem ſequitur fructus, meſpili magnitudine, rotundus, lævis, coloris è viridi albicantis, ſtriis viridibus ſaturatis ſecundum longitudinem, maturus autem flaveſcit; folliculo & pulpa conſtans, ut uvæ cripſæ noſtrates, ſaporis acidi grati. Fructus commeditur, & ſemina orbicularia, compreſſa, flaveſcentia in ſe continet, figuræ ferme ut lentes.



Vide Dodoneum de malis æthiopicis.

ANNOTATIO. Iconem hujus plantæ ex herbis ſiccis ab Auctore noſtro conſervatis delineandam curavimus, quare neque flores neque fructus addere potuimus. E ſemine autem è Braſilia ad nos miſſo anno cIↃ IↃ c XXXVIII. nata fuit hæc planta in Horto Botanici noſtratis D. Braband; quam & tunc à perito pictore delineandam curavi, & iconem ſervo; erat autem plane eadem planta, quam tamen Solani ſpeciem ſpinoſam arbitrabamur; floruit & fructum protulit plane ſimilem deſcriptioni Auctoris noſtri, qui ad maturitatem pervenire non potuit, primum enim frigus plantam enecavit. Niſi autem color florum differret, videri poterat frutex Novæ Hiſpaniæ Hintztomatzin, quem Fr. Ximenes ita deſcribit: Eſt frutex agens radicem groſſam & ſurculoſam, è qua prodeunt trunci ſpinoſi, ulnam alti, & in iis folia, quodammodo ſimilia ſpinauliæ, inferiore parte villoſa & incana: fert florem purpureum cum quibuſdam ſtaminibus, è quibus enaſcitur fructus ſimilis albis ceraſis. Radix eſt amara, acuta, calida & ſicca in tertio gradu. Cortex illius contuſus & quantitate ſemunciæ hauſtus ex aqua, evacuat per inferiora quoſvis humores; eſtque admirabile remedium contra febrem & difficultatem reſpirandi, atque etiam hydropem.

FRVTEX *(cujus nomen Auctor non prodidit)* ligno albo, medulloſo, folia habens acuminata, lata, ſerrata, plane hirſuta, inferne viridiora, ſuperne nigricantia. Fert echinos ſeu globulos aculeatos magnitudine piſorum majorum, fuſcos, verticillatim in ramulis poſitos, decem, duodecim, quindecim, plures, paucioreſve ſimul: peſſimi ſunt hi globuli itinerantibus, nam ubique ſunt obvii in ſilvis ad vias, & tacti vel centum numero ſimul capillis & veſtimentis adhæreſcunt, item jubis & caudis equorum.

FRVTEX *(quem Auctor non nominat)* aculeis oppoſitis & in quolibet tria paria foliorum buxi foliis ſimilium, ſibi appoſita habens. Floſculos fert longos, dilute ex albo purpuraſcentes, quatuor foliolis conſtantes deorſum incurvatis, albis & totidem ſtaminulis parvulis. Baccas generat, quamlibet in proprio pediculo, ovales, Sambuci baccarum magnitudine, obſcure purpureas, tingentes nigricante brunno: quælibet continet intus lapidem parvum album, compreſſum.

TRE-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

TREMATE Braſilienſibus. Frutex arboreſcens. Malo punico figura eſt ſimilis: cortice Sambucino, ligno albo, medullam continente. Folia obſcure viridia, haud magna, nimirum ſeſquidigitum longa & ſine pediculis ramis adhærentia, aſpera, & multis venis conſpicua. In extremitate ramorum fert multas umbellas magnas, floribus luteſcentibus, quibus nonnihil purpurei admixtum, & in medio horum multa ſtaminula flaveſcentia ut florum Hieracei, & eodem modo deſinunt in pappos: referunt exacte odorem ſtyracis, uti & folia trita. Poſt flores provenit in illis papposis capitulis ſemen minimum, rotundum, nigrum, multo minus papaverino.



Braſiliani utuntur foliis contuſis in oculorum doloribus & rubedine.

Iconem non dederat Auctor ſed ex herbis illius ſiccis accurate delineandam curavimus.



FRVTEX (*cujus quidem nomen Auctor non prodidit, ſed hanc dedit iconem*) multis virgultis ex una radice aſcendens, rectis, colore ceraſi, breves ramulos habentibus, in quibus folia bina ac bina ſibi opponuntur, ſeſquidigitum circiter longa, ſubrotunda, læte viridia & ſplendentia, ſuperius tamen magis, non craſſa, attamen cum ſtrepitu frangibilia: innituntur breviſſimis pediculis, ad quos ramuli enaſcuntur, floſculis onuſti candicantibus, eo modo compoſitis quo in Lilio convallium; qui ſunt cavi, figuræ ut pileus Braſilienſis, ſuperius in quinque crenas diviſi; poſt ſectionem autem deorſum incurvantur: in medio prominet ſtaminulum album, extra floſculum, haud craſſius filo: hoc ſtamen interius ambiunt alia ſtaminula minutula flaveſcentia: æmulantur odorem florum Ceraſi noſtratis.




An fructum ferat & qualem ab Auctore noſtro non proditur.

FRVTEX (*cujus nomen Auctor noſter non prodidit*) arboreſcens, ramoſus; lignum habens album, fragile & intus medulloſum. Folia fert

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

læte viridia, oblonga, acuminata, leviter ſerrata, alternatim poſita in brevibus pediculis: ad unumquemque autem pediculum folii, multi floſculi congeſti conſpiciuntur, virides, ſimiles floribus Parietariæ herbæ. Folia apparent perforata ut folia Hyperici, ſi Soli obvertantur.



Iconem non dederat Auctor, quare illam ex herbis ſiccis ab ipſo collectis & conſervatis delineandam curavimus, verum ſerratura foliorum hic non ſatis bene expreſſa eſt. Elegans videtur frutex, & dolendum eſt non plenius ab Auctore fuiſſe deſcriptum.

FRVTEX (*cujus itidem nomen Auctor noſter non expreſſit*) ligno ſaligno, intus medullam albam continente, foliis ad myrti folia accedentibus, ſed longe majoribus, ſuperne viridibus, inferne ex viridi albicantibus; & habentibus nervum ſecundum longitudinem poſtica parte prominulum, ſuperna vix conſpicuum, ſine apparentibus venulis. Cortex ligni eſt cinerei coloris.

Fert flores, *quos tamen ab Auctore noſtro deſcriptos non inveni.* Poſt flores proveniunt ſiliquæ, quatuor circiter digitos longæ, teretes, & quaſi ex globulis compoſitæ, continentes ſemen magnitudine ferme piſorum, ex flavo obſcurum, una extremitate paulum acuminatum & rimula quadam ad latus inſignitum.

Hanc quoque Iconem ex herbis ſiccis delineandam curavimus.

CAP. XVI.


De Cannis è quibus fit Saccharum.

VVBÆ & TACOMAREE Braſilienſibus, Luſitanis *Alfeloa da zuquere* aut *Cana d'azuquere*: Arundo Saccharifera. In quinque, ſex, ſeptem pedum altitudinem adſurgit ordinarie, exceptis foliis, (quamvis viderim decem pedes longam, & ſex ſupra quinquaginta juncturis conſtantem, ſed rarius) craſſitie quatuor digitorum ut plurimum; multas habet juncturas ſeu nodos, quorum quilibet circiter quatuor digitorum interſtitio diſtat ab altero, & quo magis diſtant nodi, ſeu inter media longiora ſunt, eo melior judicatur arundo. Folia ſuperius multa gerit, longa, acuminata, & paniculum florum (quando longo tempore ſtetit) inſtar Uuba, ſed minorem. Color arundinis ex viridi vergit ad flavedinem: ad nodos albeſcit ex una parte, ab altera flaveſcit, quaſi duo annuli unus flavus, alter albus circumdarent nodum: qui ipſe elevatus eſt & caneſcit vel etiam nigreſcit. Medulla arundinis ſolida, ſucculenta, dulcis, alba.

Arundo hæc requirit pingue & humidum ſolum, ideo in planis campis, quos Braſilienſes *Ibipeba*, Luſitani *Varzas* vocant, & humilibus, quos natura dedit huic terræ prope ripas fluviorum grandiorum, magno proventu plantatur. Campi enim illi hiemali tempore maximam partem aquis fluviorum cooperiuntur, & per illam inundationem pinguifiunt. Plantatur etiam in montibus, ſed non tanto proventu, niſi pingue ſit ſolum. In ſpecie autem qui campi hic apti ſint ad cannas plantandas dicam & ubi etiam proventus eſt hujus plantæ ſaccharcæ eximius. Terræ ripenſes circa fluvium Paraiba, Capijbari miri, Caracunhaya, Javapoata, Pirapama, Ipoiuca, Cuin haya facile primas inter omnes tenent.

Optimum tempus plantandi eſt menſe Januario & Auguſto, vel circiter. Plantatur autem hoc modo: In terra elaborata ſulci fiunt paralleli opera ligonis; in hos ſulcos ordine recto ponuntur arundines, ita ut initium ſequentis attingat finem antecedentis, hoc facto taleæ hæ inhumantur. Notandum autem quod ſi tempore æſtivo, ſcilicet Januario, vel circiter fiat plantatio

tio taleæ hæ profundius ſint inhumandæ ob æſtum Solis ne ille penetret: tempore hiemali ſeu Auguſto vel circiter minus cooperiendæ ſunt, ut aqua pluvialis facilius penetrare poſſit, ſic enim citius progerminat.



Ad ſingula autem internodia gemina ſua protrudit hæc canna plantata, ita ut quodvis internodium det novam arundinem.

Poſtquam ſic progerminavit arundo ſingulis tribus vel quatuor menſibus, pro ratione ſoli, ab herba luxuriante purganda eſt, ne illa plus incrementi capiat quam canna ipſa; iſque labor tamdiu repetendus donec arundo in aliquam magnitudinem adoleverit.

Spacio octo, decem vel duodecim menſium à plantatione arundo hæc juſtam adquirit magnitudinem pro ratione ſoli, ita ut tunc apta ſit ad Saccharum ex illa conficiendum. Interdum tamen uſque in alterum annum ſinitur, & tunc arundo antiqua vocatur, ac interea ex hac ipſa progerminant novæ arundines, quæ ſecundo anno una cum veteri arundine ſectæ ad machinas deducuntur. Poſt biennium ſi non ſecetur canna utplurimum ſeipſam conſumendo perdit, niſi in ſolo fertiliori, ibi enim ad triennium durare poteſt. Radix tamen illæſa manet.

Arundo hæc ſemel plantata, ſeipſam continuo inſtar ſilvæ multiplicat, ita ut non ſit opus eundem campum replantare niſi poſt quadraginta aut quinquaginta annos neque tunc aliam ob cauſam radicitus evellitur & replantatur, quam ut laticem meliorem exhibeat.

Damna quæ evenire poſſunt & accidentia quæ arundineta deſtruunt, ſunt incendium, præſertim tempore æſtivo, tunc enim ad radices uſque conſumitur: poteſt tamen ex parte damnum reſarciri ſi pluvia ſuccedat poſt combuſtionem. Nimia quoque inundatione tempore hyberno perit arundo, præſertim junior & quæ nondum mediam altitudinem acquiſivit. Corrumpitur etiam à vermiculo quodam, quem Braſilienſes vocant *Guirapeacojâ*, Luſitani *Pao de galinha*, qui radices cannæ exedit, unde perit tota canna: accidit id frequentius locis apprime paludoſis. Suffocari etiam arundo junior ab herbis luxuriantibus poteſt, ideo frequentius arundineta ſunt runcanda. Arundo poſtquam ſatis adoleverit, ſingulæ cannæ prope terram in ipſo nodo inferiori, qui latice ſacchareo caret & tantum humiditatem aquoſam in ſe continet, abſcinduntur, à foliis liberantur, abſciſſa ſummitate, in faſces colliguntur, ligantur ſuis foliis, imponuntur carro & bobus trahuntur ad molendinum. Folia hæc ſuperiora arundinis ſeu ſummitates arundinis cum foliis junioribus vocant Luſitani *Olhos*, deducunt ſingulis veſperis ad circum quantum opus habent, ac hinc inde diſpergunt, ut noctu bobus ſit pro pabulo, qui circo illi includuntur, ut mane ad labores ſint preſto. Equi etiam commedunt has ſummitates præſertim ſi in mediocres particulas concidantur. Tempus meſſis incipit Septembri, deſinit Februario vel Martio, prout agricolæ plus minuſve cannarum poſſident.

Machina ſaccharea, quam Luſitani vocant *Engenho*, Braſilienſes *Ibira babaca* & *Ibira pararanga*, duplex eſt, aqua & bobus verſatilis, hanc *Engenho de boys*, illam *Eng d'agoa* appellant Luſitani. Hodie etiam plerique loco boum utuntur equis & quidem majori commodo, citius enim hi machinam circumagunt.

Machina aqua verſatilis rurſus triplex eſt, vel enim aqua tangit rotam inferius, & vocatur Luſitanis *Raſteiro*: vel offendit eam medio & vocatur *Meocopeiro*, vel denique cadit deſuper in rotam & vocatur *Copeiro*. Illa plurimum, iſta minus, hæc minimum aquæ requirit.

Ad quamvis machinam ſive aqua ſive bobus circumagatur requiritur area quinque decempedas circiter longa, tres vel paulo plus lata: huic inædificatur ipſum molendinum. Contigua huic alia area eligitur quatuor vel quinque circiter decempedas longa, duas vel tres lata pro ædificatione culinæ, quam *Caſa de caldeiras* vocant Luſitani. Ex hac area poteſt ſumi pro ahenis ſpacium parallelogrammum trium decemped. & ſemis longum, tres, quartas decem-

ped.

ped. latum: reliquum ſpacium diſtribui debet pro formis ſacchareis, ollis cinerariis & lintre aquario, ponendis & pro loco vacuo ad operarum commoditatem.

Alia adhuc domo, quæ non longe diſtet à molendino opus eſt, quam *Caſa de purgar* vocant, quæ decem vel duodecim decempedas longa ut plurimum eſt, tres aut quatuor lata. Molendinum aqua verſatile trium rotarum opera per aquam circumagitur, nimirum habet rotam aquariam dentatam minorem, dentatam majorem, Luſitanis *Roda d'agoa*, *Rodete*, *Bolandeira*. Dentata major duplices radios habet quos *aſpes* & *contrages* vocant. Molendinum bobus verſatile rotis caret & ligna habet ſuperne adfixa oblique deſcendentia quibus jumenta admoventur, ut circumagant molendinum. Conſtat molendinum utrumque tribus axibus craſſis, Luſitan. *Eixos*, factis è duro ligno, arboris *Iacapucaya*. Sunt axes armati ferreis laminis craſſis circularibus annulatis & ſuperius ac inferius habent acus ferreas, quibus in matricibus ferreis trabibus tranſverſalibus pontes vocatis, infixis circumaguntur. Suſtinetur inferior trabs aliis duabus tranſverſalibus *Chumaſſeiros* appellatis. Prope axes in utroque latere tabula eſt ex aſſeribus *(Tavoleira)* ad cannam imponendam, quæ axibus inſeritur pro expreſſione. Vniverſum autem molendinum ſuſtinetur quatuor trabibus grandibus quas *Virgenis da moenda* nominant, ita ut longitudo ipſius molendini ſit circiter duodecim pedum, latitudo octo. In uno ejus latere duo nigritæ adſtant menſæ qui continuo cannam inſerunt axibus, qui exprimendo illam rapiunt ſecum per anguſtam intercapedinem, ita ut ab altero opus ſit uno nigrita qui removeat cannam exſuccam, quam *Bagazo* vocant, quæ per duos alios nigritas foras portatur & in certo loco accumulatur: Cumuli hi poſtea accenduntur, alias immenſæ moles fierent, (ſiquidem quotidie quadraginta aut quinquaginta vehes exprimantur) cinis ſervit ad ſtercorandos agros.

Succus dulcis inter exprimendum exſtillat in lintrem ligneum ſuppoſitum, quem *Coche* vocant, ex illo per canalem effluit in ahenum grande paulo remotum à molendino. Super illo aheno tabulatum eſt altum & in eo alius linter ligneus, in quem ex inferiori per urceos attrahendo derivatur & demum per canalem in ipſam culinam & ahena derivatur. Latex ſacchareus ne unum quidem diem durare poteſt, quin aceſcat, ideo continua opera & expreſſio & coctio ejus fit, cum ex acido ſucco nullum ſaccharum fieri poſſit. Et ſi biduum ſaltem adſervetur, in acetum acerrimum degeneret.

Primum ahenum in quod latex ſacchareus derivatur, Luſitanis appellatur *Caldeira de mear deſcumos*, in quo coquitur lento igne ſemper cochleari magno cupreo, *Eſcumadeiro* dicto, agitando & deſpumando, tamdiu donec ſatis deſpumatus & purgatus ſit: ſpuma autem in lintre ſuppoſito colligitur, *Tanque* dicto, ſicut ipſa *Cachaſſa*; quæ inſervit jumentis in potum; alias foras effunditur utpote nihil niſi excrementum ſucci.

Succus hic ita deſpumatus in alterum vicinum ahenum, *Caldeira de mear* ipſis, transfunditur, in eo denuo fortiori igne coquitur, agitatur, deſpumatur & certis temporis ſpaciis aliquid lixivii inſtillatur, quod unicum remedium eſt purificandi hunc laticem; qui ita purificatus nondum ſaccharum eſt, ſed ſuccus tenuis inſtar aquæ, & tertio aheno, *Caldeira do coar* ipſis, immittitur, & hinc per pannum colatur, quem *Coado uro* vocant: ſpuma, Luſitanis *Eſcumo* in ſecundo aheno detracta adſervatur in vaſe adpoſito quod *Coche deſcumas* vocant, quæ poſtea inter mancipia diſtribuitur, quæ potum exinde conficiunt, quem *Garapa* vocant.

Ex tertio, in quartum vel quintum ahenum tranſmittitur hic latex percolatus, ubi continuo agitatur cochleari magno, & interdum aliquot guttulis aquæ frigidæ refrigeratur. Dein transfunditur in aliud vas cupreum, quod *Barola de meado* vocant, hinc percolatur per pannum, percolatum autem recipit vas, quod *Barola de coado* dicunt; hinc in majora ahena transfertur quæ *Tachas* vocant; & quidem primum vocatur *Tacha de receber*; hinc in aliud quod *Tacha de cozir*, ubi coquitur quantum ſatis: ex hoc in tertium, *Tacha de bater*, ubi non ſolum amplius coquitur, ſed continuo cochleari grandi agitando ſimul in altum projicitur ſuccus, ad viginti pedum etiam altitudinem, ut in ahenum recidat. Succus ita coctus vocatur *Agoa de Tachas*, ex quo Garapa optima fit; nam nil niſi ſaccharum eſt. Demum poſtquam ſatis coctus fuerit tranſfertur in Ahenum quod *Bacia d'eſfriar* vocant, ibi paululum ſinitur refrigerari. Et tunc præparatus eſt ſuccus & aptus ut formis infundatur. Notandum autem quod inter coquendum in ahenis parvis, præfectus operis, quem *Maeſtre d'aſucar* vocant, certis intervallis aliquot guttulas olei olivarum immittit huic ferventi latici, eo fine ne damnum patiatur ab igne illo vehementiſſimo qui his ahenis ſubſtruitur, refrigerationis cauſa; quemadmodum eandem ob cauſam, quum in ahenis grandibus adhuc fervet lixivii guttulæ inſparguntur. Et notatu dignum quod ſi contrarium fieret & ahenis magnis inſpargeretur oleum, parvis lixivium, non ſolum ſuccus non poſſet purgari, ſed & totaliter inutilis fieret ad ſaccharum inde conficiendum.

Saccharum ita ad Syrupi conſiſtentiam redactum cochleari formis terreis, quæ lintri magno imponuntur circumvallatæ canna expreſſa, infunditur, ſpatula lignea ſemper agitando ut ſub-

ut ſubſideat, & plus infundendo ut formæ plenæ fiant. Et notandum quod ſpatula hæc ſumme ſit neceſſaria, nam niſi ita agitaretur, non coagularetur. Ita in formis refrigerando ſe concreſcit, & dehinc deportantur formæ in domum quem vocant *Caſa de purgar*, ubi aſſeribus parallele ſcamnorum figura horizontaliter erectis & rotundis foraminibus pertuſis, imponuntur. Foramen quod forma inferius habet aperitur, ut ultimo ſaccharum purgetur, per exſtillationem ſucci nigricantis, quem mel vocant, qui excipitur certis canaliculis & derivatur in lintrem grandem, quem *Tanque de mel* vocant. Vt autem hæc ultima purgatio fieri poſſit, ſingulæ formæ ſuperius teguntur operculo orbis menſarii figura facto ex limo gryſeo (quem *Barro* vocant) & aqua frigida madefacto, ſine quo remedio numquam albifieret ſaccharum. Non autem aqua ſola, nec limus ſolus id præſtant, ſed utraque juncta: ſeorſim quælibet materia corrumperet ſaccharum. Formarum numerus quotidianus, nimirum quot uno die ſaccharo impleri poſſunt, eſt à viginti ad ſeptuaginta.

Saccharum ſic ſatis purgatum prædicto modo, formis eximitur, quod facile fit invertendo formas & paululum quatiendo, ſic enim integer panis excidit, qui coloris eſt albiſſimi, inferius autem ad partem ex ruffo nigricantis coloris, quæ pars abſcinditur & vocatur illud ſaccharum *maſcovado*. Quamvis interdum reperiantur panes totaliter albi. Sacchari panes deferuntur in tabulatum, in hunc uſum ex aſſeribus ſtructum, baculis pulſando contunduntur, in Sole ſaccharum ſiccatur, ciſtis ligneis imponitur, ligneis tudiculis bene comprimendo, & ciſtæ ita ad ſummum implentur, hinc admoto operculo ferreis clavis firmantur. Quilibet panis Sacchari pendet à 30. ad 42. libras. Ciſta quælibet capit à 20. ad 30. arrobas quarum quælibet eſt 32. librar. Luſitan. ſeu 30. Hollandicarum.

Differentia ſacchari ſecundum bonitatem ſuam quod attinet, duplicem habet cauſam, vel terram ipſam ubi arundo nata eſt, vel præfectum ſacchari, cujus ſcientia & fortuna multum valent ad excellentiam ſacchari.

Furnum quod attinet in quo ignis ſtruitur ad ſacchareum laticem cogendum, ille amplus eſt, & quatuor ut plurimum oſtia habet ampla per quæ ligna injiciuntur, & in eo maxima copia ligni conſumitur. Dies enim noctesque ignis durare debet, quandiu molendinum movetur cannis exprimendis.

Fit & vilior ſpecies ſacchari, quam vocant Panelam; & viliſſima quam Rataon, de quibus nihil auctor obſervavit.

CAP. XVII.

De iiſdem cannis & modo faciendi Saccharum apud Hiſpanos ex Fr. Ximene.

LIcet, inquit, hæ cannæ non ſint propriæ aut domeſticæ Inſularum Canariarum, aut Hiſpaniolæ, multo minus Novæ Hiſpaniæ, ſed omnibus hiſce provinciis advenæ & peregrinæ, quia tamen primo repertæ fuerunt in Inſulis Canariis, non abs re viſum hîc de illis agere, ſiquidem propoſui ſcribere de omnibus plantis quæ uſum in Medicina habent & in hiſce provinciis reperiuntur.

Naſcuntur hæ cannæ locis calidis juxta planis atque editis magnæ Canariæ, in ſolo fæcundo & riguo: ſtudioſiſſime autem colendæ ſunt, & ter quaterve ſingulis octiduis rigandæ: præterea diligenter ſarriendæ & à malignis herbis repurgandæ. Biennio acquirunt juſtam magnitudinem, quæ raro excedit altitudinem duarum ulnarum Hiſpanicarum cum ſemiſſe: plenæ ſunt intus ſolida pulpa, è qua ſaccharum eliquatur: habentque multa internodia ab ipſa radice ad faſtigium, intervallo circiter novem digitorum tranſverſorum: folia ſunt majora & viridiora quam aliarum cannarum: propagantur per taleas earumdum aut per ſtolones terra obrutos: erumpentes vocantur *Plantæ* & ſemel deciſæ erumpunt denuo, adoleſcuntque ſeſqui anni ſpacio in juſtam altitudinem & tunc vocantur *Coca:* & rurſus poſt annum colligunt eas, quæ dicuntur *Recocæ:* quas ſervari convenit ad novam ſementem faciendam; ut ſi forte non ſint ita fertiles cannæ, uti ſaccharum ſufficiens ex iis poſſit educi, ſaltem ſuppetant quarto loco è quibus propagatio fiat. Moluntur porro cannæ machinis (vocant *Ingenios*) aut molendinis, quibus bini ſunt axes grandes ſibi invicem impoſiti, & poſtquam bene fractæ & comminutæ fuerint, valide exprimuntur prelo ad modum torcularis. Liquor autem emanans per canalem defluens excipitur vaſe, quod vocant *Tanque* & transfunditur in ahenum, vulgo *Recevidor*, huic liquori, quem vocant *Mel*, admiſcent duo grandia cochlearia (Bombas ipſis) lixivii fortis ad hunc uſum parati; coquitur dein lento igne, donec vas illud recipiens denuo impleatur, ſecundum magnitudinem aheni: tum ſedulo deſpumatur & mundatur ab omnibus excrementis; & deinceps transfunditur in alia ahena, in quibus tantiſper coquitur donec perpur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

getur, attundendo ſenſim lixivium ut ſpuma ſe elevet. Liquor jam ſpiſſatus ad modum mellis, transfertur in vas percolatorium donec impleatur, & ex illo rurſus in alia tria minora ahena, quæ *Tache* dicuntur, in quibus magis craſſeſcit, eodem quo in cæteris ahenis modo: liquore autem ſenſim conſumente modice augetur ignis. Horum autem trium ahenorum, ſolum tertium verſant & ne nimis efferveſcat & liquor effundatur, ſenſim irrorant butyro aut oleo, aliave pinguedine. Vbi autem juſtam ſpiſſitudinem acquiſivit, traducitur in vaſa alia, quæ dicuntur formæ; paratoque primum ſtrato è cannarum recrementis, vaſa illa humectant aqua, obturantque eorum foramina, induntque in ſingula ſingulas partes liquoris hujus ita ſpiſſati, qui jam dicitur *Melado* (capit autem poſtremum illud vaſculum ut plurimum novem ejuſcemodi formas) agitantes cum grandi ſpatula abiegna, ſenſimque infundentes: poſtero quoque die ſupplentes quantum conſumtum fuerit. Transferunt deinceps formas ad locum purgationi deſtinatum, & foraminibus illarum apertis, perforant ipſum ſaccharum, ſinuntque ita decem aut duodecim diebus pro tempeſtatis ratione: frangunt hinc formas malleo, ſerioque inſpectant an ſaccharum perpurgatum ſit: ſi minus, rurſus indunt in alias formas argilla injunctas: (utilem quippe hanc eſſe ad ſaccharum dealbandum judicio gallinarum compertum ajunt, quæ cum lutoſis pedibus forte ſaccharum calcaſſent & argilla infeciſſent, deprehenſum fuit partes illas lætius candicare, quas contigerat argilla) repetunt autem hanc argillæ inunctionem ſemel iterumque, raro ter, ne nimium ſacchari perdatur. Porro ſaccharum ita plene purgatum vocatur *Lealado* & peculiari nomine *Auzucar macho*; verum ſi minus ſit candidum appellatur *Mazcovado*, quod ſi velis, poterit perpurgari. Eſt & aliud genus quod vocant *ſpumas*, conficitur enim è ſpumis quæ ex omnibus ahenis colliguntur & coquuntur mundanturque in ahenis eo modo & ordine quem ſupra diximus: itemque aliud genus quod nominant *Reeſpumas* ſive poſterius ſaccharum, quod è ſpumarum ſpumis fit ad eundum modum. Eſt & alia ſpecies ſacchari, vocant *Panela*, quæ fit ad eundem modum è liquore melleo qui emanat ex inferiore parte formarum: hæc ſpecies vilior eſt ea quam nominant *Reeſpumam*. Omnes hæ ſpecies ſacchari poſtquam purgatæ & exemtæ fuerint è formis exponuntur ſoli & poſtea ſervantur ad varios uſus.

Eſt & alia ſpecies mellei liquoris, *Decaras* ipſis, qui emanat è formis argilla jam inunctis; itemque tertia quæ deſcendit ex ipſis panelis. Liquor denique melleus qui canalibus adhæret per quos ſaccharum derivatur ut ſupra diximus, ipſis dicitur *Raedura*; è quo faciunt mel aut ſaccharum, quod vocant *Reſinado*. Vaſa & inſtrumenta quorum uſus obtinuit, hæc fere ſunt: *Bombæ* aut cochlearia ænea, quæ capiunt decem aut duodecim ſextarios, ligneis capulis aptata, his transfundunt mella ab uno vaſe in alterum.

Eſpumaderæ, id eſt, laminæ in modum cribri perforatæ, cum ligneis item manubriis, quibus deſpumant. *Remillones* ænea cochlearia quæ capiunt tres quatuorve ſextarios, his lixivium affundunt ſaccharo jam in formis conſtituto in loco purgationis. *Formæ* ſunt vaſa argillacea, inferiori parte perforata, in quibus ſaccharum purgatur. *Tendal* eſt ſtratum è recrementis cannarum, in quo formæ ſtatuuntur. *Virandera* lignum rotundum ferrea cuſpide armatum, quo ſedes idonea formis præparatur, ne evertantur. *Paralbero* grandior olla juxta tachas collocata cui illa ſpecies mellis infunditur quam vocant *Melado*, denuo in tachas refundenda. *Tachas* autem ſunt minora ahena, formæ triangularis, quorum poſtremum habet anſam ut ſaccharum agitari poſſit. *Hornallo* vocant furnum in quo ahena collocantur. *Repartidor* eſt cochlear cum manubrio ſeſquipalmum longo, quo ſaccharum indunt formis: Argilla qua perpurgatur, ipſis *Marcapes*, eſt cretæ ſubluteæ ſpecies & nonnihil plumboſæ, quæ locis humidis & lacuſtribus reperitur, ſiccaturque ad Solem in uſus totius anni: cum vero uſus poſtulat, injiciunt illam in ciſternam è lapide & cæmento conſtructam, aquamque affundunt, agitant verſantque valide grandi pala, ambabus manibus annitentes, percolant dein per cribrum æneum in vas argillaceum. Argilla quæ primo illinitur rarior eſt, quæ ſecundo ſpiſſior, humore jam magis conſumto. Accepi in Provincia *Rio de la Plata* cannas ſacchari ſponte enaſci, adoleſcereque in arboris proceritatem (quod & ſuo ævo accidiſſe narrat Plinius) è quibus æſtu ſolis exſudant quædam pilulæ ſacchari. Atque hæc de modo ſaccharum conficiendi dicta ſunto, quem veteres omnino ignorarunt. *Hæc ille.*

CAP. XVI.

Caraguatæ variæ ſpecies. Iurepeba.

CARAGVATÆ Braſilienſibus, multæ ſunt ſpecies; una jam ſupra lib. I. cap. 18. deſcripta eſt; reliquas huc retulimus, quas Auctor ita deſcripſit.

CARAGVATA planta creſcens in arboribus & putridis Arborum caudicibus. Ex radice filamen-

filamentoſa, ſuper caudice & ramis arborum fundata, proveniunt novem, decem, aut plura folia, ab uno ad quinque pedes longa, & craſſa ut folia *Nanæ:* tres aut quatuor digitos lata & cava inſtar canalis, atque in ambitu dentata aculeis brunnis, acutis, ſurſum erectis.



In medio autem horum foliorum prodit caulis albicans, teres, minimum digitum craſſus, duos circiter pedes longus, lignoſus & medulloſus, ad quem bina & bina capitula poſita, in ſummitate autem plerumque quinque, figura ut cinaræ, magnitudine nucis juglandis ex craſſis atque aculeatis foliolis conſtantia; elegantis coloris incarnati.

CARAGVATA GVACV (quæ eſt major ſpecies) ex ſabuloſa radice, quæ magnitudine, figura & colore plane cepam æmulatur, atque inferius multa habet filamenta; primo aſſurgunt tria, quatuor aut quinque folia craſſa, ſucculenta, viridia, cava, dein proveniunt plura, figuram habentia trianguli acutiſſimi, ſtantque erecta, in orbem adnata, octo, decem, quindecim pedum longitudinem æquantia, pedem lata, in extremitate acuminata & in lateribus verſus inferiora acutis denticulis ruſeſcentibus munita Ex una radice triginta aut quadraginta folia prodeũt.



In medio foliorum, quando Planta biennii ætatem habet aſſurgit caulis ſeu truncus, ſuperioris tibiæ humanæ craſſitie, rectus, ſpongioſus ſeu mollis, hinc inde triangularibus foliis minoribus veſtitus, altitudine circiter octodecim aut viginti pedum, in ſummitate autem explicat tenerum & faſtigiatum truncum inſtar arboris cum ſuis ramis; & rami iterum ramulos habent ac multa conica corpuſcula pene digitum longa, quæ ſeſe aperientia florẽ exhibent. Conſtat ille quinque foliis, magnitudine florum *Ibabiraba* ex viridi flaveſcentibus, ac aliquot ſtaminulis in medio: refert flos figuram ſtellæ: brevi tempore in ſummam altitudinem excreſcit.

Ex foliis hujus plantæ optimus pannus confici poteſt, qui præſtat bonitate panno lineo: ex ſubſtantia conicorum corpuſculorum, antequam in flores abeant, alba filamenta goſſypii æmula

æmula extrahi poſſunt. Radix aut etiam folia hujus plantæ recentia trita ac aquæ injecta piſces ita exanimant ut ſtatim deſuper natent & manu prehendi poſſint.

Plantam juniorem in muſeo meo diu ſuſpenſam habui, quæ nova produxit folia ad parietem. Lignum Caraguatâ guacû ſiccatum inſtar funiculi ſulfurati ardet; ex eo ignis elici poteſt duriore ligno applicato.

Caraguatâ acangâ, folia è terra protrudit ſeptem aut novem pedes longa, ſeſquidigitum lata, inſtar canalis cava, læte viridia & prope exortum ungues habentia miniatos, craſſa, in extremitate acuminata, duorum circiter digitorum intervallo per ambitum aculeis munita; E medio foliorum proxime ad terram multi flores juxta ſe in orbem poſiti proveniunt ex cæruleo purpurei & in medio alba ſtamina habentes: quilibet flos digitum longus conſtat tribus foliis. Fructum fert edulem, quinque digitos longum.

ANNOTATIO. Operæpretium me facturum exiſtimavi ſi harum plantarum deſcriptionem è Fr. Ximene, qui illas inter Herbas recenſet, accerſerem.

Metl, inquit, quæ Mexicanis dicitur *Maguey*, plures reperiuntur ſpecies, quas ordine deſcribam. Prima fert folia ſimilia Aloës, &c. nam de ea egimus lib. I.

Maguey lutea, quam vocant *Mecoztli*, &c. eſt alia ſpecies, cujus folia ad oras ſunt lutea, & ſpinæ minores ac nigræ, folia item minora ſi cum præcedentis foliis comparentur: caulis illius duos cubitos eſt altus & digitum craſſus & roſſus; flos cyanens vergens ad rubedinem, qui enaſcitur è faſtigio caulis: radix eſt ſurculoſa. Naſcitur locis planis in campeſtribus Mexico, quovis tempore, licet æſtate tantum floreat: propagatur è ſurculis qui prodeunt juxta caulem. Decoctum trium aut quatuor foliorum, cum totidem ſiliquis chiles, blande expellit per ſedes, & urinam, omnimodos humores craſſos & frigidos: Medici barbari ſolent idem exhibere puerperis aliquot diebus poſt partum, ad corroborandum & novum vigorem addendum. Vinum è foliis medio aſſis expreſſum, prodeſt aſthmaticis, uti ferunt. Planta qualitate eſt frigida & lubrica.

Tertia ſpecies Metl eſt valde parva & admodum ſpinoſa & obſcuriſſime virens; ejus folia manducantur aſſa, ſuntque longe gratiora palato quam cætera; Barbari vocant Mexcalmetl. Naſcitur maxima copia in montanis *Tepuſtlan*. *Mexocotl* hæc quoque ſpinoſa planta ad ſpecies *Maguey* eſt referenda, quæ fert fructum ex acido dulcem, ſimilem prunis (unde illi nomen inditum) rotundum & quodammodo parem fructui quem in America vocant Pinnam, aliquando & major eſt, plenus ſucci edulis & grati ſaporis: folia illius ſunt ſimilia *Maguey* aut aliquo modo plantæ quæ fert *pinnam*, ſpinoſa, ruffa & quaſi marcida: caulis probe rotundus & craſſus: radix craſſa & fibroſa: pruna ſunt candida, ſimilia glandibus, è candido vergentia ad rubedinem, telis aut tunicis quibuſdam cooperta, ſub quibus latet caro, ut diximus, acido-dulcis, ſapore *pinnarum*, plena ſemine rotundo & duro: quod primo album, mox nigreſcit. Naſcitur locis petroſis regionum calidarum, uti Tepea pulco. Eſt frigida & ſicca: fructus contuſus & ore circumgeſtatus, curat fiſſuras è calore natas.



Nequametl quaſi dicas plantam quæ bibit mel, eſt ſpecies *Maguey*, reliquis ſui generis plantis ſimilis forma & qualitatibus, peregrina & rara: producit autem folia paulo craſſiora digito tranſverſo, ad oras aſpera uſque ad mucronem qui acutiſſimus: caulis illius æquat brachii humani craſſitiem, cujus faſtigium occupat fructus oblongus figura exigui pyri qui & caulem ambit per omnes partes. Naſcitur in regionibus calidis.

ANNOTATIO. Non dubito quin hæc ſit illa planta, quam in Hiſtoria noſtra Americæ deſcripſi lib. XVII. cap. VII. Cujus ibidem dedimus Iconem, quam acceperamus ab Amico reduce ex inſula *Tabago*. Affirmabat autem ille hanc plantam ſemeſtri ſpacio caulem emittere interdum triginta palmos altum, in cujus ſummitate naſcuntur fructus, figurá pyris haud diſſimiles; ajunt folia illius vicem ſaponis quam optime explere. Iconem hic addo.

Repe-

Reperiuntur (inquit Fr. Ximenes) & plures ſpecies *Maguey*, quarum nomina & nonnullas differentias recenſebimus, nam cætera tam forma quam qualitatibus conveniunt cum præcedentibus. Primam vocant *Mexoxoctli* aut Maguey viridem; ſecundam à cinereo colore *Nexmetl*: tertiam *Quautimetl* ſeu Maguey montenſem, caule oblongo & craſſo, radice fibroſa, cætera reliquis ſimilem: quartam *Huitzitzilmetl* cum longis aculeis & rubicundis & radicibus ejuſdem coloris: quintam *Tepeametl* aut Maguey *Tapayaxin* præcedenti pene ſimilem: ſextam *Acametl* aut Maguey cannarum, cujus radix candida eſt & ſpinæ roſſæ: ſeptimam vocant Maguey nigram à colore, licet ſpina & radices è nigro vergant ad fulvum: octavam *Xilometl* aut Maguey piloſam, cujus ſpinæ & radices ſunt rubicundæ: atque hæc eſt omnium rariſſima.

Tepemexcatli ſeu Maguey montana, eadem eſt forma cum Maguey, niſi quod ſpinæ illius ſunt minores & teneriores. Reſtituit hæc planta movendi facultatem membris convulſis aut aliquod detrimentum nervorum paſſis. Naſcitur locis petroſis & montanis regionum calidarum ut Tepuztlan.

Tlacametl alia ſpecies Maguey luteæ, hæc accepit nomen à magnitudine, cætera reliquis ſpeciebus ſimilis, tam forma quam qualitatibus; particulariter tamen reſtituit vires & vigorem fæminis debilitatis, & iis, qui vano metu terrentur: aut quæ ſyncopen patiuntur.

Teometl ſeu Maguey divina; inter ſpecies Maguey hæc quoque planta recenſetur, quam vocant *Teometl*, id eſt, Dei Maguey, cætera præcedentibus haud diſſimilis forma & facultatibus: radice longa & fibroſa, ſpinis ſubtilibus, foliis bipalmaribus. Succus illius hauſtus aut foras applicatus ſanat febricitantes. Naſcitur in regionibus calidis & frigidis, locis editis & planis.

Pati ſive Maguey leniſſima (*pati* enim ſonat tenuem & ſubtilem) valde ſimilis eſt Maguey, verum folia illius ſunt anguſtiora, minora, tenuiora, & maximam partem vergunt ad purpureum colorem: radix eſt groſſa & fibroſa: eſt ſpecies plantæ è qua *Pita* eximitur, nam ex hac tenuiſſima & elegantiſſima fiunt fila, quæ fœminæ Mexicanæ maximi faciunt & ad varia opera uſurpant. *Quetzal ichtli*, quam alii vocant *Metlpita* aut *Maguey de pita*, omnino videtur referenda ad ſpecies Maguey, licet in proceritatem arboris adoleſcat. Radix illius eſt craſſa & fibroſa, ſenſimque attenuatur. Folia ſunt ſpinoſa ſimilia Maguey. Vtuntur hac planta indigenæ ad eadem omnia, quæ Maguey; niſi quod pannus è filis hujus textus ſubtilior & majoris pretii. Naſcitur in regionibus fervidis uti *Aquæchula*.



Xolometl, id eſt, Maguey cervi, eſt alia ſpecies Maguey, quæ agit radicem munitam tribus veluti orbiculis conjunctis, cum quibuſdam fibris miniatis; è quibus ſaliunt folia, raris & rubris ſpinis à media parte ad acumen obſita. Succus è foliis expreſſus quantitate decem unciarum, lenit dolores totius corporis, præſertim juncturarum; reſtaurat & reſtituit movendi facultatem; verum neceſſe eſt corpus diligenter tegi & muniri dum hæc potio uſurpatur. Naſcitur in Huexocingo juxta fontes & ſcaturigines aquarum.

IVREPEBA Braſilienſibus; planta fruticeſcens; quæ in quatuor, quinque aut ſex pedum altitudinem aſſurgit; caule lignoſo, eoque ut & ramis alba lanugine veſtitis, nec non raris hinc & inde ſpinis. Folia ſuo quodlibet pediculo, rotundo, tereti, craſſo & hirſuto inſident, ſpithamæ longitudine, inferna parte lanuginoſum inſtar foliorum Iacobeæ aut Eleny, ſuperna viride: ſuntque præterea laciniata & quaſi è ſeptem triangulis compoſita. In ſummitate ramulorum fert floſculos umbellatim quaſi congeſtos, lactei coloris cum pauco cæruleo mixti, qui exacte quinquangularem ſtellam repræſentant, conſtantque unico folio in tot triangula effigiato & quaſi diviſo; in medio autem quaſi quinque ſtaminula ſtant erecta.

Folia Jurepebæ quæ nullos habent aculeos ad ulcera crurum ſananda vulgo uſurpantur. *Eſt & altera Iurepeba brava, id eſt, ſilveſtris, de qua alibi dictum reperies.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GEORGI MARCGRAVI

HISTORIÆ PLANTARVM

LIBER TERTIVS,

Qui agit de Arboribus.

CAPVT PRIMVM.

Aroeira. Ambaiba. Ianipaba.

AROEIRA Luſitanis, Lentiſcus Latinis. Arbor foliis Ibabiraba, ſed paulo minoribus. Rami multos ramulos, circiter duos digitos longos habent, & in iis quinque aut ſeptem folia, bina & bina oppoſita, & quintum aut ſeptimum in extremitate: ad cujuſlibet autem ramuli exortum, brevior eſt ramulus circiter ſeſquidigitum longus, plenus floſculis minimis, conſtantibus quinque foliolis acutis, ex albo ſubluteis. Flores hos ſequitur fructus, nimirum quaſi uva, baccis plena, magnitudine piperis, initio quidem viridibus, per maturitatem autem rubris: ſed rubedo illa in ſolo cortice tenui, qui ſponte ſe abſolvit & decidit grano excidente: granum autem quod pellicula continetur, rotundum & compreſſum ac oleaginoſum, odoris jucundi inſtar fœniculi recentis triti, & in ſe nucleum parvum lenta cuticula tectum continens.



Folia recentia trita reſinoſum ſpirant odorem, gratiorem terebinthina.

Baccæ matureſcunt menſe Julio. Convenit cum Molle ſive Lentiſco Peruviana Car. Cluſii.

ANNOTATIO.

Fr. Ximenes. Molle Arbor eſt grandis, pulchra & ramoſa: rami illius ſunt coloris viridis vergentis ad purpureum; folia oleæ foliis ſimilia, ſed anguſtiora & teneriora; ſerrataque, ad utrumque ramuli latus velut per ordinem diſpoſita.

Flores eleganter candidi & racematim penduli, qui quantocius convertuntur in fructus, ſimiles oxyacanthæ acinis, ſed paulo majores & ubi maturuerint clare rubentes: caro illorum dulcis cum quadam acrimonia, nucleus admodum durus & oſſeus. Folia & fructus redolent lentiſcum & illius gummi, obtinentque ſaporem qui ad fœniculum accedit; quare forte quibuſdam Lentiſci ſpecies videbitur, ſed eſt arbor ſui generis. Silveſtris eſt arbor, licet jam dudum à multis in hortis colatur. facillime enim propagatur ſive è ſemine ſive ſtolonibus & in quocunque ſolo. Exudat certam lachrymam, quæ non minus quam truncus & folia, redolet Lentiſcum. Saporis acris & ſuavis cum quadam amaritudine & adſtringendi facultate: calida eſt & ſicca pene in tertio gradu: nucleus corroborat cerebrum & ventriculum, adſtringit alvum: ut quidam autumant, lachryma præſtat uſum Terebinthinæ; & fructus Cardamomi: movet urinam, diſcutit flatus, ſiccat humores ſuperfluos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Folia maſticata ſtabiliunt gingivas & dentes: ſanant vulnera; idem poſſunt & fructus. *Hæc ille.* Ramulum quem ſupra damus exprimendum curaverat Clar. V. Car. Cluſius qui videndus in Curis poſterioribus & alibi. Meminit & hujus arboris Petrus de Cieca. Toto, inquit, hoc tractu conſpiciuntur magnæ & parvæ arbores, quas Incolæ appellant *Molle*; folia habent minuta, odore fæniculi, cortice adeo commendato, ut ejus decocto crurum dolores & inflationes ſumma cum utilitate foveantur: ex ramulis fiunt dentiſcalpia utiliſſima. Ex hujus fructu decocto in aqua, pro cocturæ modo, fit aut vinum ſive potio admodum bona, aut mel, aut acetum: tantoque in pretio ſunt hæ arbores apud Americanos, ut quibuſdam locis eas ſuis idolis conſecrent. Addunt nonnulli (inquit Cluſius) ejus arboris foliorum decoctum doloribus è frigida cauſa ortis auxilio eſſe: iſtius vero gummi, quod mannæ modo candidum eſt, lacte diſſolutum, oculorum caliginem abſtergere.

Audiamus & *Garcilaſſum*: Arbor Mulli, inquit, ſponte naſcitur in campis, dat fructus in racemis longis & anguſtis, qui ſunt granula quædam rotunda: folia ſunt minuta & ſemper viridia: granum maturum habet in ſuperficie parum admodum carnis, ſuavis & palato gratæ, reliquum amaricat egregie. Conficiunt ex iis potionem confricando blande inter manus in aqua calida, donec dulcor omnis defricetur; cavendum enim ab amaro quod potum corrumpit. Percolant hanc aquam, ſervantque aliquot dies donec feces ſubſideant: potus eſt limpidus, gratiſſimus atque adeo ſalubris, preſertim illis qui affectibus renum aut veſicæ laborant; maxime ſi potus Maizy adjiciatur. Aqua eadem plenius cocta vectitur in optimum mel: & ſoli expoſita, additis neſcio quibus rebus, in præſtans acetum.



AMBAIBA Braſilienſibus: Arbor hæc elegantem nanciſcitur altitudinem & fere rectam, ut plurimum & ſine ramis; quædam & ramos habent, ſed in ſummitate tantum. Cortex exterior ſimilis ficui, conſtans primo cortice tenui, cinereo & ſub eo, craſſo, lento ac viridi: lignum ejus album inſtar Betulæ, verum molle & quod facile poteſt ſcindi. Caudex mediocris craſſitiei, & totus intus cavus à radice ad ſummum uſque, & cavitas illa per interſtitia ſemidigiti ubique diſtincta eſt tranſverſali membrana, in cujus medio foramen rotundum, magnitudine piſi. In hac cavitate reperiuntur ſemper formicæ rubræ, ipſa coloris eſt hepatici. Verſus ſummitatem folia circumpoſita ut in Mamoeira, quodlibet innitens ſuo pediculo ſatis craſſo, unam, duos & plures pedes longo, exterius ruffo, interius ſpongioſo: ipſum folium latum, rotundum, magnitudine integri folii chartæ expanſi, aut etiam majus, in novem aut decem lacinias ſectum, quarum centro infixus pediculus, à quo per ſingulas lacinias nervus ruffus tendit per longitudinem & venæ eminentes per obliquum: ſuperius ſunt ſaturate viridia & inferius cinerea & videntur colorem in toto habere, qualem ſanguis cum aqua mixtus, hiſpida ut folia ficus: in extremitate laciniarum linea cinerea ſunt fimbriata. In ſummitate arboris cavitas continet medullam albam, ſucculentam & pinguem, qua Nigritæ vulnera ſua feliciter curant, ut & foliis junioribus, & certe ſignatura hoc monſtrat.

Incrementum autem ſumit arbor hoc modo: in ſummitate arboris exiſtit theca oblonga, foliacea, incana, quæ continet in ſe unum folium, & duos, tres vel quatuor minores thecas. Exteriore theca ſe aperiente arbor folio augetur & ſenſim fit altior, folium autem hoc in theca adhuc abſconditum, orbis menſalis amplitudinem habet, cum theca natura ſua aperitur; egregie complicatum reconditum jacet, & quod jucundiſſimum ſpectaculum, novum illud folium plane incanum eſt inferius ac dilute viride, ſuperius plane rubrum ut aluta prutenica &

eo modo ſplendens. In centro autem folii, ubi pediculus inſeritur, in ſuperiori ſuperficie ſeu ſtella rubra, è viridi ſubflava conſpicitur, nimirum quaſi centrum omnium nervorum dilute virentium & ſubflaveſcentium, qui per omnes lacinias ſecundum longitudinem extenduntur Exteriore theca aperta reliquæ minores ſucceſſive ſe aperiunt & ſimilia folia exhibent. Flores prodeunt hoc modo: in brevi pediculo, ex caudice ſuperiori, ubi folia ſtant, enaſcuntur quatuor aut quinque, juxta ſependentia, farciminum inſtar, cylindracea corpora, ſex, ſeptem aut novem digitos longa, pollicem humanum craſſa, intus cava, & conſtantia goſſypio, mollia, exterius autem acinis brunni coloris ut flores ſiliginis noſtratis; his decidentibus acini illi augentur, ac fiunt coloris *(quem Auctor non appoſuit)* dentibus detrahuntur, ac commeduntur. Cito admodum hæ arbores in eximiam altitudinem aſcendunt. Plantavi ſeu tranſplantavi unam in hortum meum, vix ſemipedem longam ac tenellam menſe Auguſto anni 1639. & annuo ſpacio excrevit in decem pedum altitudinem & craſſitiem novem digitorum.

Ignem ſine pyrite & chalybe ita eliciunt Braſilienſes: fruſtum ligni aut potius radicis hujus arboris ſumunt exſiccatum, in eo faciunt foraminulum, huic immittunt bacillum faſtigatum ex duro aliquo ligno & quaſi terebrando circumagunt, pedibus fruſtum illud immotum tenentes, ac applicantes folia ſicca arborum ſeu goſſypium, ſic eliciunt ignem prout libet & ubique focum poſſunt ſtruere.

Ambaitinga ſpecies Ambaibæ, arbor eodem modo creſcens, & ſimilia habens folia, niſi quod ſuperius ſaturate, inferius dilute viridia ſunt: non fert fructum.



IANIPABA Braſilienſibus, ſeu ut Luſitani efferunt *Ienipapo:* figura convenit Fago; corticem habet gryſeum ſeu canum; lignum fragile & medulloſum: Rami frondibus veſtiti oblongis linguæ bubulæ figura, ſed in utraque parte faſtigiata, ſex, ſeptem, octo, aut novem juxta ſe diſpoſita, unum aut etiam ſeſquipedem longa, ſuperius ſplendentia ac dilute virentia, inferius ſaturatius & non ſplendentia. Florem fert Narciſſi æmulum, ejuſdem magnitudinis, quinque foliis conſtantem, deorſum inclinatis, albis, interius unguibus flavis: in medio ſtamen craſſiuſculum flavum & inter ſingula bina folia corniculum pallidum ex medio floris prodiens, deorſum incurvatum; odorem Caryophylli Carthuſianorum ex parte æmulatur.

Floret Martio & Aprili.

Fructus eſt magnitudine mali aurantii aut etiam major, rotundus, cortice lento, cinereo, ſub quo primum continet carnem ſolidam, lentam, ſucculentam, flaveſcentem, ſaporis acidi & refrigerantis, vinoſo-acidi, grati odoris, ex qua vinum exprimitur: in medio cavitas eſt repleta ſeminibus, quæ molliori pulpa ſunt circumdata ejuſdem ſaporis: ſeminis grana compreſſa, ſuborbicularia fere ut in Mangaba, quæ una comeduntur. Immaturus fructus conciſus & cuti affricatus tingit colore ex nigro ſubcæruleſcenti, qui nullo modo ablui poteſt, ſed poſt octo aut novem dies ſponte evaneſcit. Lignum ſeu ramus decerptus eodem modo tingit. Naſcitur paſſim in ſilveſtribus locis, ad flumen S. Franciſci haud longe à fluvio Mboacica, ubi maximum fructum fert nec uſquam meliores reperiuntur.

ANNOTATIO. Hæc Arbor in Nova Hiſpania appellatur *Xahuali*; de qua ita Fr. Ximenes. *Xahuali* pulcherrima eſt arbor, è cujus ligno elegantes haſtas, longas juxta & robuſtas ſolent facere: folia fert ſimilia fraxineis: materies illius eſt gravis, pardi coloris vergentis ad fulvum: edit fructum ſimilem capitello Papaveris, abſque corona tamen: quem maturum non-

nonnulli manducant. Americani autem exprimunt ex illo aquam, qua crura & quandoque totum corpus abluunt, quando præ laſſitudine caro flacceſcit, ad corroborandum illam & uniendam: nam propria illius vis eſt adſtringere atque reſtringere, atque adeo nigro colore tingere: Cutis enim quæ abluta fuerit iſto liquore ſenſim tingitur nigro colore, qui nonnullis, poſt quindecim dies ſponte evaneſcit; ungues autem nunquam colorem mutant niſi cum ipſi mutantur. Barbari in ſympoſiis ſuis & cum ad bellum gerendum domo proficiſcuntur, ſolent ſe hoc liquore inficere ut terribiliores hoſtibus videantur. Fit interdum & fraus mulieribus, ſi liquor hic cum aqua roſacea aut alia miſceatur, qua faciem abluunt; & fruſtra adhibentur remedia, quum mora quindecim dierum ſit toleranda. Vide quæ diximus in Americæ deſcriptione lib. I. cap. XI. de Xagua arbore ex Oviedo.

CAP. II.

Araticu ſpecies. Acaiaiba.

ARATICV Braſilienſibus: Arbor triplex eſt, *Araticu ponhe*, *Araticu panâ*, *Araticu ape*, datur etiam *Araticu do mato*, id eſt, ſilveſtris.



Araticu ponhe, Arbor eſt, caudicis & ramorum figura ac colore corticis ut malus Aurantia; ſed foliis, flore & fructu differens. Folia habet circiter ſemipedem longa, alternatim oppoſita, elegantia, ſuperius ſaturate viridia, craſſa & ad tactum ſolida, pene duos digitos lata, linguæ humanæ figurâ, & in extremitate acuminata. Hinc inde flos provenit magnus, egregius, magnitudine ſuperans florem Fritillariæ, totus flavus, exterius compoſitus è tribus foliis cordiformibus, ſeſquidigitum longis, & craſſis inſtar corticis aurantii mali, erectis, quæ in ſui medio continent alia tria minora & dimidiæ craſſitiei, quorum quodlibet ſemiglobum excavatum refert, tria autem hæc ita compoſita & extremitatibus ſibi impoſita ſunt, ut globum integrum interius cavum, & magnitudine Iuglandis referant: globus hic in cavitate ſua ſtamen habet globoſum, magnitudine avellanæ, luteum, & in ſtamine apicem parvulum rotundum: ſunt autem & ſtamen & apex tuberculis exiguis luteis prædita, quæ videntur ut pori in cute hominis algentis.

Flos, dico, totus flavus, odoris ſuavis ſed nauſeabundi. Floret potiſſimum menſibus Septembri, Octobri & Novembri. Flos deciduus, ſingulis enim diebus multi ſe aperiunt, & poſt aliquot horas ſponte decidunt, ſtrepitum excitantes inter cadendum, quaſi aliquis baculo feriret arborem, gravis enim eſt flos & grandis. Florem ſequitur fructus qui maturatur præſertim Decembri & Ianuario.

Non eſt autem edulis niſi ſponte decidat, tunc enim inſtar pultis eſt mollis; eſt autem figuræ turbinatæ, quatuor aut quinque digitos longus, ubi pediculo adhæſit ſeptem aut octo digitos craſſus in ambitu: externe coloris eſt ex albo & viridi mixti, vel plane pallide virens, & videtur quaſi çutis è ſquamis compoſita eſſet, ita enim lineis viridibus pallide virentes ſquamæ delineatæ ſunt & quælibet harum ſquamarum habet tuberculum in medio exiguum; fuſcum, ita ut nucem pineam fere repræſentet. Mollis eſt dum ſponte decidit, ita ut inſtar caſei veteris putridi digitis decorticari poſſit. Continet carnem ſive pulpam ſubflavam quæ quaſi

ex pyramidibus videtur compoſita, filamentis quibuſdam intermixta & multis nucleis ſeu ſeminibus. Pulpa odore non male refert maſſam panis fermentatam, cui aliquid mellis admixtum: ſaporis ex dulci ſubacidi & ſubacris eſt, mihi ingrati, ſed odor gratus. Eo loco ubi pediculo inſedit fructus, durioris carnis corpus, ſuppoſitorii figura, in ſe continet, quod ſeorſim extrahi poteſt, quod comeditur & pro lautiſſima buccella offertur principaliori in menſa. Semina fructus ſunt ovalis figuræ, compreſſa, magnitudine fabæ, glabra ac dura, coloris flaveſcentis, ſplendentis: quodlibet pellicula alba obductum; intus eſt nucleus albus duræ ſubſtantiæ, ſapore non male referens radicem Heleny, ita enim in dulci amareſcit.

Folia Araticu communis igne aduſta & cum oleo apoſtemati impoſita maturare faciunt, aperiunt & optime ſanant.

ANNOTATIO. Haud male convenit cum Guanabano arbore, quam Oviedus lib. VIII. cap. 17. ita deſcribit: *Guanabanus* procera eſt arbor & formoſa, folia ejus Medicæ mali, quam *Limoneram* vocant, virenti: fructu pulcherrimo, mediocris Melonis magnitudine, qui tamen interdum in capitis infantis craſſitudinem excreſcit. Cortex huic fructui viridis & qui certis quibuſdam ſquamis diſtinctus videtur, ut ſtrobylus, lenioribus tamen, neque ita tumentibus, quandoquidem totus cortex tenuis neque craſſior quam in pyris. Caro candidiſſima, ſaporiſque delicatiſſimi, quæ facile in ore inſtar cremoris lactis diſſolvitur. Per ejus carnem ſparſa ſunt ſemina magna, cucurbitarum ſeminibus aliquanto majora & nigricantia. Frigidus eſt hic fructus & per æſtus utilis. Nam etſi quis integrum Guanabanum devoret, nullum inde ſentiet nocumentum. Infirma eſt ligni materies. *Hæc Oviedus.*

Araticu pana, in arborem excreſcit haud grandem, ramis Araticu ponhe ſimilibus, ſed folia nonnihil differunt & longe ſunt minora, tres aut quatuor digitos longa, ſeſquidigitum lata, figura ut folia noſtratis pyri. Flos ejuſdem figuræ & totidem foliis conſtans quot Araricu ponhe; ſed minor eſt & in totum luteus, ſed omnia ſex folia ad internam partem ſanguinei ſunt coloris, cætera in totum lutei; nimirum ungues habent ſanguineos. Florem ſequitur fructus figura & conſiſtentia ſimilis priori, per maturitatem flavus (alias viridis) ſed minor, pulpam continens auream, odoris ut caſeus putridus & multos nucleos habens ex flavo albicantes, ejuſdem cum priori magnitudinis. Fructus propter frigidam ſuam qualitatem eſt venenatus. Profunde autem radices agit hæc arbor, amplas, craſſiſſimas, longas, ligno levi inſtar Suberis, ex quibus clypei formantur,leves enim ſunt nec ſagittæ aut gladiorum ictus penetrare poſſunt.

Semen *Araticu ape* figura & magnitudine convenit cum Ponhe ſemine, colore tantum differens; eſt enim coloris obſcure brunni.

Araticu do mato excreſcit ut Panâ & talia fert folia. Flores *credo differre, ſed nihil certi auſim affirmare quia Auctor hic lacunam reliquit.*

Fert fructus congeſtos,oblongos, cæpæ junioris oblongæ figura, virides,qui interius ſinguli duo habent ſemina amygdalæ figura & magnitudine, at in una extremitate acutiora, coloris coracini, ſplendentia, in quibus nucleus.

ACAIAIBA & *Acaiuiba* Braſilienſibus, cujus fructus *Acaiû* & vulgo Cajû appellatur, aſſurgit in Fagi altitudinem & late ſe ſpargit multis ramis, etiam humi; Folia illius ſunt egregia, lata, verſus pediculum faſtigiata, anteriori parte rotunda, nervo & inſignibus venis prædita. Floſculos fert umbellatim, octo, novem, decem juxta ſe poſitos, & in una umbella ad centum uſque conjunctos: cum primum erumpunt ſunt candidi, deinde obducuntur incarnatis ſtriis, odoris ſuaviſſimi, inſtar Lilii convallium: quilibet conſtat quinque foliolis anguſtis, acuminatis, deorſum incarnatis ut in flore Aurantiæ, in medio autem habet ſtaminulum unicum cum parvo capitello. Poſt florem primo prodit caſtanea renis figura (*cujus iconem videre eſt in deſcriptione Americæ*) qua incrementum capiente inter illam & pediculum paulatim excreſcit pomum oblongum, ovale aut etiam rotundum, quod maturum conſtat carne ſpongioſa, fibroſa ac lenta & abundat ſucco dulci acido adſtringente: exterius autem cutis ejus flaveſcit vel partim rufeſcit, vel etiam tota eſt ruffa vel rubra: in quibuſdam enim arboribus fructus ruber eſt & rotundus & cæteris acidior: in quibuſdam oblongus & flavus; in quibuſdam rotundus & flavus: ſuccus autem admodum maculat linteamina ferrugineo colore, qui elui non poteſt donec arbores iterum floreant. Caſtanea, ut dixi, renis ovilli figuram habet, tecta cortice cinereo, craſſo & intus ſpongioſo, qui oleum in ſe continet acre & mordicans, ita ut cuti etiam leviter illitum ignis modo urat, & ſi quis incautus dentibus comminuat ita labia & linguam exurit ut magno dolore afficiantur: nucleus quoque renis figuram habet, albus, cuticula flava veſtitus, quæ ſeparanda: optime ſapit toſtus & antecellit longe caſtaneas. Poſſunt aliquot annis incorrupti conſervari: uruntur igne ut oleum in cortice abſumatur; hinc malleo contunduntur & nuclei eximuntur & comeduntur. Braſilienſes majoris faciunt caſtaneam ad cibum quam pomum: ex pomo autem exprimunt vinum: contundunt quippe in

morta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

mortario ligneo & percolant liquorem, vel etiam ſolis manibus exprimunt, ſinuntque ſub-



ſidere: recens hic liquor albicat inſtar lactis, poſt aliquot dies fit pallidior: ſaporis eſt adſtringentis, fortis & inebrians. Repoſitus vero ſemeſtri ſpacio degenerat in acetum, vinoſo ſapore in aceto adhuc perceptibili. Florere incipit circa finem menſis Auguſti, maxime autem floret Septembri, & hinc flagrantiſſimum ſpirat odorem per ſilvas & campos. Quando multum pluit menſe Auguſto & Septembri, pereunt flores & pauci fructus naſcuntur, ut factum anno CIↃ IↃ CXL. Novembri & Decembri, imo & Januario adhuc floret: Decembri & Januario ma-





xima eſt copia fructuum maturorum: Pluvioſis menſibus triſtes ſunt hæ arbores aſpectu; tunc enim folia flava, rutila & pallida fiunt, & maximam partem decidunt, novis ſubnaſcentibus: quæ in quibuſdam arboribus elegantis ex brunno ruffi ſunt coloris, aſpectu grata; hinc læte viridia evadunt. Arbor hæc vulnerata fundit gummi pellucidum, conſiſtentia & colore plane ſimile optimo gummi Arabico, in cujus locum & ſubſtituitur. Braſilienſes annos ætatis ſuæ per caſtaneas Cajû computant, ſingulis annis unam recondentes. Caſtaneam autem vocant *Acaguacaya* & *Acajuti* & *Itimaboera*. Ex Ligno varia fiunt, eſt enim durum: uſurpatur in ſtructura ſcapharum majorum quas *chalupas* vocant, ad ſuſtentacula illa curva quæ baſis ſcaphæ ſunt.

Non ſingulis annis æque eximius proventus hujus fructus, nam interdum certæ pluviæ cadunt, quæ caſtaneas purgant de flore & vocantur à Braſilienſibus *Acajuacaipiracoba*.

Cap.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. III.

Caa-opia. Mundubiguacu, ſeu Pinhones. Caaguacuba. Iperoba.

CAA-OPIA Braſilienſibus, Arbor eſt haud magna; cortice è cinereo ruſeſcenti, ſtriis brunnis: ligno lento; in multos ramos ſe ſpargens. Folia habet ſolida, inferius ex viridi quaſi ruſeſcentia, ſuperius dilute viridia & ſplendentia. Florum illius in umbellis congeſtorum exordia ſunt globuli brunni, magnitudine lentis, qui ſuccedente tempore protrudunt flores, quinque foliolis conſtantes, ex viridi flaveſcentes, interius tomento albo veſtitos & ſtaminibus ſubtilibus luteis refertos. Floribus ſuccedunt baccæ, primo virides, ceraſi magnitudine, rotundæ, molli cortice tectæ, quæ diſſectę ex cortice ſuo liquoris aliquid eleganter flavi exſudant, intra corticem autem continetur pulpa alba, conſtans meris cylindris, juxta ſe poſitis, qui invicem adhærent. In extremitate ramorum qui flores ferunt, ſemper duo folia acuminata brunni coloris compacta ſunt & quaſi ſemiglutinata & haſtam ſeu venabulum figura referunt: quæ decerpta è pediculo ſuccum emittunt croceum.



Floret potiſſimum menſibus Novembri & Decembri: Ianuario & Februario maturæ ſunt baccæ. Si cortex hujus arboris medius incidatur, præſertim quando incipit florere, & linquatur per unum atque alterum diem, ex ſudat lachrymam croceo-rubram quæ coagulatur, initio mollis, ſed ſenſim indureſcit. Convenit colore & conſiſtentia cum Guttajemi & purgat eodem modo atque diſſolvitur, eſt ruffioris paulo coloris, crocei fere & tingit colore aureo paulo ſaturatius: diſſolvitur in ſpiritu vini. Luſitani vocant *Goma lacra.*

MVNDVBIGVACV Braſilienſibus, *Pinhones* Luſitanis, mihi *Nux cathartica*. Arbor eſt in Ficus magnitudinem & figuram excreſcens, ligno molli & fragili. Folia habet circa ramos inordinate poſita, quodlibet ſuo pediculo ſemipedem longo inſiſtens: ſuntque viridia, ad tactum mollia, foliis Ficus aliquo modo ſimilia, ſed non ita profunde ſecta, verum ſubrotunda & anterius quaſi in tres angulos deſinentia. Lignum & folia fundunt è lacteo aquoſum ſuccum. Floſculos fert copioſos racematim, parvos, quinque foliis conſtantes viridibus anterius, deorſum incurvatis, in medio flavis ſtaminulis, quæ decangularem ſtellam referunt, ſubdulcis odoris. Sequitur hos fructus turbinatæ figuræ ſeu inſtar juglandis mediocris & ejuſdem magnitudinis, primo viridis, mox flavus, ubi plene maturuit fuſcus ſive



niger; finditur ſponte in tres partes, quamvis ſex partibus conſtet; in quolibet fructu ſunt tres nuclei magnitudine nucleorum dactylorum, in tribus concamerationibus diſtincti, cortice nigro,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

nigro, corticis caſtaneæ craſſitie, & in extremitate ſunt maculæ albæ: ipſe nucleus amygdalæ figura & magnitudine, albus inſtar cuticulæ ovi, exterius etiam pellicula alba obductus, dulcis ſaporis inſtar amygdalæ. Valide purgant tres aut quatuor nuclei comeſti & quidem nimis, ſi pellicula interior non ſeparetur; ideo ſemper adimenda. Arbor facile tranſplantatur: nam ramus deciſus & terræ infixus aliam arborem progenerat; ideo ad ſepes vivas faciendas circum hortos uſurpatur, nam cito creſcunt & fructus ferunt.

Annotatio. Hæc Arbor in Nova Hiſpania à Mexicanis vocatur *Quauhayehuachtli*; quam Fr. Ximenes ita deſcribit.

Arbor, inquit, quæ fert pineas nuces purgatrices, eſt mediocris magnitudinis, foliis grandibus inſtar Lappæ, quaſi rotundis & angulatis: fructus pene ſimilis eſt nucibus communibus, continens tres nuces exiguas, ſuis ſeptis & cavitatibus diviſas, valde ſimiles pineis nucibus forma & medulla: verum facultatibus multum diverſis præditæ, nam ſingulari virtute evacuant ſuperne & inferne omnes humores, præcipue craſſos & lentos: quare potiſſimum uſurpantur in morbis inveteratis: quinque aut ſeptem numero, & neſcio quo myſterio aut quam ob cauſam, etiam novem: nonnihil autem ante torrendæ ſunt, ut lenius operentur, deinde frangendæ & in vino aut aqua macerandæ: ſunt calidæ natura & pingues. Naſcitur arbor in regionibus calidis ut Tepeapulco & alibi. *Hæc ille.*



Quum autem è Braſilia noſtra accepiſſem fructus integros & bene maturos, eos ad vivum delineandos curavi uti hic exhibentur. Dedi autem operam ut integra & vivens planta huc transferretur, ſed negligentia nautarum in itinere exaruit; pervenerunt tamen ad me folia & floſculi exſiccati: folia conveniunt cum deſcriptione Auctoris noſtri; floſculi ita contracti erant ut forma dignoſci non poſſet. Scribebat autem Amicus qui plantam mittebat: Plantam hanc ubi à radice duos aut tres pedes aſcenderit, niſi putatione corrigatur ſe inſtar fruticis ſpargere in ramos neque in altum ſe attollere: corticem Stolonum & minorum arborum eſſe quidem viridem & glabrum; adultiorum vero arborum eſſe ſcabrum & fiſſum: folia confuſim & confertim ramis adnaſci, ſuperiori quidem parte intenſe, inferiore pallide virentia, utraque lævia & minime villoſa, & quinque ut plurimum venis diſtincta: Florem emergere è ſummitate Stolonum, exiguum & coloris herbacei, conſtantem ſex foliolis & in medio aliquot ſtaminibus itidem virentibus. Licet autem flores confertim & interdum quadraginta aut quinquaginta numero prodeant, tamen raro ſupra duos aut tres fructus producere. Radix craſſa eſt & pene inſtar Bryoniæ, verum lignoſa & recta deſcendens in terram: in adultioribus arboribus interdum ad quatuor & plures palmos. Porro fructus in Braſilia raro ſupra tres nucleos ſimul exhibent: ut mirum videri poſſit in Nova Hiſpania ad novem exhiberi, niſi vis eorum plurimum toſtura illa corrigatur. Ex omnibus autem quæ Auctores hi produnt liquido patet cum ſumma cautione exhibendum eſſe hoc purgans medicamentum, & ſummam eſſe habendam rationem ætatis & virium illorum quibus datur.

Caagvacviba Braſilienſibus: Arbor parva, erecto caudice aſſurgens, haud craſſo tamen & ſine ramis; ſuperius autem ingentibus veſtitur foliis copioſis, ſeſquipedem longis, plus quam pedem latis, cum inſignibus venis, ad tactum mollibus & hirſutis, ſuperne viridioribus quam inferne. Flores fert parvos umbellatim congeſtos, floribus Tiliæ ſimiles, albos, quinque foliis conſtantes & in medio habentes umbelicum luteum, odorem quoque florum Tiliæ. Cortex arboris cinereus, lignum fragile. Fructus maturus eſt niger, qui ab avibus comeditur.

Iperoba Braſilienſibus: Arbor cortice cinereo & punctulis albis variegato: Folia fert craſſiuſcula fere ſimilia foliis Tremulæ noſtratis, ex viridi cinerei coloris, in quolibet pediculo duos aut tres digitos longo, tria more phaſeolorum appoſita. Lignum arboris album inſtar Betulæ, ad varia utile.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. IV.

Tapia. Icicariba cujus reſina vocatur Icica. Ibira. Andira Ibiariba. Nhua.

TAPIA Braſilienſibus: Arbor hæc in Fagi aut Quercus altitudinem aſſurgit: cortice lævi, cinereo; & multos habet ramos: folia autem in quolibet pediculo tria ſibi oppoſita, lævia, ſplendentia, ſuperne ſaturatius, inferius dilutius virentia, quatuor aut ſex digitos longa. In extremitatibus ramorum octodecim, viginti, triginta aut plures pediculi ſunt ceraſini, in quibus ſingulis flos conſtans quatuor foliolis albis, digitum longis, quodlibet habet ſuum petiolum, digitum fere longum, figura ferri venabuli & nervum ſecundum longitudinem ac venulas obliquas vireſcentes, ut folia alicujus arboris, & cum his alternatim poſita quatuor foliola brevia vireſcentia; inter omnia hæc enaſcuntur Staminula multa ſubruffa circiter ſeſquidigitum longa: in medio denique horum erumpit pediculus duos aut ſemidigitum longus. Fructum fert rotundum, magnitudine mediocris pomi, qui quando maturuit flavus inſtar aurantii, ac corticem illi æqualem habens: interius autem plenus eſt lapillis duris magnitudine ſeminis ceraſorum, oblongis, flavis; & nucleum continentibus album. Circa lapides autem eſt pulpa alba, mollis, dulcis, ſaporis ac nauſeabundi odoris. Edulis eſt fructus. Lignum hujus arboris fragile, medulla alba Sambucina. Folia hujus arboris contuſa excellentiſſimum ſunt remedium contra malum hic perfamiliare quod vocant *Bichos de cu*, ſi exterius applicentur.



ICICARIBA Braſilienſibus, cujus reſina vocatur *Icica*: Arbor eſt alta, caudice haud ita craſſo, cortice glabro & gryſeo. Creſcit fere ad modum Fagi. Folia fert in ramulis, duo ſemper ſibi oppoſita, & tertium ſolitarium in fine, quidam ramuli habent ſex, bina ſibi oppoſita, & duo in fine, interdum duo vel tria paria in uno ramulo oppoſita & unum in fine: pyri foliis ſimilia, tres digitos longa, anterius acuminata, inſtar pergameni craſſa, læte viridia, ſplendentia, nervo ſecundum longitudinem & venis oblique diſcurrentibus. In ramis ubi ramuli foliorum oriuntur, proveniunt copioſi floſculi, racematim ſeu verticillatim congeſti, plane parvuli, quatuor folio-



lis vi-

lis viridibus conſtantes, ſtellulæ figura: foliola autem illa viridia in ambitu alba lineola ſunt circumdata, & in medio floris ſunt aliquot ſtaminula flaveſcentia. Poſt florem ſequitur fructus, magnitudine & figura olivæ, coloris mali granati, habens intus pulpam odoriferam, ut eſt lachryma arboris. Cortex quippe vulneratus una nocte fundit reſinam odoratiſſimam, odoris inſtar Anethi recentis contuſi, quæ poſtridie colligi poteſt, Luſitani vocant *Almecegam*, id eſt, Maſtichen. Corticem exteriorem non inciſum ſi manu mulceas paululum, mox inſignem ſpargit odorem. Reſina conſiſtentiam habet mannæ, coloris ex viridi pallide flaveſcentis, ac commode tractari manibus poteſt: inſignis eſt ad vulnera capitis & ad omnia quæ gummi Elemi uſurpatur.

ANNOTATIO. Eadem arbor aut valde ſimilis deſcribitur à Fr. Ximene. *Huitzzilxochitl*, inquit, quam alii vocant *Anetl-inan*, eſt arbor mediocris, ſimilis illi quæ fert Liquidambar, truncum habet lævem & rectum, exteriore parte obſcure virentem, interiori candidum; frondes ſerratas & acutas, ſimiles baſilico: floſculos pallidos ad oram flaveſcentes; ſapore juxta & odore ſimiles Anetho & iiſdem viribus pollentes: efficaciæ quoque majoris & nonnihil adſtringentes. Naſcitur locis calidioribus Cuernavacæ, è ramuſculis terræ inditis, facili propagine. Calida eſt & ſicca quaſi in tertio gradu: folia illius confricata & emplaſtri modo applicata pellunt rigores & frigora febrium. Corticum decoctum provocat urinam & ſudorem: aperit oppilationes: ſanat quartanam: movet menſes: corroborat cor: diſſolvit tumores & apoſtemata, tollit cruditates, juvat ventriculum: & vapor decocti curat morſus ſcorpionum. Ex hac arbore exſudat reſina quædam (ſive gummi) odorifera, diverſa tamen ab illa quæ emanat ex arbore in Florida naſcente, quæ fœniculum redolet atque ab Hiſpanis uſurpatur ſub nomine Saſſafras. *Hæc ille.*

Affertur hæc reſina è Nova Hiſpania magna copia, atque etiam ad eundem modum colligitur in Braſilia, jucundi odoris.

IBIRA Braſilienſibus; Arbor Betulæ figura creſcens, cortice fuſco & punctulis albis notato: ligno lento, & cortice tenuiſſimo. In ramis ramulos alternatim poſitos habet, & novem folia itidem oppoſita, tres circiter digitos longa, anguſta, acuminata, figura foliorum Salicis, ſuperne ſaturate viridia, glabra, ſplendentia, inferne cinerea & mollibus pilis cinereis quaſi lanugine tecta: quæ ſtantia in arbore deorſum ſe inclinant. Flores fert albos, ſex oblongis foliis conſtantes, odoratos, ad ſingula paria foliorum binos. Fructus eſt ovalis, & magnitudine avellanæ: ſaporis aromatici ac acris qui loco piperis in cibis uſurpatur ſiccatus & in pulverem redactus. Habet enim inſignem vim aromaticam, nec ita acris eſt ut Pimenta.



Cortex arboris detractus loco funium uſurpatur, eſt enim lentiſſimus. Ex eodem etiam fiunt funiculi ſulfurarii ad ſclopeta explodenda neceſſarii. Quando detrahitur albus eſt, ſeparato exteriori fuſco, & ſtatim fit rufeſcens quadrante horæ.

Floret menſe Februario.

ANNOTATIO. Hæc arbor videtur eſſe eadem cum illa Novæ Hiſpaniæ, quam Fr. Ximenes ita deſcribit: *Ytzle huayo patli* eſt arbor frondibus Limonis, inferiori parte candidis & villoſis, ſuperiori inclinantibus ad nigrum. Fert flores candidos & minutos: fructumque exiguum, rotundum, odoratum & acris ſaporis, quique eundem ſaporem obtinet cum caryophillis, ita ut il-

ut illorum vicem ſupplere, ſi opus ſit, poſſent, non ſolum in cibis ſed & medicamentis: cortices trunci minus calefaciunt, licet nonnihil amaricent: minime autem folia, licet odore parum differant à corticibus. Cortex contuſus & quantitate duarum dragmarum hauſtus fertur eſſe inſigne remedium adverſus ſanguinolentas alvi dejectiones. Naſcitur in collibus *Huit lango*. Hæc ille.

ANDIRA IBIARIBA Braſilienſibus; *Angelim* vulgo Luſitanis: Arbor eſt *cujus tamen caudicem, ramos, folia & flores Auctor non deſcribit*. Fructum fert figura juglandis, ovi gallinacei magnitudine, & cortice ejuſmodi viridi, qui uno latere quaſi ſuturam monſtrat: cortex diſſectus magnum nucleum ex albo flaveſcentem continet, non edulem ſed venenoſum.

Lignum arboris uſurpatur ad varias res faciendas in ædibus. Feræ admodum pingueſcunt eſu hujus fructus. Iconem hujus arboris dabit D. Guilhelmus Piſo, & plura de illius facultatibus.

NHVA Braſilienſibus; Arbor alta, cortice gryſeo, ſuperius in multos ramos contortos ſeu nodoſos expanſa. In ramis habet ramulos alternatim oppoſitos uti & folia in ramulis oppoſita ac unicum in extremitate (nimirum in quolibet duo aut tria paria foliorum & quintum vel ſeptimum ſolitarium) oblonga, ſuperne ſaturate viridia, inferne dilutiora & nervo ac venis obliquis conſpicua, brevi pediculo inſiſtentia. Florem producit, *quem tamen Auctor non deſignat*; Fructum fert globuli luſorii magnitudine, rotundum, albeſcentem, brevi petiolo innitentem, cuticula pallida, carne alba, ſaporis ſubamari: intus autem habet lapidem durum, oblongum, fuſceſcentem: maturus decidit, colligitur & comeditur.

CAP. V.

Cebipira. Iabotapita. Ietaiba. Ibaree. Ibirapitanga. Camacari. Paco caatinga.

CEBIPIRA Braſilienſibus; Arbor eſt grandis & ramoſa, quæ lignum habet durum, adſpectu fere ſimile fagino, ex quo rotæ machinarum & curruum fabricantur: cortice gryſeo cum fuſco mixto. In ramis habet ramulos alternatim ſibi oppoſitos, intervallo ſemipedis fere, in quibus alternatim vel etiam directe ſibi opponuntur folia parva, duos digitos circiter longa, & duas tertias partes digiti lata, ubi latiſſima, figura ſimilia foliis Buxi, ſuperne ſaturate viridia, & ſplendentia, inferne quaſi cineraſcentia, nervo ſecundum longitudinem, & venis minutiſſimis reliquis prædita. Flores fert copioſiſſimos, in quolibet ramulo quindecim, viginti & plures, ſuo quoſlibet pediculo brevi inſidentes, magnitudine florum pomorum, aut paulo majores, quinque foliis conſtantes quæ prodeunt ex nigro calice illique inſident. Duo folia floris majora ſunt & prope hæc octo aut novem parvula ſtamina alba apicibus nigricantibus. Floris foliis decidentibus naſcitur è medio ſiliquula, ex viridi ſubflaveſcens, in qua ſemen continetur. Foliola floris omnia ſunt corrugata ut pannus Goſſypinus Luſitanus. Color illorũ dilute cæruleus cum albo; ſuperius floris folium prope calicem maculam habet ruſeſcentem, & eſt inodorus.



Arbor

Arbor læta quando floret, nimirum menſibus Octobri & Novembri.

JABOTAPITA Braſilienſibus. Arbor cortice gryſeo, inæquali, ligno molli & lento: Fert folia pyri foliis quodammodo ſimilia, alternatim oppoſita, dilute viridia; & in certis ramulis copioſos floſculos racematim congeſtos, pediculo ſuo innixos, quinque foliolis conſtantes flavis & ſtaminulo craſſo luteo, figura florum Keyri, & odoris ſuavioris quam illi. Fructus quoque provenit racematim: nimirum in quolibet pediculo bacca, magnitudine nuclei ceraſini, conica fere vel quaſi triangularis; cuilibet autem baccæ, aliæ duæ, tres, quatuor, quinque inſident ſine pediculis, ovales, ejuſdem cum inferiore magnitudinis, omnes coloris nigri, ut myrtilli noſtrates, & eodem modo tingentes, carent acinis, & ſunt ſaporis adſtringentis. Floret Decembri & Januarii initio, maturat fructum Martio & Aprili.



JETAIBA Braſilienſibus, Arbor cujus & fructus ab ipſis vocatur *Ietaia. Caudicem, folia & flores non invenio ab Auctore noſtro deſcriptos: Ex icone tamen folia cognoſci poſſunt.*



Fructum fert in ſiliquis, quatuor aut quinque digitos longis, duos latis, compreſſis, quodammodo duris, coloris ſaturate epatici & ſplendentis. Fracta ſiliqua ſeu malleo contuſa continet in ſe ſubſtantiam farinaceam, filamentoſam, pallide ſubincarnatam, tactu molliſſimam, referentem farinam ſiligineam leviter humectatam, quæque pulteſcere incepit, ſaporis alioquin farinacei & ſubdulcis. Huic autem ſubſtantiæ tres aut quatuor lapides, magnitudine dactylorum ſunt involuti, figuræ ovalis, ſed in duobus lateribus compreſſi, duri, glabri, coloris caſtanei: Pulpa comeditur cruda, eſtque ſaporis haud contemnendi.

Hæc arbor dat reſinam odoriferam; quam Braſilienſes vocant *Ietica cica*, Luſitani vero *Anime*, quia ſimilis & Animæ quæ ex India Occidentali affertur.

Lignum ejus valde durum uſurpatur ad trabes ædificiorum atque axes machinarum.

Plura de hac arbore & Reſina dicta invenies à D. VVilhelmo Piſone, cui & hæc Icon debetur.

IBIRAEE Braſilienſibus; Arbor cortice gryſeo, glabro: folia habet inordinate poſita, læte viridia, ſimilia foliis ceraſi noſtratis acidæ, ſed non ſerrata. *Reliqua apud Auctorem noſtrum deſiderantur*; ſed hanc utcunque deſcripſi, Americ. lib. xv, cap. 9. ſub nomine *Hivoraë* ex Joan. Lerio. Cortex eſt, inquit, ſemidigitali craſſitudine, ſapore gratus præſertim recenter detractus, Species Guajaci quantum accepi à duobus Pharmacopeis qui nobiſcum mare tranſierant. Eaque barbari utuntur adverſus luem veneream.

IBIRAPITANGA Braſilienſibus, Luſitanis *Pao Braſil*: Arbor ſatis alta, cortice fuſco, brevi-

brevibus ſpinis armato: ramis alternatim oppoſitis, in quibus & ramuli itidem oppoſiti, uti & folia ad eundem modum; inæqualia nimirum paria in quolibet ramulo; circiter digitum longa, figura Buxi foliis ſimilia, craſſiuſcula, ſaturate viridia, ſplendentia, ſine petiolis ramulis innitentia & quidem non extremitate quæ medio folii reſpondet, ſed verſus alterutrum latus. Hinc inde etiam in ramis prodeunt ramuli, ſeſquidigitum & amplius longi, multis floribus quaſi in unum congeſtis onuſti, pediculis ſemidigitum longis inſiſtentes, quinque foliolis conſtantes, quatuor vulgariter cavis & quinto repando, quod rubrum & in extremitate ſua flavum, reliqua flava, duo repanda proxima ungues habent rubros; in medio ſtaminula flavo-pallida, apicibus flaveſcentibus. Odoris ejuſdem, at fragrantioris, cujus Lilium convallium. Sequuntur flores ſiliquæ, oblongæ, duorum circiter digitorum, plane compreſſæ, exterius aculeatæ, obſcure fuſcæ, nihil in ſe continentes. Floret Decembri. Circa Alagoa & alibi frequens.



ANNOTATIO. *Fr. Ximenes*. Planta quam vocant *Cuhuraquam*, Mexicani *Quammochitl huitzquahuitl*, Hiſpani autem *Braſil*; eſt frutex ſpinoſus, agens radices candidas & ſurculoſas: è quibus prodeunt trunci exterius vergentes ad colorem roſſum, interius ſaturate rubentes, contorti; & pleni foliis pene figura cordis, cum multis venulis, quæ orbiculatim diſcurrunt à medio foliorum ad oras. Naſcitur in regionibus frigidis, planis, atque montuoſis Mechoacan: ubi & aliæ duæ ejus reperiuntur ſpecies, quarum unam vocant *Pinguaquam*, alteram *Iacuam*. Eſt ſapore adſtringenti, frigida & ſicca: tingunt illius ligno verum colorem coccineum: decoctum illius primo fit fulvum, & mox rubrum: Et ſi addas alumen tam elegantis coloris fit ut minium æquet. Lignum eſt frigidum, mitigat febres, reſtringit & corroborat.

CAMACARI Braſilienſibus: Arbor alta, caudice tamen haud craſſo, plerumque recto, cortice gryſeo: folia fert alternatim appoſita, longa & laurinis haud abſimilia, ſuperius ſaturate viridia atque ſplendentia, inferius dilutoria.

Arboris hujus cortice inciſo, effluit lachryma liquida, valde glutinoſa, paulum rufeſcens, nullius odoris manifeſti. Vtuntur ea adverſus vermiculos pedum, illinendo. Lignum arboris flaveſcit, & ciſtæ, quibus ſaccharum imponitur, ex illo conficiuntur.

PACO CAATINGA Braſilienſibus, Arbor, (*cujus nec caudicem nec folia nec flores ab Auctore deſcriptos inveni.*) Fructus fert in uvam congeſtos, novem aut decem digitos longam, magnitudine ceraſi ſilveſtris, nigri coloris, & nucleo ceraſino, adſtringentis ſaporis; à columbis avide devoratur, ab hominibus non: uſurpantur ad tingendum colore cæruleo: poſſunt autem baccæ ſiccari & diu conſervari.

ANNOTATIO. Videri poſſet eadem arbor cum illa quam Fr. Ximenes appellat *Guayabaram*, & in Inſula Hiſpaniola dici *Huberum* ſcribit; verum ambigo quia illius fructum edulem facit; noſter hunc ab hominibus edi negat, cum Oviedus teſtetur, fructui tam grandia eſſe oſſa, ut parum admodum edulis carnis habeat, fieri poteſt ut fructus Paco Caatinga edulis quidem ſit non tamen appetatur ab hominibus ob cauſam iſtam. Vide quæ in Deſcript. Americæ de Guayabara diximus.


CAP. VI.

Mamaoeira mas & fœmina. Vrucuri Iba.

MAMAOEIRA Braſilienſibus; vulgo *Papay*, cujus fructum Luſitani vocant *Mamao* à figura, quia Mammæ inſtar pendet in arbore: Duæ ejus reperiuntur ſpecies, Mas & fœmina. Mas ubique in ſilvis obvia, fœmina haud ita frequens, & in hortis tantum abundat.

Mas

Mas aſſurgit in altitudinem viginti & plurum pedum; in ambitu craſſitie circiter duorum pedum. Cortex cinereus, ſatis lævis, & juglandini æmulus, in ſummitate autem ubi folia circumſtant, aliquantulum ruffus. Folia autem ubique erumpunt circa caudicem, ſed à terra ad medietatem altitudinis ſtatim abſcinduntur in junioribus, reliqua medietas uſque ad ſummum foliis veſtita relinquitur. Quodlibet folium inſidet ſuo pediculo rotundo, cavo, rufeſcenti, ſatis craſſo, fere directe à caudice extenſo, ſurſum quoque & deorſum vergenti, unum, duos, atque etiam duos & ſemis pedes longo. Folium autem quaſi centro ſuo inſidet pediculo, orbiculare, pedem latum, ſed in ſex vel ſeptem lacinias diſſectum; & quælibet lacinia iterum ſeptem habet inciſuras, ita ut eleganter ſint diſſecta & læte viridia. In ſimilibus pediculis provenit & flos: talis autem major pediculus diſpeſcitur in plures ramulos, in quibus multi flores oblongi, ſuo brevi pediculo inſiſtentes, quinque foliis incurvatis conſtantes, coloris pallide flavi, quaſi è cera eſſent facti; in medio ſtat ſtamen pallide flavum. Flos inodorus & decidit, raro ſuccedente fructu, niſi arbor ſit tranſplantata & duorum aut trium annorum. Falſum porro mares non ferre fructum, uti & fœminam non ferre fructum niſi mas adſtet, contrarium enim me multiplex experientia docuit: fructus vero maris quando naſcitur pediculo illo longo pendulus eſt deorſum verſus, figura ſimilis fructui fœminæ, ſed plerumque minor & exterius ſtriatus quaſi pepo, nimirum quinque ſtriis ſecundum longitudinem, & quinque minus profundis alternatim poſitis, ita ut non male referat marſupium, quale fœminæ geſtant in Miſnia. Interius carnem & ſemina habet ut fœmina, ſed non ità flavam aut bonam. Immaturi fructus copioſe lacteum ſuccum de ſe fundunt. Lignum arboris fragile & molle, turgetque eodem lacteo ſucco, ingrati & acerbi ſaporis.



Mamaoeira fœmina ſimilis mari caudice & foliis, ſed ut plurimum majoribus; neque pediculi foliorum ſunt ruffi, ſed virides. Flores fert non in pediculis longis, ſed ad ipſum caudicem, ubi pediculi foliorum inſeruntur. Flos eſt magnitudine floris Gladioli, conſtans quinque foliis flavis, ſupra duos digitos longis, vix tertiam partem digiti latis, inſtar ligulæ anguſtis, hæc deorſum retrorſum contorta, quaſi è cera facta eſſent; in medio ſtamen ovale, pallide flavum, magnitudine nuclei pruni, cui inſidet corona egregia, flava, figuræ fere ut illud genus fungorum quod *Zeigenbart* vocant. Flos dulcem odorem fundit inſtar Lilii convallium, ſed non ita fortem. E medio cujuſlibet floris naſcitur fructus; nec folia floris decidunt ante quam fructus juglandis magnitudinem habeat, manente quoque ad tempus ſtamine floris in umbelico fructus. Fructus ita caudici adnati ad exortum pediculorum foliorum, referunt mammas, unde nomen meruerunt apud Luſitanos: magnitudinem acquirit pyri cotonei aut vulgaris melonis, & ejuſdem figuræ: immaturus eſt viridis & inciſus exſudat lac: maturus ex viridi flavus, carne lutea inſtar melonum, & cortex eodem modo ſeparatur & fructus dividitur, qui in medio pulpæ copioſa habet grana, unus nimirum fructus viginti aut triginta ſupra centum & plura, ovalis figuræ, magnitudine coriandri, in ſuperficie rugoſa, fuſca, nucleo intus albo: ſaporis ſunt hæc grana ejuſdem cum Naſturtio aquatico noſtrate, includunturque pelliculæ tenui, ſplendenti; quæ detrahenda eſt, ſi quis ſemina velit ſervare. Pulpa eadem eſt quæ melonum colore & ſapore, ſed inferior. Fructus crudus edi poteſt, ſed ut plurimum ſolus aut cum carnibus coquitur: non magni autem fit ob abundantiam. Si quis fructum immaturum decerptum abſcondat in arena ſub dio ſtatim matureſcit & fit flavus. Arbor toto anno fructibus onuſta cernitur, & ſemper etiam floret. Ex quolibet



ſemine

ſemine annuo ſpatio habetur arbor fructifera: nulla autem durat ultra quatuor annos. Signum prognoſticon mortis eſt, quod cacumen ejus ſponte corrumpatur, illam enim corruptionem ſequitur totalis interitus. Raro reperitur arbor habens plus quam unum aut alterum ramum, maxima pars caret ramis, atque ita ſpecioſiores ſunt.

ANNOTATIO. Fr. Ximenes. *Papaya* eſt arbor mediocris, quæ fert folia grandia & ſimilia ficulneis, cum quibuſdam angulis; fructum magnum & craſſiuſculum, grati quidem ſaporis, ſed non ſatis probi nutrimenti. E fructu antequam maturuerit ſalit quidam liquor utiliſſimus contra impetiginem: ſuccus autem qui è maturo exprimitur, mitigat dolores ventris. Naſcitur in Inſula Hiſpaniola & regionibus calidis Novæ Hiſpanæ, uti Cuernavaca, Tlaquiltenango & Yoatepec. E fructu adhuc immaturo ſolent conficere conſervam, quæ mirifice temperat immodicum corporis æſtum, & recreat cor: cujus rei ſæpe experimentum cepi in noſtro Hoſpitali Guaſtepec. *Hæc ille.* Accepi à quodam amico qui aliquandiu vixerat in Inſula *Tabago* ubi hæc planta frequens, ut plurimum uno anno adoleſcere & fructus ferre: aſſurgere autem ad altitudinem quindecim & non raro viginti palmorum, craſſitudine pene humana: caudicem autem illius eſſe ſpongioſum & molliorem, ſine ramis, tantumque in ſummitate foliis eſſe coronatum; fructus enaſci ex ipſo caudice orbiculares, ſapore valde ſimiles meloni, & intus refertos granulis nigris ſapore ſinapi: credi denique leniter alvum laxare; & fructum interdum pendere quindecim libras.

VRVCVRI IBA Braſilienſibus: Palmæ ſpecies eſt per omnia dactylo ſimilis, excepta magnitudine, & quod folia non ſint ſpinoſa. Flos ut Locara: Fructus (qui & Urucuri vocatur) fert racematim ut Pindoba: quilibet autem habet magnitudinem pruni, lutea cuticula & pulpa lutea filamentoſa conſtans pauca, dulci: intus continet lapidem durum, in quo nucleus candidus, edulis: quilibet fructus inſidet cupulæ ſquamoſæ. Ex cortice nuclei applicato tubulo fit inſtrumentum ad peti fumum hauriendum.

Ex ligno hujus arboris cæſo & contuſo (nam filamentoſum plane eſt) fit ſine alia opera farina, quam vocant *Farinha do pao* Luſitani & Braſilienſes Urucurî-vî qua utuntur in defectu Farinhæ de Mandioca, & eſt coloris ruſeſcentis. Rami hujus arboris ſeu folia ſerviunt ad tegendas caſas & ad vinciendum, ſunt enim lenta, ideoque magno uſui ſunt itinerantibus. Ex fructu fit oleum uti è fructu Pindoba.

In ipſa arbore naſcitur polypodium, Caraguata, quæ aquam præbet ad bibendum, vocatur à Braſilienſibus *Vrucatû*, quam deſcripſi inter Herbas.

CAP. VII.

Guayaba. Araca-iba. Gonandima.

GUAYABA: Belgis **Granaet-peeren**, ob nucleos quos continet & ruborem pulpæ. Arbor in Malus figuram excreſcit & in plurimos ſe diffundit ramos. Cortex illius lævis eſt, pallidus, inſtar corticis Aceris. Folia fert bina ſibi oppoſita in breviſſimis pediculis, quæ prædita ſunt nervo & venis parallelis lunaribus oblique diſcurrentibus & valde conſpicuis; ad tactum dura, foliis Fagi ſeu rectius Hanenbuche noſtratis quodam modo ſimilia; inferius autem venæ protuberant, ſuperius profundæ ſunt, & quaſi rugoſa apparent folia. Eſt autem quodlibet folium ſuperius pallide viride & ſplendens quodammodo, inferius non ſplendens; duos vel tres digitos longum, unum vel ſeſquidigitum latum. In exortu porro binorum foliorum, alius pediculus brevior enaſcitur qui florem fert magnitudine floris Cotonei, quinque foliis albis conſtantem, ac in medio multa ſtaminula villoſa alba habentem, figura criſtæ pavonum. Florem ſequitur fructus, magnitudine & figura pomi noſtratis, oblongiuſculus paulo, cortice parum rugoſo ac cum maturuit ex viridi flaveſcente: pulpa quaſi ſanguine juxta in albo-pallido, continetque multos lapides granatorum aut meſpilorum inſtar, qui una comeduntur, ſunt enim parvi, gratique ſaporis fructus. Triplicem autem habet ſaporem & tot diverſas etiam facultates: nam cum maturus quidem, non tamen flaveſcens nec mollis, hinc ſaporis eſt auſteriuſculi, adſtringentiſque: quando flavus quidem eſt, non tamen mollis plane, tum bene ſapit & mediæ naturæ eſt, imo hinc optimus tam crudus quam coctus: quando denique plene flavus & mollis, tunc odorem & ſaporem habet dulcem inſtar fructus rubi Idæi, ac comeſtus movet alvum, nec ita ſalubris eſt ſi paulo largius ſumatur, nam & tunc in ipſo vermes generantur & facillime corrumpitur. Radix hujus arboris quinque aut ſex ulnarum longitudinem ſæpe ſuperat, exterius cuticula ruffa inſtar avellanæ prædita, interius tota alba, ſucculenta ac ſubdulcis. Hæc in aqua cocta ac pota mirifice medetur dyſenteriæ.

Hæc arbor non eſt naturalis hujus terræ, ſed aliunde ex America ſeptentrionali & Peru traducta. Nam primo unica fuit allata, dein aves comederunt fructus, & cum excrementis grana

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

grana fructus reddiderunt, ex quibus multæ natæ & in infinitum auctæ arbores, ut jam nullum plantarium inveniatur ubi non exſtet.

ANNOTATIO. Fr. Ximenes. *Xalxocotl* (quam indigenæ Inſulæ Hiſpaniolæ vocabant *Guayabo*, eſt arbor grandis, & ab Hiſpanis ſimiliter vocatur *Guajabo*. Tres illius reperiuntur ſpecies; de una hic non agemus: reliquarum prima eſt foliis aurantiæ, ſed minoribus & villoſis; floribus candidis, fructu rotundo & pleno granulis inſtar ficuum, unde illi nomen natum quod ſonat fructum arenoſum: folia ſunt acida, adſtringentia & valde odorata, ſanant ſcabiem, & ſolent illis uti in balneis: cortex eſt frigidus & ſiccus & valde aſtringens; decoctum illius diſcutit inflaturas crurum & ſanat plagas fiſtuloſas; ſurditati quoque volunt mederi & ventris dolores tollere, propter facultates quaſdam occultas quæ in illo obſervantur. Fructus eſt calidus & ſiccus, præcipue pars ejus exterior quæ ſolida, nam interior tenera eſt & caloris moderati, redolens quodammodo cimices, nihilo tamen minus menſis infertur & à plurimis cum voluptate guſtatur, licet non omnibus ex æquo conveniat. Sunt qui concoctionem adjuvare dicant & ventriculum calefacere, è cauſa frigida languidum. Secunda ſpecies fert fructus longe majores neque tam male olentes, itaque delicatiores cenſentur: folia illius ſunt virentia inſtar Aurantiæ. Naſcuntur locis calidis, montoſis atque planis, præcipue in Cuernavaca & toto Marchionatu, ubi paſſim obviæ ſunt. E foliis utriuſque fit ſyrupus utiliſſimus adverſus alvi fluxum, & tam efficax quam roſarum ſiccarum; componitur hoc modo: Sumunt foliorum ſex libras & probe contuſa macerant per noctem in duodecim quartillis aquæ, dein ad ignem tertiam partem excoquunt & percolant, additiſque ſex libris optimi ſacchari, eouſque coquunt donec conſiſtentiam ſyrupi acquirat, de quo tantum ſumitur quantum opus eſt pro ratione ægrorum. *Hæc ille.* Oviedus lib. VIII. cap. 19. hanc plantam ita deſcribit. Eſt arbor grandis, foliis aurantiæ, ſed rarioribus ramis & magis ſparſis, frondibus quoque haud ita virentibus, formaque magis accedentibus ad Lauri folia, niſi quod latiora ſint, craſſiora, & venis magis turgidis. Duæ ſunt ſpecies, ſed utraque fert fructus inſtar pomorum, alios oblongos, alios carne rubra, alios candida, omnes cortice viridi aut flavo ubi plene maturuerint: verum quia maturi ſapore ſunt ingratiore & vermibus obnoxii, ut plurimum virides carpuntur: intus ſunt ſolidi, in quatuor partes veluti diviſi, quibus & granula quædam duriſſima continentur: in faſtigio habet fructus coronam foliorum minutorum quæ facile excidunt. Meminit & Gomara & Monardes apud Cluſium. Iconem ab Hiſpano acceptam edidi in Hiſtor. Americæ lib. v. cap. 3. accepi deinde ramulum cum foliis & fructibus, verum immaturis: & deprehendi folia bene expreſſa & deſcripta ab Oviedo: fructus autem coronas habebant, ſed foliola jam exciderant, neq; fructuum ſubſtantiam potui dignoſcere, quia erant penitus ſiccati & contracti.



ARACA IBA Braſilienſibus: cujus fructus appellatur *Aracaguacû*; hæc arbor ſimilis eſt Guayabo figura, cortice atque ligno: ſed folia differunt: *quæ tamen ab Auctore noſtro deſcripta non inveni, ſed ex Icone agnoſci poſſunt.* Fructum fert mediocris mali magnitudine, rotundum, quando maturuit viridem, & ſuperne umbelicum obtinentem, carnem habet albam, odore, ſapore & ſubſtantia carni Aracamiri ſimilem: in medio autem continet multos lapides mole piſorum minorum, obrotundos, paululum compreſſos, ex albo ſubflavos & duros ut nuclei ceraſorum,

rum, intus habentes nucleum album: adhærent hi lapides carni per multa filamenta tenuiſſima.

Species altera cujus fructus vocatur Araca-miri ſupra deſcripta eſt inter frutices.

GONANDIMA Braſilienſibus: Alta & procera eſt arbor, ſorbo aucupariæ ex parte ſimilis, cortice cinereo, caudice in multos ramos diſperſo. Lignum illius inciſum fundit de ſe luteum ſuccum, qui ſponte effluit ac poſtea indureſcit, ita ut inſtar picis ſit fragilis, nullius odoris nec uſus, quod ſciam, apud Incolas. Et quia hæc arbor ripas amnium amat, radices habet multas, varie extra ripas ſuper aquas contorte expanſas. Folia habet ſibi invicem oppoſita, anguſta, acuminata, ſolida, lævia, viridia, ſplendentia: Flores fert multos umbellatim, qui ita proveniunt: primo elegantiſſimi miniati coloris, in ſingulis pediculis ſaturate rubentibus, ſemidigitum aut plus longis enaſcuntur ſeptemdecim, octodecim, viginti juxta ſe in una umbella, rudimenta floris conſtantia ex foliolis complicatis, ovalis fere figuræ, & magnitudine pruni ſilveſtris, eleganter quinque lineis obſcure rubeſcentibus ſecundum longitudinem quaſi diſtincti; hæc paulo poſt ſe pandunt in florem quinquefolium elegantiſſime rubrum, conſtantem quinque foliis cavis ſeu ſemilunaribus, exterius curvatis: in medio extat ſtamen ſaturate rubrum, figura plane ut Caryophyllus aromaticus, cui ſuperius adhuc quinquangularis ſtellula rubra impoſita cernitur. *Fructum hujus arboris ab Auctore deſcriptum non inveni.*

CAP. VIII.

Aninga iba. Arariba. Mucuitaiba. Tamarindi. Ivaumba.

ANINGA IBA Braſilienſibus, arbuſcula quinque aut ſex pedes alta, unico tantum caudice, cortice cinereo inſtar juglandis: fert ſuperius ſeptem, octo, decem aut etiam plura folia, magna, nervo & venis conſpicuis, figura pene Sagittalis majoris; quæ ſingula inſident pediculo ſuo ſucculento & minimum digitum craſſo, ſeſquipedem longo, & in medio proceſſum inſtar cornu habenti. In eadem ſummitate inter folia enaſcitur julus (qui fructus illius eſt) multis quaſi quadratis conſtans. Comeditur tempore neceſſitatis. Florem fert unicum, magnum, unico folio carinato conſtantem, coloris pallide flavi; in medio autem habet ſtamen craſſum, flavum. Fructum fert ovi Struthionis magnitudine, vel etiam majorem & ejuſdem figuræ.



Ex ligno hujus arboris viridi atque ſicco faciunt Braſilienſes *Iangadas*, id eſt, rates ſuas ad fluvios trajiciendos.

Vide plura de hac in commentario D. Piſonis.

ARARIBA Braſilienſibus: Arbor cortice cinereo, inſtar Fraxini interius albo, qui in aqua coctus fit ruber & cum illo tingitur. *Nihil præterea de hac Arbore ab Auctore annotatum inveni.*

MUCUITAIBA & MOCITAIBA Braſilienſibus, *Pao Santo* Luſitanis. Arbor figuram grandis quercus aut pyri ſilveſtris habens; cortice cinereo, glabro: folia pyri noſtratis ſimilia. Flores fert, *quos tamen Auctor non deſcripſit.* Lignum ejus ex albo ſubflavum eſt, medium autem ex ruffo nigricat; optimum eſt & duriſſimum.

In ſummitate arboris hujus & ſummis illius ramis naſcitur planta alia Spithamæ longitudine, quæ radiculis nititur in ramis, & radice paulo craſſiori; in hac ordine reperiuntur octo, novem

novem vel decem globuli flavi inſtar myrobalanorum, ſtriati & ſuperius acuminati, in quo acumine folium extat, ſex aut ſeptem digitos longum, anguſtum, dilute viride & ad flavum inclinans, nervo in medio ſecundum longitudinem.



Annotatio. Alia videtur hæc Arbor à *Guayacan*, quam ſimiliter Hiſpani vocant *Palo Santo*, quia illa (ut ſcribit Fr. Ximenes) arbor eſt mediæ magnitudinis, trunco ſilveſtri, macilento & ſpinoſo, foliis paulo majoribus rutæ foliis: floribus cæruleis; cortice cinereo, licet qui truncum craſſiorem tegit ſit rubicundus: Lignum fuſcum & medulla Cyanea. Cortex eſt valde amarus, unde una cum foliis creditur calidus in ſecundo gradu, cum manifeſta ſiccitate, quamvis in medulla amaritudo illa non ſentiatur. Iconem autem herbæ illius quæ in ſummis illius ramis naſcitur, ex herbis ſiccis ab Auctore collectis, delineandam curavi. Globuli autem illi flavedinem ſuam adhuc obtinent licet ſicciſſima; interius autem continent ſpongioſam ſubſtantiam cum multis filamentis quæ illam permeant. Radix autem craſſior è qua filamentoſæ radiculæ oriuntur ſquamoſa eſt.

Tamarindi: Luſitanis *Tamara azecla*: Arbor in maximæ Tiliæ magnitudinem excreſcit, caudice exterius gryſeo, ligno albo ut Betulæ & ſatis lento. In multos expanditur ramos, quorum quilibet in multos minores dividitur, qui ramulos gerunt



hinc inde alternatim diſpoſitos, tres aut quatuor digitos longos, in quibus ordinatim poſita foliola parva, paulo plus ſemi digitum longa, minora quoque, anguſta, æqualis undique latitudinis, figuræ cylindraceæ (conveniunt cum foliis Securidacæ veræ Cluſii Rar. Plant. Hiſt. pag. ccxxxvi. quo ad figuram, ſed prope pediculos non ſunt anguſta) bina autem ubique ſibi exacte opponuntur & nullis fere pediculis innituntur, ac arcte ſe mutuo attingunt. Inferne foliola dilute virent, ſuperne ſaturatius: ac inferne nervo ſecundum longitudinẽ, & venulis tranſverſis ſecundum latitudinem, ſed valde exilibus prædita, quæ ſuperne vix conſpiciuntur. Egregiam aciditatem ſapore referunt & ideo in febribus ſitis exſtinguendæ gratia manducantur. *Florem non deſcribit Auctor*.

Fructus in extremitate ramulorum in quolibet pediculo ſolitarius provenit; figura varians: quidam enim figura & magnitudine ficus exſiccatæ compreſſus, quidam ſiliquæ fabæ majoris, quidam inſtar columellæ laccæ qua literas obſignamus. Omnes cortice externo fragili, coloris meſpilorum, tenui, quando maturi ſunt. Pulpa plenus cortex nigricante, filamentoſa, acidi ſaporis gratiſſimi. In medio pulpæ in quolibet fructu ſeu ſiliqua duo aut tres lapides amygdalorum figura aut orbiculares & compreſſi inveniuntur coloris caſtaneæ ſplendentis: Nucleus Tamarindorum terræ commiſſus annuo ſpacio in arbuſculam quinque pedes altam excreſcit.

Annotatio. Garſias ab Horto apud Cluſium agit de Tamarindis lib. 1. cap. xxviii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Folia ejus dicit inciſa minutim palmi magnitudine, fructus in arcus aut digiti incurvi figuram efformari; hujus immaturi corticem virere, ſiccati vero cinereum eſſe, qui facile avellitur: nucleos continet ſativorum Lupinorum magnitudine, quodammodo rotundos, ſed planos, colore furvos, ſed læves; quibus abjectis pulpæ uſus eſt, quæ lenta & viſcida. Chriſtophorus autem à Coſta cap. XXI. ſcribit folia filicis fœminæ (quam Hiſpani *Helecho*, Cantabri *Ariſtora* appellant) foliis perſimilia, dilute virentia, valde elegantia; guſtu acido, gratoque: flores candidi, aureæ mali floribus admodum ſimiles forma exteriore & odore, attamen octonis foliis conſtantes, quorum quatuor interiora alba ſunt & craſſiora, quatuor vero exteriora tenuiora, & bina ex his eleganti nervo radiata; è medio flore quatuor enaſcuntur ſtamina corniculorum modo inflexa, candida & tenuia.



IVA VMBV Braſilienſibus: Arbor cortice fuſco, ac hinc inde in ramis ſpinoſa. Folia fert oblonga, læte viridia, craſſiuſcula, ad tactum mollia, nervo ſecundum longitudinem & aliquot venis obliquis, plerumque retrorſum inclinata: ac in junioribus ramulis quibuſdam ſolitarie ſibi oppoſita, in adultioribus & pleriſque aliis alternatim poſita: duo vel tria juxta ſe brevi pediculo innitentia. Ad pediculos foliorum naſcuntur floſculi minimi ſolitarii vel duo aut tres juxta ſe poſiti, quinque foliolis conſtantes. Hos ſequitur fructus, pruni noſtratis flavi magnitudine & figura, flavus quoque; cuticula & carne ut prunum, ſaporis boni, ſubacidiuſculi, & cui mixtus ſapor amygdalarum amararum. Intus continet lapidem figura baccæ Lauri, durum, ſed non ita craſſum, & qui facile dentibus frangitur: continens nucleum avellanæ mediocris figura & magnitudine, ſubſtantia & ſapore ſimilem amygdalis dulcibus. Fructus eſt edulis; maturus Januario & Februario ſponte decidit & colligitur.

Datur & alia ſpecies Umbu, cujus radices aquam præbent ad bibendum.

CAP. IX.

Cambuy. Guirapariba. Japarandiba. Urucuru iba. Curuiri. Anda.

CAMBVY Braſilienſibus, Luſitanis *Myrta*: Arbuſcula ligno lento; cortice cinereo. Folia fert ſibi oppoſita, faſtigiata, anguſta, ſolida, ſplendide virentia, in extremitate autem ramorum ſemper duo folia ſunt coloris uranei aut ruffi. Flores *non deſcripſit Auctor*. Fructus fert baccas rubras magnitudine ceraſorum, quæ maturæ nigricant, continentque intus nucleum tenui cortici incluſum. Folia digitis trita ſpirant egregium odorem, & ſunt ſaporis adſtringentis.

GVIRAPARIBA Braſilienſibus: Arbor magna & ampla: cortice ſimilis Arbori Guayabæ. Folia fert parva in ramulis oppoſitis oppoſita, in quolibet ramulo æqualia paria, cylindracea aut ſimilia, ſaturate viridia; nervo ſecundum longitudinem & venulis tranſverſis vix conſpicuis prædita. Lignum interius coloris eſt obſcure Olivacei, ad nigrum vergentis, exterius tamen ex parte eſt pallidum, & illud interius amari eſt ſaporis, ſi viride maſticetur. Ebeni ſpecies eſt, quare & à Portugallis Ebeno vocatur. *An florem aut fructum ferat non explicat Author.*

ANNOTATIO. *Lignum è variis Americæ partibus Europæ infertur, & in illo artifices jam vulgo verum Ebenum mentiri didicerunt, nigro colore illud imbuentes, nec facile fraus agnoſcitur ob ſimilem pene duritiem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

JAPARANDIBA Braſilienſibus, ſive, ut Luſitani efferunt, *Ieniparanduba*, Arbor eſt cortice cinereo; paucos habet ramos; Folia autem ſine pediculis ullis inordinate & copioſe circumpoſita, pedem circiter longa, figura pene linguæ niſi quod in exitu ſint acutiora, foliis Janipabæ nonnihil ſimilia; leviter quaſi crenata in ambitu, nervo ſecundum longitudinem conſpicuo, multiſque coſtis eminẽtibus ſecundum latitudinem perducta; tres vero tantum digitos lata, ubi latiſſima. Florem fert inſignem, orbicularem, diametrum fere trium digitorum habentem & octo foliis conſtantem roſaceis, albis quidem, ſed ad oras paulum incarnatis, in medio ſtant multa ſtaminula erecta in orbem compoſita & inſtar ſemilunæ incurvata, & quaſi globum repræſentantia, lutea, apice flavo & tremulo: flos autem inſidet craſſo ligneo pediculo (plerumque bini in tali bifido pediculo) ſuaviſſimi odoris inſtar Roſæ, imo ſuavior. Florem ſequitur fructus, mali magnitudinem æquans aut etiam ſuperans, maliformis quidem, ſed ſuperna parte planus, quaſi pars abſciſſa eſſet. Duo aut tres plerumque juncti in bifido aut trifido pediculo inveniuntur. Color fructus externus eſt gryſeus, intus flavus, ac cortice conciſo continet intus nucleos magnitudine amygdalæ ſive avellanæ, oblongos, ſed anguloſos, cordis humani figura; quilibet filamentoſam, flavam ſubſtantiam, arteriæ figura ſuperius inſectam, habens: & hæ arteriæ prodeuntes ex omnibus nucleis, uniuntur in media fructus cavitate: quodlibet granum cum ſua appendice repræſentat Cor cum arteria magna abſciſſa in partem. Color nucleorum ſplendet, epaticus, in ambitu quaſi multis venulis diſperſis, interius autem ſub ſuo tegmine amygdala continet nucleum in duas partes fiſſilem, album. Lignum arboris eſt durum, medulloſum; & cortex exterior ligni ſubnigricat ut Alni.



VRVCVRI IBA Braſilienſibus; Palmæ ſpecies eſt, dactylo per omnia ſimilis, excepta magnitudine, & quod folia non ſint ſpinoſa. Flos ut Iocara; Fert fructus (qui Urucuri vocantur) racematim ut Pindoba, magnitudine pruni, cuticula lutea, & pauca pulpa lutea filamentoſa, dulci; continet intus lapidem durum, in quo nucleus albus, edulis: quilibet fructus inſidet cupulæ ſquamoſæ. Ex cortice nuclei applicato tubulo fit inſtrumentum ad hauriendum fumum tabaci. Ex ligno hujus arboris cæſo & contuſo (nam eſt plane filamentoſum) fit ſine ulla opera *Farinha do pao*, & *Vricurî-vî*, qua utimur in defectu Farinhæ de Mandioca, & eſt coloris rufeſcentis. Rami hujus arboris ſeu folia, ſerviunt ad tegendas caſas, & ad vinciendum, ſunt enim lenta, & ideo magno uſui ſunt itinerantibus. E fructu fit oleum ut è Pindoba. In eadem arbore naſcitur polypodium *Caraguata*, quæ aquam præbet ad bibendum, vocatur Urucatû, quam deſcripſi inter Herbas.



ARBOR *(cujus nomen Auctor non adſcripſit, ſed hanc dedit Iconem)* folia fert ſimilia Lauri foliis, oblonga, duo ſibi oppoſita (nonnunquam unum ſolitarium in extremitate ramorum) quaſi in frondes congeſta, inferius dilute; ſuperius ſaturate viridia & ſplendentia. Fert florem, *(quem tamen Auctor non deſcribit.)* Fructum autem pruni Damaſceni figura & magnitudine, qui immaturus adhuc eſt flavus, maturus autem fit niger, pulpam continens pruni modo, ſaporis adſtringentis; & intus lapidem ovalem inſtar dactylici lævem & durum.

CVRVIRI Braſilienſibus; Arbor hæc prope terram ſtatim in multos caudices & ramos late ſe explicat ad modum *Ibipitinga*, cujus etiam ramos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

mos & folia, eodemque modo diſpoſita habet ac ſibi oppoſita. Fert floſculos tres vel quatuor juxta ſe poſitos. Poſt hos provenit fructus, magnitudine uvæ ſpinæ vel etiam minor, rotundus, lutei coloris, cuticula tectus ut Ribes & umbelico prædituſ ut uva ſpina, ſaporis ſubaſtringentis: quilibet autem unum aut duos lapides continet, magnitudine ſeminis Cannabis. Edulis eſt & ſæpe commodi.



ANDA Braſilienſibus: Arbor vaſta atque elegans, cujus folia & flores ex Icone cognoſci poſſunt; florum autem color inſigniter eſt luteus. Lignum illius plurimi eſt uſus. Barbari autem cortice illius utuntur ad capiendos piſces; aqua enim in qua maceratus fuerit omnes animantes ſoporantur. Fructum fert rotundum, cortice viridi inſtar juglandis tectum, qui in ſe nucem continet magnitudine pomi, una extremitate acuminatum & uno latere fiſſuram habentem, dura teſta, qua concuſſa, intus duæ caſtaneæ continentur, dulces & boni ſaporis. Hæ duæ commeſtæ purgant bilem & pituitam abſque ulla moleſtia, omnique ætati & ſexui, imo & prægnantibus conveniunt. Poſſunt quoque ex iis, cum ſaccharo pauxillo, ſemine anyſi & cinamomo tabellæ fieri, quæ ſunt gratiſſimum medicamentum iis, qui abhorrent à purgantibus. Doſis autem duæ caſtaneæ.

ANNOTATIO. Deſcripſi hanc eandem arborem in Americæ Deſcriptione lib. XV, cap. VIII. Fructus autem Iconem dedi lib. XVI, cap. XI. eleganter ad vivum ex-



preſſam, ea mole qua erat; neſciebam autem tunc cujus arboris eſſet fructus, aut quo nomine ap-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ne appellaretur; ſed poſtea monitus fui à Luſitano, fructum eſſe Andæ arboris, atque etiam alios fructus ejus ſuo nomine notatos accepi.

CAP. V.

Guaibi pocaca biba. Saiimbe Iba. Inga ſpecies. Quity.

GUAIBI POCACA BIBA Braſilienſibus: Arbor ligno, cortice, medulla, & fragilitate Sambuco æmula, elegans; in multos ramos diſpeſcitur; qui in extremitatibus ſuis longa germina protrudunt, & in iis multos ramulos ternos aut quaternos juxta ſe poſitos. Bina folia ſemper ſibi opponuntur, brevibus pediculis innitentia, ad tactum dura, inſtar membranaceæ chartæ, exterius Salviæ foliis recentibus, venis & viriditate ſimilia, ſuperius dilute viridia, duos aut paulo amplius digitos longa: Inter ramulos etiam foliorũ prodeunt pediculi duos aut tres digitos longi, qui viginti duos aut quatuor floſculos umbellatim congeſtos habent, figura florũ primulæ veris: quilibet conſtat quinque foliolis dilute flavis; in medio autem ſtaminũ loco propendent multa filamenta ſeſquidigitum longa, quæ quoad medietatem lutea ſunt, exteriore medietate crocum orientalem ruffo colore & criſpitudine referunt, & in extremitate cujuſque viſitur punctulum flavum: floſculi ſunt ſuaviſſimi odoris & arbor florens pulcherrima. Lignum odore Sambucum refert. Fructus fert in ſiliquis, quatuor aut quinque digitos longis, anterius faſtigiatis, cætera parallelogrammis ac paulum compreſſis: in utraque laterali extremitate quaſi ſutura ſutoribus uſitata ſunt clauſæ. Matura ſiliqua, *quomodo ſe extus & intus habeat non deſcribitur ab Auctore.*



SAIIMBE IBA Braſilienſibus dicta, *Caiveira brava* autem Luſitanis. Arbor fere ut *Acajúiba*, folia quoque illius foliis æmula, verum ad tactum duriora, rugoſa & hiſpida; alioquin ſimiliter diſpoſita. Flores fert quaſi umbellatim congeſtos, multos, parvos, inodoros.

Floret menſe Martio, ſed nullum fert fructum.




INGA ſpecies, Belgis vulgo hic Lotus. Arbor eſt haud magna, ramos & ramulos oppoſitos habens alternatim & in ramulis duo, tria, aut quatuor paria foliorum acuminatorum itidem oppoſita: caulis ad quodlibet folium alatus cordis figura, ut & reliquæ ſpecies. Fert florem, *quem tamen Auctor non deſcripſit.* Fructus eſt ſiliqua fabacea, compreſſa, flava, duos, tres, vel quatuor digitos longa, intus quatuor, quinque, ſex, vel plura ſemina tranſverſim poſita continens, veſtita pulpa nivea, quaſi holoſericea, ad tactum frigiduſcula, ſaporis dulcis gratiſſimi, quæ ſponte ſeparatur ab invicem pro numero granorum ſeminis, & dentibus ſeparatur à ſeminibus & comeditur, ſemen minime, quod eſt olivacei coloris, oblongum, fiſſile in duas partes ſecundum longitudinem: fructus edulis, bene ſapiens, maturatur Majo.


INGA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

INGA OPEAPIIBA Braſilienſibus: Arbor eſt cortice cinereo, in multos ramos expanſa; folia ſibi directe oppoſita habens, duos aut duos & ſemis digitos longa, rufeſcente nervo & venis ac pilis rufeſcentibus ſuperne & inferne; juniores ramuli item pilis veſtiti. Poſt flores proveniunt ſiliquæ parallelogrammi figura compreſſæ, & in totum pilis hirſutæ ruffis, in quibus continentur ſemina: *cætera apud Auctorem deſiderantur.*



INGA alia ſpecies; Arbor cortice fuſco, in multos ramos expanſa: folia appoſita & ramos alatos habens, ejuſdem pene formæ & conditionis; nec diſtat multum à cæteris ſpeciebus præterquam fructibus, qui flores ſequuntur, quatuor, quinque, ſex aut ſeptem pedes longi, ex viridi ſubrufeſcentes, contorti ſacchari pennidii figura, vel confectarum radicum pimpinellæ: *quid illis contineatur ab Auctore proditum non inveni.*



INGA Braſilienſibus. Arbor cortice fuſceſcente, ut Alnus, ligno lento; Folia habet longa non ſerrata, viridia, ordine ſibi invicem oppoſita, & præterea ramulos inter folia appendicibus alatos, quæ cor effigurant, & viridia ſunt ut folia ipſa. Ad exortum autem ramulorum in ramis majoribus, terni ſemper juxta ſe invicem proveniunt pediculi, ſeſquidigitum longi, in quorum ſingulis, duodecim, quatuordecim, quindecim, plures paucioreſve, in uvæ modum, enaſcuntur ovalia capitula, quæ ſeſe pandentia dant florem, conſtantem quinque foliolis albis, leniter hirſutis inſtar ſerici, figura florum Lilii convallium ferme ſimiles: è medio autem floris exit manipulus filamentorum albiſſimorum ſericeorum, longitudine duorum digitorum: flos porro dulcis odoris, ut Tiliæ: filamenta hæc in extremitate apices luteos obtinent, ac ſtant erecta inſtar plumarum, & decerpto flore marceſcunt. *An fructum aliquem ferat ab Auctore non additur.*



ANNOTATIO. Variæ ergo Ingæ ſpecies, quarum hæc poſtrema proprie nomen ſibi videtur vendicare, & etiam diligentiſſime ab eo fuit deſcripta præterquam quod fructum non deſcribat. Mirum autem quod neque apud

apud Auctorem Luſitanum quē in deſcriptione Americæ ſum ſecutus ullam hujus arboris inveni mentionem, ita ut judicem aut ignobilē eſſe arborem, aut forte alio nomine magis notam.



QVITY Braſilienſibus, Luſitanis *Pao de Sabaon*, & fructus *Sabaon*. Arbor eſt cortice cinereo ut Fraxinus, mediocris magnitudinis, ligno fragili. Folia læte viridia, oblonga, non ſerrata, ſplendentia, quatuor, quinque aut ſex digitos longa, vel ſibi oppoſita vel ſolitarie poſita, nam inordinate ponuntur. Fert flores, *quos tamen Auctor non deſcripſit*. In ſingularibus ramulis multos fert fructus; quilibet proprio pediculo inſidet, duplicem rotundam eminentiam habens inſtar natium aut mammarum, magnitudine globuli luſorii aut majore, rotundus, flavus inſtar ceræ ſplēdens & tranſplendens, ita ut globulus niger qui intus latet videri poſſit, qui fructu commoto ſtrepitum edit, nam ampla eſt cavitas: caro circumjecta haud craſſa, cuticula tecta, lenta & glutinoſa, ſaponis vicem explens, eodem enim modo ſpumam excitat: amariſſimi ſaporis nec ab ulla ave guſtatur: ideo & veſtimentis ex parte nocet & cōmodius uſurpatur cortex Vbinhume: globulus in fructu contentus niger, duriſſimus, rotundus, magnitudine ceraſi, ac in eo nucleus albus pellicula ruffa inſtar avellanæ tectus, figuram capitis pſittaci cum ſuo roſtro habens, ſponte diviſibilis.

Fructus menſe Octobri matureſcit.

CAP. IX.

Guititoroba. Guiticoroya. Guiti-iba. Ibicura pari.

GVITI Braſilienſibus plures ſunt ſpecies, quas ordine deſcribemus: prima ſpecies dicitur ipſis GVITI-TOROBA, Belgæ noſtri vocant **Steen-appel**.



Elegans eſt arbor, Aurantiam magnitudine ſuperans: folia fert in frondes congeſta, ſemipedem longa, ſaturate viridia ut Lauri folia, ſplendentia & craſſa inſtar pargameni, ad tactum lævia, nervo ſecundum longitudinem, & venis tranſverſis alternatim poſitis vel oppoſitis. In extremitate frondium inter copioſa folia proveniunt flores brevibus pediculis, ex calice rotundo, magnitudine florum Tiliæ cavi ut nola ac rotundi, unico folio conſtantes, ſexque in circumferentia ſciſſuris ad medietatem uſque, quæ floris globulum veluti in ſex foliola diſpeſcunt. In medio cavitatis ſtamen inſtar pilæ, quod alia ſex ſtaminula circumſtant, ex medio cujuſque ſecturæ prodeuntia & ſpongiæforme corpuſculum geſtantia: dulcis odoris eſt ut flos Tiliæ, totus flavus è viridi mixtus. Arbor inciſa lac exſudat. Fructum fert rotundum, Aurantiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

rantiæ mali magnitudine , ſuperius paulum turbinatum , abſque corona , flaveſcentis è purpureo coloris , inodorus quando integer , ſed conciſus validum odorem ſpirat nauſeabundum , ſimilem pinguedini antiquæ ex carne flava & ſolida , dulcis ſaporis. Intus juglandis ſeu mediocris ovi gallinacei ſeu majoris caſtaneæ magnitudine continet lapides rotundos, plus medietate una colorem & aſpectum habentes nucis muſcatæ , altera medietate læva ac ſplendente, inſtar ſpeculi convexi, umbræ coloris nucleum in ſe continet. Fructus comeditur ſed ego abhorreo ab illius odore & ſapore. Decidit ſponte quando maturus eſt , alias non edulis, nam lacte acri plenus antequam decidat. Florebat Aprili 1640. in Inſula Antonii Vaaz, Fructus maturus erat Februario ad Promontorium S. Auguſtini.



GVITIIBA cujus fructus *Guiti-coroya* Braſilienſibus altera ſpecies *Guiti:* Arbor cortice gryſeo : rami folia habent in frondes quaſi congeſta : nimirum pediculi ſunt in extremitatibus ramorum , unum aut ſemidigitum longi, alternatim oppoſiti , quilibet duo aut tria folia habens , quorum quædam alternatim oppoſita , novem , decem, duodecim aut quatuordecim digitos longa , quatuor, quinque aut ſex digitos lata , ad tactum inſtar corii Hiſpanici , oblonga , linguæ fere figurâ , ſuperius dilute viridia , inferius ochræ coloris, nervo eminente ſecundum longitudinem & coſtis obliquis partim æqualibus , partim inæqualibus intervallis diſtincta : hinc inde molli lanugine obducta. Ad frondes naſcuntur flores in longam ſpicam congeſti, parvi, flavi, nullo odore. Floret Ianuario & Majo aut Iunio fructum maturat. Ad domum Luſitani prope Aretangy arbor eſt duplex, uno caudice aſcendens, hinc in duas quaſi arbores , quinque circiter pedum altitudine ſupra terram ſe diſtribuens; unum latus arboris uno anno , alterum altero fructus fert ; tertio arbor quieſcit,nec florem nec fructum ferens,quarto iterum fructifera. Eſt autem fructus magnitudine pomi vulgaris , ſed non exacte rotundus, verum quaſi informis rotunditatis & inæqualis ſuperficiei ; coloris exterius & in cute , quem habet, ut panis ſecundarius vel ater , vel cortex fuſcus Betulæ , ad tactum cedens ; interius pulpam habet flavam , ad viſum ut caſeus putridus Hollandicus : pulpa pauca , lapidem ambiens , quaſi arena ad morſum ; dulcis ſaporis & odoris , utraque qualitate quaſi panem æmulans : lapis magnus , magnitudine & figurâ ovi gallinacei aut etiam major , cortice filamentoſo & lignoſo ad tactum hirſuto ut Guiti-toroba. Odore panis fere , coloris ex albo flaveſcentis : continet in ſe nucleum in ſubſtantia ſulphurei coloris cum albo mixti , in ambitu ex ſulfureo & incarnato mixti , conſiſtentia nucis Coco , guſtu aſtringente : Hujus nuclei dragma ſemis raſa minutim datur in aqua ſimplici contra dyſenteriam maximo cum ſucceſſu. Caro commeditur, ſed nucleus non.



IBACVRAPARI Braſilienſibus. Arbor eſt mediocris, cortice gryſeo. Folia fert in frondes congeſta , ab uno ad quatuor digitos longa , læte viridia, foliis Perſicæ haud abſimilia, nervo ſecundum longitudinem & coſtis tranſverſis ordine diſtinctis. In cujuſlibet extremitate umbella enaſcitur,plerumque in quatuor brachia rhombi inſtar expanſa , quodlibet brachium iterum in multos pediculos , in quorum quolibet floſculus provenit calice albo , digitum longo , ſuperius in quinquangularem ſtellam diviſus , coloris obſcure cæruleo-purpuri , ino-

dorus

dorus. Sequitur fructus pruni equini magnitudine, figura renis ovilli, in ſuperficie glaber, cuticula lutea: & interius carnem luteam habens, odoris ut ſapo Hiſpanicus. Carni autem in-





voluti duo lapides figuræ ellypticæ, compreſſi, duri. Fructus non comeditur.

Anno 1642. florebat & fructus habebat XXI. Februarii.

GVITI IBA cujus fructus Braſilienſibus ſimpliciter dicitur *Guiti* vel Guitî-mirî. Arbor Tiliæ magnitudine, ſed caudice non ita craſſo: Folia fert linguæ figura, circiter quinque digitos longa, ſeſquidigitum lata, læte viridia, ſplendentia ut pyri noſtratis, inferius alba lanugine obducta (quæ digitis abſtergi poteſt; juniora tota lanugine obducta flaveſcunt) alternatim poſita in ramulis: & ad quemlibet pediculum brevem foliorum uvula progerminat una vel duæ aut tres junctæ, veſtitæ globulis parvis albicantibus, qui ſe aperientes produnt floſculos albos, ſex parvulis foliolis conſtantes, in medio multa ſtaminula alba cum apicibus pallidis, inſtar ſcoparum ſetacearum ſtant erecta.

Fructum fert ellypticæ figuræ, magnitudine ovi gallinacei, interdum & majorem, initio viridem, ubi maturuit flavum exterius, citrina cuticula tenui, quæ facile ſeparatur, tectum. Pulpa ejuſdem coloris, mollis ut pirum emollitum, eſtque filamentoſa ob filamenta quæ exterius lapidi fructus adhærent, qui magnus, ovalis, exterius ex albo flaveſcens, villoſus, mediocriter durus, nec craſſus, magnum nucleum ex flavo incarnati coloris continens, ſiccum, amaricantis ſaporis: Caro autem fructus intus pauca, dulcis ſaporis, & quaſi muſcus dulcedini admixtus eſſet. Iulio fere & Auguſto floret, Martio fructum maturat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. X.

Ibapurunga. Ibipitanga. Viſqueiro. Ibabiraba. Muivî. Mureci. Guapereiba.

IBAPVRVNGA Braſilienſibus: Arbor cortice & ligno Sambucino; fert folia in pediculis duos digitos longis, qui bini opponuntur; & in quolibet tria folia juxta ſe poſita ſunt, more phaſeolorum (in extremitatibus enim ramorum folia in frondes congeſta, terna tamen appoſita) ſuperne viridia, ſplendentia, inferne albicans color viriditati admixtus; ſuperius etiam piloſa, inferius magis hirſuta, nervo & venis conſpicuis.



Ad quemlibet pediculum foliorum etiam provenit pediculus qui fert flores quinque foliis conſtantes (*colorem non prodit Auctor*) poſt quos, in quolibet pediculo lõgo congeſti conſpiciuntur tres, quatuor, quinque fructus, magnitudine uvæ ſpinæ aut avellanæ nucis, rotundi, immaturi virides, ſplendentes; maculis albicantibus conſperſi, maturi vero obſcure purpurei, nigreſcentes, punctulis albicantibus ubique notati: detracta cute ſubjacet caro, ſub ipſa quidem purpurea ſeu brunna, interius alba, & in medio lapis durus, figurâ & magnitudine amygdalæ, continens tres nucleos albos, parvos. Comeduntur detracta cute & ſunt ſaporis dulcis parum manifeſti. Matureſcit menſe Februario.

IBIPITANGA Ceraſus Braſiliana: Arbor figurâ ceraſi noſtratis acidæ. Cortex albicat & truncus quaſi contortus in multos ramos diſpergitur. Folia habet lævia, ſuperne ſaturate viridia, inferne dilutiora, bina ſemper directe oppoſita. Ad foliorum exortum multos fert flores, in pediculis ceraſinis, albos, quatuor foliis conſtantes, & multis ſtaminulis. Flores ſequitur fructus miniatus, magnitudine verticilli ſeu baccæ mori, rotundus & profunde ſtriatus octoties ut globulus, quo mulieres marſupia affigunt. In umbelico quatuor ſtaminula viridia habet ex foliolis minimis, cuticula veſtitur miniata ceraſina, pulpa quoque miniata, ſucculenta, ſaporis calidi & ſubamari aliquid de capſico participantis: lapidem continet rotundum, paulum compreſſum, albicantem, haud durum, in quo nucleus deprehenditur albicans amari ſaporis: qui lapis non poteſt dignoſci à lapide fructus Maſaranduba.



VISQVEIRO Luſitanis: Altiſſima arbor, & latiſſime ramos ſuos expandens, cortice gryſeo aut ſubrufeſcente: in ramis autem alternatim poſitis fert ramulos quoſdam directe, quoſdam alternatim oppoſitos, inque his appoſita ſibi folia parvula foliis pene Herbæ vivæ primæ ſpeciei ſimilia, læte viridia. Fert flores, (*quos tamen Auctor non deſcripſit*) fructum autem habet longo talo præditum. Hæc arbor dat copioſam reſinam mollem, viſcoſam, inodoram colore picis, qua utuntur ad volucres capiendas, illinendo ſuper baculum, ut nos ſolemus viſcum: radiis tamen Solis indureſcit, quare ii cavendi. Duæ dantur ejus ſpecies, mitis & ſilveſtris.

IBABI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

IBABIRABA Braſilienſibus. Arbor caudice contorto, cortice cinereo, foliis dilute virentibus (quæ multas coſtas habent & quaſi rugoſa ſunt) tres circiter digitos longis, directe ſibi invicem oppoſitis: digitis trita ſpirant odorem inſtar Majoranæ & Roriſmarini mixti. Inter hæc ſparſim provenit pediculus, duos ferme digitos longus, ſuperius tripliciter velut in crucem diviſus, ferens tres flores, figura & mole fere ſilveſtris Roſæ, cōſtantes quinque foliis albis, odoris gratiſſimi inſtar Roſarum noſtratium. Poſt flores ſequitur fructus rotundus, ceraſi magnitudine, inſtar pyri pediculo inſidens, exterius coloris brunni, cum umbelico quinquefolio ruſeſcente, reliquiis nimirum floris emortui: continet pulpam mollem, pallidam, cui aliquot nuclei coloris incarnati, obrotundi, compreſſi, molliuſculi immixti, qui una comeduntur: ſapor autem illius dulcis, aliquid reſinoſi admixtum habens.



Folia aut flores cum Camara utiliſſime adhibentur ad lotionem pedum, in dolore capitis. Floret Ianuario & Februario; Fructus autem matureſcit Aprili aut Majo.



MVIVA Braſilienſibus. Arbor mediocris magnitudinis, elegantia habens folia, bina & bina ſibi invicem oppoſita, ſimilia foliis Malabathri, venis, conſiſtentia & figura: nimirum tres nervi craſſiores ſecundū longitudinem folii tranſeunt & adhuc in quolibet latere unus tenuis, ita ut quinque ſint in univerſum: tranſverſim autem multæ venæ rectæ parallelæ currunt, folia inferius ſunt alba, lanuginoſa, ſuperius ſaturate viridia, ſplendidiſſima: ramuli juniores incani & ad tactum molles. Folia ſiccata eo latere quod virebat evadunt nigerrima, pulchro adſpectu. Fert flores *(quos tamen Auctor non deſcripſit)* quos ſequitur fructus rotundus, magnitudine ferme pyri muſcatellini, & pediculo inſtar pyri inſidens, cute tectus lenta, quando maturuit purpureo-ruffa: Vmbelico quinquefolio ex floris manubiis: pulpam continet mellis craſſioris conſiſtentia, pallidam ſeu albidam, plurimis acinis minimis re-

fertam, dulcis ſaporis: fructus enim quando maturus mollis eſt, & quum digitis premitur, prodit pulpa quæ deglutitur. Braſilienſes non gaudent veſci hoc fructu, ſed avibus devorandū relinquunt.



MVRECI Braſilienſibus: Arbor cortice cinereo, & ligno fragili: fert folia ut plurima in frondes congeſta, longa, & in extremitate latiora quam in exortum, non autem ſerrata, colore & lanugine Verbaſci foliis quam ſimillima nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis directe ſibi oppoſitis; juniora quidem plane ſunt hirſuta & ruffa.

Floſculos fert ſpicatim congeſtos, luteos, cum ſuis pediculis, conſtantes quinque foliolis, deorſum incurvatis, inſtar orbiculatis, luteis, figura auriſcalpii cum manubrio rubro: in medio autem flore extant ſtaminula multa ex flavo albicantia.

Fructus autem hujus arboris ſunt baccæ magnitudine & figura fructuum uvæ ſpinæ, qui comeduntur.

GVAPEREIBA Braſilienſibus; Luſitanis *Mangue vereadeiro*. Arbor habens lignum grave & ſolidum & corticem brunnum: ramos & folia oppoſita; atque hæc quidem craſſa nervo ſecundum longitudinem, & multis venis ſecundum latitudinem; adhæc læte viridia, magnitudine pyri foliis æqualia. Floſculos fert multos in calicibus longiuſculis ex viridi ſubluteos. Fructus (quem tamen Auctor non deſcribit) decidens Cancrorum terreſtrium eſt pabulum, qui ſub his arboribus degunt, radices autem agunt multifarias.

CAP. XI.

Guirapariba. Tataijba. Ibacurû parî. Ibera puteruna. Vtii. Jito. Vmari.

GVIRAPARIBA vel VRVPARIBA Braſilienſibus; *Pao d'arco* Luſitanis. Arbor alta, læta, & mediocris craſſitiei, folia ſua in frondes congeſta ferens; nimirum quilibet frons habet quatuor, quinque aut ſex pediculos, unum aut duos digitos longos, in quorum quolibet quinque folia, quodlibet ſuo pediculo innitens, junctim exiſtunt (rarius tria aut quatuor folia) inæqualis magnitudinis, oblonga, ſaturate viridia, ſplendentia, ad tactum membranacea, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis prædita. Menſe Decembri arbor ſine foliis exiſtens, quæ amiſit initio æſtatis, flo-



res pro-

res protrudit copioſiſſimos, flavos, magnos; tres aut amplius digitos longos, ſuperius in quinque quaſi folia ſectos: ſine ſtaminibus inodoros. Florens arbor tota apparet flava & longiſſime dignoſci poteſt ad tria vel quatuor milliaria. Floribus decidentibus folia iterum erumpunt. *An fructum ferat ab Auctore non invenio proditum.*





TATAIIBA Braſilienſibus: Arbor eſt cortice cinereo, ligno intus crocei coloris, partim & rufeſcentis. Folia fert acuminata, & ſerrata, Betulæ foliis quodammodo ſimilia, in ramis hinc inde poſita. Florem fert (*quem tamen ab Auctore deſcriptum haud inveni*) & poſt hunc, fructum mediocris mori magnitudine, rotundum, è tuberculis compoſitum, pallidi coloris, multa filamenta exterius habentem fuſca, non admodum longa; comeduntur ut mora vel per ſe, vel addito ſaccharo & affuſo vino: interius continent albicantia granula per carnem diſperſa: ſucculentus eſt fructus & dulcis ſaporis. Lignum arboris valde durum & diutiſſime durat, tam intra quam extra aquam & terram, ſemper viride: optimum eſt inter omnia & antecellit lignum Maſarandubæ, quomodocunque uſurpetur. Ex ligno veteri parant tincturam egregie flavam, coquendo. Naſcitur paſſim in ſilvis; fructus maturatur menſe Martio.

IBACVRV-PARI Braſilienſibus. Arbor folia habens in frondes congeſta, pedem longa, duos & ſemis digitos lata, ubi latiſſima, linguæ figura, ad pediculos acutiora quam in extremitate, figura foliis Ianipaba ſimilia, nervo ſubrufo ſecundum longitudinem & aliquot venis tranſverſis. Fert florem (*quem tamen Auctor non deſcripſit.*) Fructus illius magnitudine reſpondet Aurantio malo, ſed figura ſimilis eſt parvo peponi aut cucurbitæ, nam rotundus eſt & paulum compreſſus, ac quaſi ſtriatus, tot ſtrias ſeu cavitates ſecundum longitudinem habens, quot caſtaneas intus continet, nimirum quatuor, quinque, ſex, ſeptem, magnitudine noſtrarum caſtanearum: cortex exterior viridis interius in tot loculamenta dividitur: quælibet caſtanea cutem fragilem habet, coloris Iſabellæ ſeu flaveſcentis & ſplendentis; nucleus albiſſimus edulis eſt.

Aliam ſpeciem inveni prope ſinum Aquapetida maturam menſe Martio 1640. Arbor erat cortice gryſeo ſeu fuſco, hinc inde ramos ſuos directe projiciens: folia habet in ramulis oppoſitis oppoſita, ad tactum dura & membranacea, nervo ſecundum longitudinem & venulis obliquis, longa, ſolida, foliis Araticu-ponhe quodammodo ſimilia. Fructus maturus flavus, rotundus, pomi magnitudine, cortice paris fere cum Aurantio malo craſſitiei, qui inciſus facile ſeparatur, continet duas aut tres caſtaneas, ovales, magnas, uno latere planas, ubi invicem appoſitæ ſunt; has pauca ambit caro, albicans, ſaporis acris & ſubamari-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

amaricantis quæ comeditur: caſtanea non eſt edulis. Arbor hæc inciſa lac croceum de ſe fundit.



IBERA PUTERUNA Braſilienſibus, Luſitanis *Pao ferro*, lignum enim ejus duriſſimum, ita ut aciem cultri obtundat: Arbor magna & ramoſa. Fert folia alternatim in ramis oppoſita, tres aut quatuor digitos longa, figura cordis, ſed in extremitate acuminata, tenuia, ſuperius dilute viridia, inferius paulum pallida. *Cætera apud Auctorem deſiderantur.*

VTY Braſilienſibus. Arbor ſaturate virens & ſpinoſa, ſorbo aucupariæ naſcendi modo, figuraque ſimilis: in multos diſpeſcitur ramos & fere rotunda eſt; & in ramis etiam ramuli alternatim ſunt oppoſiti. Folia habet minima atque adeo minora quam ſecunda Herbæ vivæ ſpecies; eo ordine diſpoſita, & in extremitate ſua quaſi bicornia, quo differunt à foliis Tamarindorum, quæ ita bicornia non ſunt. Illa quoque ita ſaturate viridia ut hæc, & præterea acidi ſaporis, cum hæc nullum ſaporem habeant manifeſtum. Si ſapore eſſent acido, & ſiliquas ferret cum Acacia conveniret. Non tamen ſemper æqualia folia in hac arbore ſibi opponuntur, ſed interdum ſolitarium eſt in extremitate ramuli.



Fert floſculos prope ramulos in uvam congeſtos, albos, longis ſtaminulis, ita ut piloſi ſeu ſpinoſi videantur.

Lignum album eſt ac lentum, cortice ex gryſeo ſubfuſco, ut ſorbus aucuparia.


IITO Braſilienſibus. Arbor cortice fuſco, qui multa punctula hinc inde ſparſa lutea habet. Folia bina ſibi opponuntur, ſex, ſeptem, octo aut novem etiam digitos longa, paulo plus quam duos lata, ubi latiſſima, non ſerrata, nervo conſpicuo & prominente ſecundum longitudinem, venis in quibuſdam ſibi invicem oppoſitis, in quibuſdam autem alternatim poſitis. Fert flores (*quos tamen Auctor non deſcripſit.*)

Poſt florem ſequitur fructus, parvæ ficus figura, magnitudine globuli luſorii, major aut minor, obſcure lutei coloris, qui in ſe tria ovalia ſemina continet, magnitudine ſeminis pomi vulgaris, cuticula obſcure flava tecta, nucleus autem illorum albicat.

ANNOTATIO. Aliam quoque Iconem hujus arboris, videtur enim varias habere ſpecies, invenies apud D. VVilhelm. Piſonem, in lib. de Facultatibus Simplicium.

VMARI

VMARI Braſilienſibus. Arbor ample ramis ſuis expanditur, caudice quidem mediocriter craſſo, nam plerumque tres, quatuor aut plures juxta ſe naſcuntur: in ramis autem ramulos habet tres aut quatuor digitos longos, & in iis foliola cylindracea caſſiæ fere ſimilia, ſed paulo anguſtiora, vel directe vel alternatim oppoſita, ſaturate viridia, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis: unum digitum aut paulo plus longa. Fert florem *(quem tamen Auctor non deſcribit.)* Sequitur fructus formæ ovalis, magnitudine pruni majoris, cute tectus ad viſum & tactum referens perſicum noſtratem, coloris autem ex viridi pallide flaveſcentis, carne dulci flaveſcente pauca, quæ ambit lapidem magnum ovalem albidum, qui continet nucleum edulem. Maturus fructus menſe Martio ſponte decidit & colligitur. Crudus comeſtus turbat ventriculum & facile excitat vomitum: ideo integer ſolet coqui & una cum nucleo contundi, & cum carne vel piſcibus loco panis ſeu farinhæ comedi. Lignum arboris album, betalinum fere referens.



Frequentiſſima hæc arbor in campis graminoſis juxta fluvium Cunhao Mopebi & Rio grande quoque.

CAP. XIV.

Copiiba. Mangabiba vel Mangaiba. Cuiete. Apeiba.

COPIIBA Braſilienſibus: Arbor alta, cortice cinereo, ſuperius in ramos diſpeſcitur, habens folia ſeſquipedem longa, majora, minorave, bina ſibi invicem oppoſita in extremitate tria junguntur: ſuntque oblonga, acuminata nervo & venis paulum ruſeſcentibus, ſuperius viridiora, inferius diluta. In extremitate ramorum multi ſunt congeſti ramuli quibus folia inſident; ibidem & proveniunt rami florum (*quos tamen Auctor non deſcripſit*) quibus ſuccedit fructus, baccæ lauri magnitudine & figura, initio viridis, per maturitatem niger, pauciſſima carne ſubdulci, à qua cutis craſſiuſcula facile detrahitur. Lapidem continet ovalem, haud durum, nucleo albo, farinacei ſaporis, non eduli: fructus tamen comeditur, exſugunt Braſilienſes ſuccum & exſpuunt cutem. Maturus eſt menſe Aprili.



MANGABIBA & MANGAIBA Braſilienſibus, cujus fructus *Mangaba* vocatur. Arbor magnitudine & figura noſtratem æquat ceraſum acidum aut etiam ſuperat in multos ramos varie diſtributa, qui in alios tenues ramuſculos deſinunt, ut in Betula. Cortex coloris fuſci cinere aſperſi, ramulorum autem ſimillimus

limus ramulis Betulæ junioribus : lignum lentum , intus exigua medulla; fractum aut conciſum fundit lacteum humorem. Folia fert parva,ſolida, egregie virentia, bina ſibi ſemper oppo-



ſita , nervo in medio ſecundum longitudinem , tranſverſim autem venulis ſeu lineis ſubtiliſſimis parallele poſitis prædita. Flores gignit Iaſmini modo diſpoſitos , calicibus unum aut ſeſquidigitum longis , & ſuperius in quinque acuminata foliola expanſis, ſtellulæ figura , coloris albi , odoris ſuaviſſimi , inſtar Mirabilis Peruvianæ odoratæ. Floret menſibus Octobri & Novembri. Fructus *Mangaba* magnitudinem habet prunorum noſtratum aut ovi gallinacei quoque , quidam ſunt rotundi , quidam ovales , non eſt edulis niſi ſponte decidat , nam in arbore exiſtens , plenus eſt lacte acerbo & amaro. Quando decidit , cuticulam habet ex viridi flavam, ac in uno latere egregiis punctulis rubris inſignitur : in quibuſdam autem punctula hæc ſunt rariora , in quibuſdam copioſiora , in quibuſdam & nulla. Pulpam continet albam , mollem inſtar butyri , gratiſſimi vinoſi acidiſſimi ſaporis : in qua continentur ſemina lutea , compreſſa, ſex , ſeptem , duodecim aut plura , ovalis figuræ , in medio umbelicum habentia , cute inſtar amygdalarum dulcium , ſed lenta : intus habent nucleum albiſſimum dulcis ſaporis : quare integra cum fructu deglutiuntur. Maturi quotidie magna copia ſub arboribus colliguntur : & qui non plane molles per noctem ſeponuntur & molleſcunt : licet quis maxima copia edat nullam moleſtiam ſentiet.

Seri non plantari volunt hæ arbores , in terra ſicca , ubi nulla copia luxuriantium herbarum.In Sinu omnium Sanctorum integræ ſilvæ ſpontaneæ reperiuntur. Fructus hic circa Olindam ordinarie maturus eſt Novembri ſive Decembri , Ianuario & Februario maxima copia. Ad flumen S. Franciſci & in Capitania Seregipe tardius matureſcit & Aprili atque Majo abundat. Iunio & Iulio etiam paſſim reperitur.

Quando finis æſtatis nimis ſiccus eſt , nimirum Februario & Martio , ut accidit anno 1643. hinc menſe Iulio & Auguſto copia habetur fructus maturi , nam propter Solis æſtum natura impellitur ut protrudat Martio & Aprili flores , quibus ſuccedit fructus Iulio & Auguſto.

CVIETE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CVIETE Braſilienſibus, vulgo corrupte *Cochine*. Arbor cortice gryſeo, ut Sambucus, contorte naſcitur, longos habens ramos, & in iis folia frondatim & alternatim poſita: nimirum rami habent alternatim tubercula digiti intervallo, & ad quodlibet ſex, ſeptem aut octo folia arcte ſibi appoſita, ut ita frondoſi ſint: folia autem ſunt ſemipedem longa, breviora aut longiora, plane anguſta verſus interiora, verſus extremitatem vero ſenſim ampliantur, ſeſquidigitum lata, ubi latiſſima, in acumen quoddam obtuſum deſinentia, ſuperius ſaturate viridia & ſplendentia, inferius dilutiora, nervo conſpicuo & venis tranſverſis prædita. Non ſolum in ramis ſedet in caudice & paſſim proveniunt duo, tres vel quatuor flores juxta ſe poſiti, in pediculis digitum fere longis, ipſi quoque duos & ſemis digitos longi, figura pene Lilii, quinque inciſuris in quinque acuminata folia dehiſcentes, coloris ex albo & viridi mixti, & ſecundum longitudinem valde elegantibus nervis ac hinc inde venulis dilute purpureis variegati: in medio autem quinque ſtamina ejuſdem extant coloris, quorum quodque corpus figuram in ſummitate habet, flaveſcens, & lineolis nigris variegatum, quintum & medium ſtamen figuram habet auripurgii, huic autem flos inſidet & detrahi poteſt, ut aſſum carnis fruſtum de veru: odoris flos eſt nauſeabundi. Poſt florem deinceps ſequitur fructus, variæ magnitudinis & figuræ, vel ovi ſtruthionis, vel rotundus & magnitudine capitis humani, vel oblongus, initio viridis, per maturitatem niger ac durus, intus continens ſemina cucurbitæ modo, fuſca ſeu obſcure brunna, magnitudine ſeminum cucumeris, ac nucleo flaveſcente; exterius autem quaſi faſcia ſimplici ſemen convolutum videtur. Immaturus fructus pulpam albam ſucculentam continet, odoris fere, ut Naſturtium, ſed cui dulcedo quædam eſt admixta: per totam denique pulpam, non in medio tantum ut in cucurbita, ſemina illa ſunt diſperſa, quæ per maturitatem fuſca fiunt. Saccharo immaturus fructus conditur & in febribus uſurpatur: maturis utuntur incolæ, patinarum, poculorum & lagenarum loco; præparant hoc modo: Maturus fructus aquæ calefactæ immergitur & plene coquitur, hinc inciſo foramine ligno duro excavandus eſt, ſin ſecare in patinam aut alias figuras illos velis, funiculo craſſiori ſectionem quam propoſuiſti circumliga cocto fructui & malleo ligneo pulſa funiculum, ſic ſponte ſecabitur, cultro ſi rem tentes operam ludes. Per ramos deciſos & terræ infixos facile propagatur. Arbor hæc certis temporibus, uno die omnia folia amittit, biduo autem poſt iterum foliis onuſta cernitur.



ANNOTATIO. Familiariſſima eſt arbor omnibus Inſulis Americæ & pene toti Continenti: Quare & Oviedus in Hiſtor. lib. VIII. cap. IV. ita illam deſcribit.

Higuero eſt arbor grandis; fructus autem illius ſunt certæ cucurbitæ, rotundæ aut etiam oblongæ, è quibus barbari cyathos & alia vaſa faciunt. Lignum arboris robuſtum, folia ejus anguſta & longa & in extrimitate ſua latiſſima. Barbari tempore neceſſitatis comedunt hunc fructum, nimirum pulpam, quæ ſimilis eſt carni cucurbitæ, quando adhuc viridis eſt. Sunt autem variæ molis, & non raro quidam capaces duarum amphorarum aquæ, & amplius.

APEIBA dicta Braſilienſibus, Arbor vaſta atque in multos ramos expanſa, cortice cinereo. Folia habet quaſi in frondes congeſta, longa, in ambitu autem leviter ſerrata, ſuperius ſaturate viridia, inferius magis incana & denſa quadam lanugine veſtita. Flores fert ſtellatos, flavos, quinque foliis conſtantes flavis & quinque aliis ex viridi flavis, ſuavis admodum odoris. Fructum producit magnitudine pomi aut circiter, orbicularem, compreſſum, hiſpidum exterius, inſtar ſpongiæ marinæ, & villoſum, ex muſcoſo colore fuſcum, qui ubi maturuit in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tres partes ſponte dehiſcit, continetque intus globulum magnitudine ficus ſiccatæ, conglobatum ſeminibus obſcure brunnis, magnitudine grani ſinapis, ſed compreſſis quodammodo.



Nullius uſus apud incolas eſt fructus. Ligno utuntur ad *Cinchas*, id eſt, lembos piſcatorios & *Iangadas*, quibus incolæ utuntur in fluminibus trajiciendis, atque etiam in mari.

CAP. XV.


Betis Pitonia. Iamacaru. Iamacaru ſeu Caxabu.

BETIS Arbuſcula eſt, quatuor aut quinque tantum pedes alta, caudice recto, nodoſo, & digitum craſſo, pallide viridi & per totum punctulis albis maculato. Superius autem ad aliquot nodos ramos adipiſcitur, itidem nodoſos & ejuſdem cum caudice coloris; & in his ramis folia, nimirum ad quemlibet nodum, unum, & ſimul unum julum: quodlibet porro folium quinque, ſex aut ſeptem digitos eſt longum, linguæ figura, pallide viride ſeu flaveſcens, ſuperius ſplendens, & craſſitie Laurino folio ſimile. Iulus autem unum aut duos digitos

gitos longus eſt, pennam olorinam circiter craſſus, ſemen ferens oblongum, fuſcum, odoris valde fortis, inſtar zinziberis. Lignum caudicis intus eſt ſpongioſum. Radices habet ſex, ſeptem aut etiam octo rectas, pennam anſerinam ferine craſſas, intus albicantes, lentas, filamentoſas, odore & ſapore itidem inſtar zinziberis. Arbuſcula nobilis & quantivis pretii.



PITOMA Braſilienſibus dicta: Arbor grandis & ramoſa, cortice gryſeo, coryli noſtratis cortici haud abſimili. Folia fert inæqualis magnitudinis, quædam tres, quatuor, quinque, quædam ſex, ſeptem aut octo digitos longa, pediculis brevibus inſidentia, quæ bina & bina ſibi invicem opponuntur, ut & ramuli in ramis majoribus; hinc inde tamen folium ſolitarium invenitur: ſunt autem folia oblonga, anterius acuminata, auris aſininæ figura, læte viridia ſuperius, ut Caju folia, inferius paululum pallida: nervo ſecundum longitudinem, & venis oblique currentibus inordinate, quibuſdam ſibi invicem oppoſitis, quibuſdam non. Ad ipſum autem foliorum exortum etiam duo ramuli enaſcuntur oppoſiti (vel etiam unicus ſolitarie poſitus) tres, quatuor vel quinque digitos longi, ſpicæ modo in totum numeroſis veſtiti floſculis; quilibet floſculus inſidet ſuo pediculo brevi, parvulus, in quatuor crenas ſectus, è cujus medio novem ſtamina prodeunt, ſemidigitum longa, craſſitie filum ſericeum æquantia, erectè ſtantia, apice tenui; pediculus floris coloris eſt melini, floſculus ejuſdem cum pauxillo rubro mixti, ſtamina crocei, apices rubicundi. Quælibet ſpica florum non male refert echinum illum piſtorum quo mactras ſuas purgare & farinam detergere ſolent. Fructum fert, unumquemque ſuo pediculo innitentem, ellypticæ figuræ, umbelico autem inſtar puncti eminente, exterius coloris eſt obſcure flaveſcentis, cortice carneo, coloris ſolido quidem ſed fragili, fere majoris craſſitiei quam cortex eſt caſtaneæ: ſub hoc cortice latet pauca pulpa albicans, conſiſtentiæ ut gelu in patina, ſaporis acidi grati & adſtringentis, quæ ſponte à cortice fracto ſe ſeparat & comeditur: continet denique in medio ſui nucleum magnitudine caſtaneæ, ellypticæ figuræ, cuticula ſua tectum flaveſcente; ipſe autem incarnati eſt coloris, in ſubſtantia albicans, & facile in duas partes æquales diviſibilis; non eſt edulis, quippe ſaporis amari & adſtringentis.



IAMACARV Braſilienſibus. Arbor eſt mediocris magnitudinis, caudice tereti, gryſeo, & ſtellatis aculeis gryſeis armato: ſuperius autem habet ramos deorſum propendentes, quorum exordia ſunt longi proceſſus teretes ſtellatim aculeati ut caudex; his ramis autem verſus exteriora inſident folia Tunæ modo, ovalia, compreſſa, non tamen ita craſſa ut Tunæ, in ambitu aculeata aculeis ſingulatim poſitis. In ſuperficie utraque foliorum eminent tubercula quædam: color autem ramorum illorum & foliorum eſt viridis. Fert florem *(quem tamen ab Auctore deſcriptum non inveni) ſed ex icone quam dedit, conjicio florem ex illis tuberculis enaſci & in mul-*


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

multa ſtamina deſinere. Non meminit quoque fructus: quem tamen opinor cum cæteris communem habere.


IAMACARU quoque, itemque CAXABU Braſilienſibus; *Cardon* Luſitanis. Arbor magna. Primum erumpit è terra folium unum octangulum, cujus anguli ſunt teretes, æqualis omnes craſſitiei quaſi exſculpti eſſent, ordine ſpinulis in ſtellulæ modum poſitis armati, & inter quaſlibet duas tales ſtellulas tranſverſalis quædam lineola eminet. Huic uni folio alia plura more itidem Tunæ annaſcuntur, ejuſdem figuræ; quodlibet unum, duos, tres, quandoque & ſex pedes longum, verguntque ut plurimum in altum, brachium humanum craſſa, quandoque craſſiora: ſucceſſu autem temporis folium inferius corticem gryſeum acquirit ac in caudicem lignoſum & craſſum abit, ſpongioſum tamen & facile cæduum; folia vero quæ caudici proxima ramorum vicem ſupplent, cætera foliorum. Caudex vetus ac ramoſa illa folia ſpinas denique amittunt, neque ſpinoſa manent, ſed tantum folia. Flos huic Caudici ſolitarius provenit albus, magnus, figura ſimilis quarto loco deſcripto: ſequitur fructus ovo anſerino duplo major, ovalis figuræ, exterius ruber obſcure, qui comeditur. Arbor interdum magnitudinem Mamaoeiræ, imo & Ianipabæ nanciſcitur.



Cardon alia ſpecies, priori magnitudine caudicis, flore & fructu per omnia ſimilis, excepto quod folia ſunt triangulata ut in ea quam quarto loco deſcribo. Alia *Cardon* ſpecies teretibus ramis & nodoſis, inſtar baculi nodoſi, ad quos nodos ſunt ſpinæ ut in cæteris, cum quibus in reliquis convenit.



Quarta ſpecies *Iamacaru*, ficus ſpinoſa; ex radicibus tenuibus in terra haud profunde latentibus, enaſcuntur triangularia aut etiam quadrata folia, unum, duos, tres, quatuor pedes longa, quibus alia hinc inde annaſcuntur ut in ficu Indica: quodlibet eorum latus duos, tres vel quatuor digitos latum, ſuntque duplo craſſiora quam *Iamacaru* quæ fruticibus & arboribus annaſcitur; ſed illius longiora ſunt: in anguloſis extremitatibus, aculeis munita, unum, duos treſve digitos longis, flaveſcentis ſeu lignei coloris, ſex, ſeptem, vel octo inæqualis magnitudinis juxta ſe poſitis; viridia ſunt folia, ut illius quam inter herbas deſcripſimus; flos etiam talis ſed duplo minor. Fructus tres circiter digitos longus, quatuor in ambitu craſſus, figuræ oblongæ, conſtans cute craſſa, craſſitie cutis *Paco*, ſucculenta, egregie rubra: per compreſſionem facile finditur per longitudinem & detrahi poteſt, continetque pulpam albam, ſucculentam, friabilem, & quaſi in multos globulos conglobatam ut nix gelu indurata: hæc multis ſeminibus nigris, ſplendentibus, permixta eſt, ſimilibus Aquilegiæ ſeminibus, ſed minoribus. Pulpa cum ſeminibus comeditur, boni ſaporis, dulcis, ficum vulgarem ſuperans. Succus è cortice rubro expreſſus acidi adſtringentis ſaporis ut ſuccus ribium immaturorum. Folia autem hujus plantæ ſucculēta ſunt, & ſuccū dant herboſi ſaporis ſeu braſſicæ ſimilem: qui ſi ama-



rus eſſet, planta hæc Euphorbium eſſet, nam per omnia convenit cum illius deſcriptione. Hæc planta eſt quæ in Nova Hiſpania profert Cochinillam. Vide Ximenem in deſcriptione Tunarum.

ANNOTATIO. Fr. Ximenes habet caput, *de differentiis Tunarum quas vocant* Nochtli. Planta, inquit, quam ficum Indicam vulgo vocant, jam multis annis notiſſima fuit in Hiſpania, ubi paſſim reperitur: Americani, ubi ſolum fructus ſuos maturat, magna ſanorum voluptate & ægrorum ſolatio, vocant *Nochtli* in nova Hiſpania, in Inſulis Tunam. Hæc ob monſtroſam foliorum formam & peregrinum excreſcendi modum primum magnam ſui excitavit admirationem, nunc ita familiaris eſt ubique, ut non ſit operæ pretium illam deſcribere. Sed quia variæ illius ſpecies reperiuntur, non fuerit ab re obiter illas recenſere. Diſtinguuntur autem interdum ſecundum varietatem florum, quorum alii candidi, alii rubri, alii foras ſublutei & interius ejuſdem coloris cum fructu, uti videre eſt in *Tlatacnoctli:* aliquando ſecundum magnitudinem & formam foliorum, quorum alia ſunt grandia, alia exigua, alia oblonga: alia brevia, alia rotunda ſunt. Sed præcipua differentia ſumitur à fructuum varietate. Sunt itaq; hæ ſpecies Tunarum quæ in nova Hiſpania reperiuntur. Prima quæ appellatur *Yztacnochtli,* quia fructus illius albus, hujus folia ſunt rotunda, parva, lævia, aut paucis ſpinis aſpera, flos flavus, fructus ſpinoſus. Secunda *Coznochtli* dicta, quia fructum fert flavum, folia lata & rotunda, plena acutiſſimis ſpinis, florem rubicundum, fructus raros. Tertia dicitur *Atlatoc nochtli*, id eſt, Tuna, quæ ab albo colore vergit ad rufum, foliis longis & anguſtis, acutis & ſubpurpureis: quod proprium hujus ſpeciei, nam cæterarum folia virent. Quarta *Tlapalnochtli,* foliis longis & anguſtis, brevioribus tamen & minus ſpinoſis quam præcedens, flore exiguo & qui ex albo vergat ad rubrum, fructu exiguo coloris ignei ſeu coccinei. Quinta *Tzaponochtli*, ob ſimilitudinem cum fructu quem Mexicani vocant *Tzapotl*, foliis horridis & deformibus, ovalibus & valde ſpinoſis, floribus è candido ſubflavis. Silveſtris Tuna, quæ *Tzacunochtli* dicitur, in arboris molem ſolet adoleſcere, foliaque habet rotunda & minuta, flores flavos. Eſt & alia ſpecies quæ vocatur *Xochinochtli* quæ licet præcedenti ſimilis ſit forma, tamen excedit cæteras omnes foliis & fructu unde illi nomen. Omnes Tunæ ſunt frigidæ & humidæ in ſecundo gradu, exceptis granis quæ ſunt ſicca & aſtringentia: folia item ſunt frigida & humida & ſalivoſa: quare ſuccus expreſſus, mitigat ardores febrium, ſedat ſitim, humectat inteſtina. Fructus manducatus cum ſuis granis dicitur alvum aſtringere: eſt boni & grati nutrimenti, licet nonnihil flatulenti, uti fere cæteri fructus, & quod facile corrumpitur. Ægri juxta & valentes æſtivis menſibus illis veſcuntur, & ſingularem capiunt utilitatem, præſertim ii qui bile abundant, aut aliqua intemperie calida laborant. Gummi quoddam exſudat hæc planta, renum & urinæ ardorem temperans: Succus aut aqua ex hac planta extracta eſt admirabile remedium contra bilioſas & peſtilentiales febres. Radices illius cum certa Geranii ſpecie ſanant Herniam & Eriiſypelas; mitigant calorem è febre aut alia quavis cauſa natum. Mexicani rotas plauſtrorum ſucco foliorum inungunt, ne ex celeri motu igniantur. Ferunt quoque radicem, quæ nonnihil amaricat, ſingulare remedium eſſe adverſus plagas.

CAP. XVI.

Jecuiba. Cereiba. Iacapucaya. Iaracatia. Acaja.

IECUIBA Braſilienſibus. Arbor ſatis alta, cortice ſubcano: folia fert in ramulis alternatim oppoſitis, ſibi invicem directe vel etiam alternatim oppoſita, & in extremitate unum ſolitarium, tres digitos circiter longa, acuminata, nervo ſecundum longitudinem & venis tranſverſis. Florem fert cæruleum; *de cujus tamen figura, ſicuti neque de fructu nihil apud Auctorem noſtrum inveni.*



Lignum hujus arboris egregium ad varia ſculpenda, nam ex ruffo brunnum eſt, & nigro undatum. Convenit cum ligno Cardeira, quod tamen magis æſtimatur & eſt longe elegantius.

CEREIBA Braſilienſibus. Arbor inſtar ſalicis pumilæ, tali ligno, ejus denique figuræ, foliis itidem ſimilibus, ſed paulo craſſioribus: folia autem directe ſibi invicem oppoſita habet: in extremitatibus autem ramulorum, inter tria, quatuor, & interdum duo folia, duo proveniunt pediculi, quilibet tres, quatuor, aut quinque floſculos habentes congeſtos, ex albo dilute flaveſcentes, quatuor foliolis conſtantes & in medio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

medio totidem ſtaminulis nigris ſurrectis, mellei odoris. Folia hujus arboris lucente Sole ſalem albiſſimum continent in ſua ſuperficie, quando vero cœlum nubilum aut tempus nocturnum, ſal diſſolvitur & inſtar roris adhæret: interdiu autem ſiccus & albiſſimus, digitis detergi poteſt. Ac tantum ex duobus vel tribus foliis haberi poteſt, quantum juſculo probe ſaliendo ſufficiat.



IACAPUCAYA Braſilienſibus. Altiſſima arbor, cortice gryſeo, duro & inæquali inſtar veteris Quercus; ex quo atramentum ſcriptorium conficitur. Folia juniora ruffa ſunt, vetuſtiora viridia, Mori foliis ſimilia, in ambitu ſerrata, quodammodo contorta & incurvata; alternatim in ramulis ſibi oppoſita. Fert florem, *quem tamen ab Auctore deſcriptum non inveni.* Fructus ſequitur ingens, quilibet ſuo pediculo craſſo, ligneo dependens, magnitudine capitis infantis, figuræ ellypticæ, inferius veluti in conum obtuſum faſtigiatus, ſuperius ſive ad pediculum depreſſus, referens poculum cum ſuo operculo; cortice ligneo & duro, ochræ coloris: operculo autem remoto (nam ipſemet fructus maturus ſe aperit) decidit operculum, & fructus interius in quatuor interſtitia diviſus videtur; & in quolibet loculamento caſtanea invenitur pruni magnitudine, cortice ex flavo ſubcinereo, rugoſo, qui contuſus nucleum exhibet album, optimi ſaporis: comeditur crudus & toſtus.

Ex ligno arboris axes fiunt machinarum; quia durabile eſt in humido; nam axes ſemper madeſiunt arundinis latice & quotidie lavantur aqua. E cortice autem exteriore ſiccato & contuſo fit ſtuppa ruſeſcens, qua ad obturamenta utuntur & naves. Fructus matureſcit Martio & Aprili.

Frequentiſſima arbor in Silvis magnis in Namhiu & Alagoa del Zul & verſus Alagoam grandem.

IARACATIA Braſilienſibus, Arbor eſt alta recta, caudice inferius craſſo, qui verſus faſtigium magis magiſque graciléſcit & attenuatur, cortice gryſeo, ligno molli, & lacteſcente. Caudex autem & rami armantur ſpinis brevibus, craſſiuſculis, duris. Et ramos quidem in orbem

bem projicit, ſed inordinate, ſuperioreſque inferioribus breviores; neque ramuli magis ordinati, in quibus folia in frondes congeſta; Madiibæ modo, figura & magnitudine, ſuperius ſplendide viridia, inferius incaneſcentia, quinque, ſeptem vel novem in ſtellæ modum ſibi appoſita; nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis.



Florem fert ut Mamaoeira.

Sequitur fructus petiolo longo dependens ut Mamao mas, tres digitos longus, craſſitie duplici pollicis humani, ſtriis haud profundis ſecundum longitudinem, vel quaſi lineis ſolum notatus, coloris exterius & interius crocei ut Mamao, & carne ejuſmodi ſubſtantiæ & ſimili modo granis refertus, magnitudine & figura grani hordei, ſaporis haud manifeſti. Immaturus adhuc lacteſcit, ac vellicat linguam, maturus autem ſponte decidit & comeditur crudus atque coctus. Folia amittit ſingulis annis & menſe Martio nova protrudit, hinc floret & fructum fert, qui fine Aprilis & Majo maturatur.

Duplex eſt Arbor, mas & fœmina: quæ ſimiles ſunt excepta magnitudine, nam fœmina per omnia minor eſt mare.

ACAIA quæ & IBAMETARA Braſilienſibus. Arbor quæ in altitudinem & magnitudinem proceræ Tiliæ aſſurgit; caudex & rami craſſiores, cortice rugoſo & è cinereo albicante inſtar Sambuci. Folia directe ſibi oppoſita, duos, tres, vel quatuor digitos longa, inæqualis magnitudinis, ſeſqui vel duos digitos lata, acuminata ſplendentia; nervo lato ſecundum longitudinem & venis tranſverſis, foliis juglandis haud abſimilia, ſed acutiora.



Floſculos fert copioſos in magnos racemos congeſtos, ex albo ſubflaveſcentes.

Poſt flores prodeunt pruna flava, noſtratibus figura & magnitudine ſimilia, pauxilla cute, acidi ſaporis, lapidem continentia magnum, ex filamentis lignoſis conſtantem nec durum, verum dentibus cedentem, qui nucleum continet ex albo flaveſcentem.

Folia hujus arboris (imo & lignum) ſaporis eſt egregie acidi & adſtringentis ac ad appetitum proſtratum revocandum & ſitim levandam in febribus utiliter uſurpantur: fiunt & intinctus ad carnes aſſas ex junioribus foliis tritis, gratiſſimi ſaporis.

Ramus arboris deciſus & baculi modo infixus terræ brevi radices agit & in arborem adoleſcit: unde frequens viſitur circa plantaria & *curraos*.

Lignum ruffum & leve ut Suber, cujus loco uſurpari poteſt. Fiunt & opercula ex eo ad obturandas lagenas.


CAP. XVII.

Carana iba. Copaiba. Ibixuma. Coapoiba. Buripicaiba. Ibiruba. Maratatabiba.



CARANA IBA & ANANACHI CARIRI Braſilienſibus. Arbor Palmæ dactyliferæ magnitudine & altitudine; ligno duro, ruffo ſeu brunno, craſſis nervis intus conſtante, nullius uſus: cortice exterius gryſeo, & cartilagine à terra ad quoddam ſpatium ſquamato, ſquamis ordine cochleatim poſitis, quæ primo longiores, ſucceſſu, breviores fiunt, imo tandem decidunt, ſuperne initio facto; nam arbores adultiores caudicis medietatem ſuperiorem habent glabram ut Cocoeiro, inferiorem ſolum ſquamatam; ſquamæ autem nihil aliud ſunt quam reliquiæ ramulorum, qui decidunt arbore in altum aſſurgente, enaſcentibus aliis, tunc enim ſuperiores rami manent, inferiores excidunt relinquentes has ſquamiformes reliquias. Ramos porro ſuos in ſummitate orbiculatim expandit directe ſurſum, deorſum, & ad latus ut palma dactylifera, ſed longe elegantiori adſpectu. Ramus quilibet duos vel tres pedes longus, compreſſus, in utroque latere acuto, duris ſpinis nigris armatus figura dentiſcalpium referentibus: unum in cujuſque rami extremitate folium rotundum figura & ita plicis donatum ut manuarium umbraculum fæminarum (*gallis paraſol*) viridis coloris, ab extremitate ad medietatem fere introrſum ſectum in multa alia carinata folia foliis Palmæ dactyliferæ ſimilia; quodlibet ex his ſectis foliis circiter duos pedes eſt longum. Inter ramos folioferos alii prodeunt longiores, quatuor, quinque aut ſex pedes longi, in multos alios ramos & ramulos, lanugine albeſcente obductos, expanſi alternatim, & quaſi è vaginula prodeuntes, in his exſiſtunt floſculi pallide flavi, ſine pediculis, tribus foliis conſtantes. Poſt hos proveniunt fructus, figura & magnitudine olivæ, virides, amari, nec edules, nec ullius uſus. Secta hæc arbor nunquam renaſcitur è caudice; tarde quin etiam creſcit & longo tempore opus habet ut grandeſcat. Folia ſerviunt ad tegendas caſas & corbes faciendos: è ligno autem circos faciunt, quibus pecora & jumenta includunt, vulgo *Curraes* Luſitanis.

ANNOTATIO. Ex nomine quis ſuſpicari poſſet hanc eſſe arborem quæ fundit reſinam illam quæ hodie magna copia Europæ infertur ex America Carannæ nomine, verum haud ita eſt, ſiquidem hanc ita deſcribit Fr. Ximenes. *Tlahuililocan* (quæ fert reſinam quæ ab Hiſpanis vocatur Caranna) eſt arbor grandis, trunco lævi, rubro & ſplendente atque odorifero; foliis oleæ fol. ſimilibus & decuſſatim ſive in crucem diſpoſitis; eſt acris atque mordax & nonnihil adſtringens. Reſina quam eliquat nominatur *Caranna*, obtinens eaſdem facultates, quas Tecomahaca atque adeo majores, licet non ſit in tanto uſu. Pulvis trunci aut corticis hauſtus valde corroborat cor & ventriculum; diſcutit flatus, corrigit quamvis intemperiem frigidam, ſanatque affectus uterinos. Cortex in aqua maceratus utilis eſt cordi; & hauſtus cum potione Cacao, prodeſt pectori & cordi: Fit ex hac reſina ceratum utiliſſimum adverſus varios dolores. Item oleum Americanis maximopere laudatum adverſus vulnera & hemorrhoidas: quod faciunt hoc modo: Recip. Terebinthinæ unc. VIII. olei de Liquidamber unc. III. Tecomahacæ, Carannæ, Balſami an. Vnc. II. Pulverum Maſtich. Myrrhæ, Aloës, Thuris, Sanguinis Draconis, Sarcocollæ an. Drach. & ſemis; pulveriſentur ſubtiliter, & ubi reſinæ liquefactæ fuerint, miſceantur & incorporentur ſecundum artem. Vide Monardem cap. III. obſervavi autem reſinam hanc adverſus dolores dentium, emplaſtro temporibus applicato, egregium eſſe remedium.



ÇOPAIBA Braſilienſibus: Arbor cui lignum rubrum, quaſi minio vulgari ſaturate tinctum, duritie fagino æquale, ex quo aſſeres lati fiunt ad varios uſus. Folia fert obrotunda aut etiam ovalia, quatuor aut quinque digitos longa, duos aut duos & ſemis lata, ubi latiſſima, in pediculis digitum longis, craſſis, nervo craſſo ſecundum longitudinem, & venulis pluribus tranſverſis, maxime conſpicuis poſtica parte. Florem fert mediocrem, quinque foliis obrotundis conſtantem. Fructus illius eſt ſili-

eſt ſiliqua obrotunda, magnitudine unius digiti, fuſca, quæ ſi digitis prematur facile aperitur & continet nucleum avellanæ nucis magnitudine & figura, cuticula nigra membranacea tectum, quæ ad medietatem veſtitur pauca pulpa lutea, odoris inſtar piſorum contuſorum: ipſe nucleus conſtat carne lenta, inſtar cornu emolliti, cedente dentibus, ſaporis haud manifeſti, coloris aquei, qui comeditur. Siliquæ maturæ decidunt, & colliguntur.



Hæc arbor dat oleum ſeu Balſamum limpidiſſimum, inſtar olei Terebinthinæ deſtillati conſiſtentia & ſapore, odoris reſinoſi. Hoc autem ſic colligitur: Circa arboris caudicem terebra ad medullam uſque perfodito, & applica vaſculum, & unius horæ ſpacio quatuor circiter cantharos olei habebis: ſin fluere plane non velit, ſinas foramen operculo obturatum ad Solis uſque occaſum, hinc reſera, oleum dabit ſine dubio. Pauxillum hujus calefactum & cum filamentis recenti vulneri impoſitum, ſanguinis fluxum ſiſtit & brevi illud ſanat. Nervis apprime amicum eſt: tres vel quatuor guttulæ in ovo ſorbili bis vel ter mane ſumtæ, dyſenteriam vel alios fluxus ventris ſiſtunt & curant. Calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu.

IBIXVMA Braſilienſibus, *Motamba* Angolenſibus, Arbor inſtar ceraſi ſilveſtris noſtratis, etiam ejuſmodi pene foliis, per ambitum venuſte ſerratis: cortice ex fuſco cinereo: ad quodlibet folium ſive illius pediculum brevis enaſcitur pediculus continens floſculos parvulos, quinque conſtantes foliis flavis deorſum flexis quaſi quinque uniones affixæ eſſent; in medio multa ſtaminula flava extant: ſuntque floſculi in umbellam congeſti. Fructum fert orbicularem, magnitudine globuli luſorii, primo quidem viridem per totum ſignatum tuberculis fuſcis: immaturus adhuc conciſus continet materiam lentam inſtar viſci; maturus autem nigreſcit & in quinque partes æquales ſponte finditur, continens ſemina fuſca, ſuis cellulis incluſa, magnitudine ſeminis ſinapi, figuræ ex rotunda quaſi oblongæ. Cortex hujus arboris detractus glutinoſus eſt, & deraſa exteriori cute fuſca, ſeu recens ſeu ſiccus uſurpatur, egregie Saponis vicem implet & tuto adhibetur ad omnia ad quæ Sapo Hiſpanicus.



Longe præſtat fructui *Sabaon*, ille enim acrimonia ſua nocet veſtibus, hic autem nequaquam

Naſcitur ubique in Braſilia quidem maxima copia.

COAPOIBA Braſilienſibus, *Pao Gamelo* Luſitanis; hujus Arboris aliquot reperiuntur ſpecies; *quarum duas Auctor ita deſcribit*. Prima ſpecies in Fagi altitudinem & figuram excreſcit, cortice cinereo cui aliquid fuſci admixtum, inſtar undulati panni. Folia habet ſolida, oblonga, inferius dilute virentia ſuperius ſaturatiora & ſplendentia, inſigni nervo ſecundum longitudinem, at nullis pene venis conſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

cuis tranſverſis: pediculus folii decerptus fundit aliquid lactei. Flores fert, quemque ſuo pediculo innitentem magnitudine roſæ, & foliis albis roſaceis conſtantem, ſuave rubentibus unguibus; umbelico in medio, qui conſtat globulo reſinoſo, flavo, magnitudine piſi: reſina illa clara eſt ut Terebinthina, glutinoſa, flava, odoris tamen injucundi: hunc circumdant multa ſtaminula rubra, arcte ſibi invicem adhærentia. Florem ſequitur fructus, capſulæ inſidens fere ut glans: immaturus ſecundum longitudinem conciſus, multos ſeminum ordines continet, magnitudine & figura ſeminum mali, tranſverſim per longitudinem poſitorum: quodlibet autem ſemen includitur pelliculæ ſuæ rubræ, atque alteri miniatæ pelliculæ involvitur. Caro fructus eſt flava & ſuccum exſudat flavum, jucundo aſpectu.

Lignum hujus arboris facile frangitur, & cortex licet craſſus ſponte ſe ſeparat à ligno, quod continet in ſe medullam mollem, quæ facile extrahi poteſt, ita ut lignum remaneat inſtar fiſtulæ

Altera ſpecies, magna eſt arbor, cortice gryſeo, in amplos ramos, ſeſe expandens: fert autem folia in frondes congeſta, oblonga, carinata ſimilia foliis Mureci, ſed non lanuginoſa. Fructus quoque hujus arboris, globuli luſorii magnitudine, rotundus, maturus viridis exterius, interius rubeſcens, & multis granulis fici modo refertus, ſiccus, ſaporis haud manifeſti, ita ut comedatur quidem à quibuſdam, ſed nullius ſit pretii.

CVRVPICAIBA Braſilienſibus (de quo tamen nomine ambigo) Arbor cortice fuſco, & inſtar Betulæ creſcens, folia habet oppoſita quinque vel ſeptem in uno ramulo, ſplendentia, acuminata, non ſerrata, Betulæ foliis viriditate ſimilia. Florem fert, *quem tamen Auctor non deſcripſit*. Poſt florem in interioribus ramulis proveniunt folliculi, primum virides, deinde rubicundi, magnitudine & figura piſtaceorum, qui quemadmodum & lignum ſpirant odorem fere ut Icica.



IBIRVBA Braſilienſibus. Arbor cortice, ligno & naſcendi modo Guajabæ ſimilis, ramos autem habet ut noſtra Ceraſus. Folia fert oblonga, duos aut tres digitos longa, membranacea, ſuperius ſaturate viridia, inferius pallida, uno nervo ſecundum longitudinem, nullis venis tranſverſis: duo ſemper ſibi invicem oppoſita, in ramorum quoque extremitate; duo quoque fructus ſibi opponuntur in ſuis pediculis prope oppoſita folia enati. Fert flores *(quos tamen Auctor non deſcripſit.)* Fructum autem fert in pediculis digitum longis, flavum ſeu aurei coloris, magnitudine pruni, ſed rotundum & verius pediculum turbinatum, ac umbelicum habentem cavum, quem circumſtant quatuor foliola, tertiam partem digiti longa, ex viridi incarnata; inferius itidem ad pediculum duo foliola. Hæc & illa reliqua ex flore è quorum medio fructus exſurgit: cuticula tenui veſtitus & carne ſucculenta fulva, ſaporis acidiuſculi ac paulatim amaricantis, haud ingrati: odoris ſubdulcis & vinoſi. Continet lapidem (ſæpe duos in uno latere planos & conjunctos, cætera rotundos) magnitudine ceraſini, rotundum, cortice tenui ſed duro veſtitum; qui continet intus nucleum album amaricantem. Similis eſt lapidi Vbapitanga, nec facile dignoſcuntur. Nucleus abjicitur, cætera commeduntur. Excellens eſt fructus & magna copia edi poteſt ſine noxa. Tranſplantatur per taleas.

MARATATABIBA Braſilienſibus. Arbor caudice recto aſſurgit, non craſſo, cortice cinereo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

nereo, ſuperius autem duorum, aut trium pedum longitudine pediculi enaſcuntur in orbem poſiti, quorum quilibet continet ſeptem, octo, novem aut decem folia in orbem diſpoſita, ſex, ſeptem, octo, aut novem digitos longa, foliis Ambaibæ ſubſtantia & colore ferme ſimilia, pediculo inſidentia, duos aut tres digitos longo, ſuperne viridia, inferne inſtar ſerici glabra, inſigni nervo & conſpicuis venis prædita. E longinquo Arbor videtur Ambajiba, ſed è propinquo differentia agnoſcitur.

CAP. XVIII.

Innominata. Iocara ſeu Iucoara. Pindoba. Tapyracoaynana ſeu Caſſia. Innominata.

ARBOR (cujus nomen ab Auctore non proditur) caudice recto & mediocris altitudinis, cortice cinereo, ligno fragili & medulloſo, ſuperius in multos ramos, ſed foliis fere nudos diſpeſcitur: folia tamen habet in illorum extremitatibus, in frondes congeſta, quinque, ſex, ſeptem juxta ſe ſuperne dilute viridia, inferne albicantia, quædam oblonga, quædam pene rotunda, nervo ſecundum longitudinem & venis tranſverſis ordine ſibi oppoſitis. Inter folia in frondibus etiam proveniunt pediculi duos circiter digitos longi, qui ſuperius multos floſculos oblongos in umbellam congeſtos ſuſtinent, albos, ſex foliolis conſtantes, ſuavis odoris. Fructus non meminit Auctor; *Hanc autem Iconem ex Herbis ſiccis ab ipſo collectis delineandam curavimus, in qua artifex nimium ſibi permiſit, neque enim folia ita venulis reticulata ſunt, ſed tantum habent nervum ſecundum longitudinem & venas tranſverſas ut in minimo folio; quod monendum duximus.*



IOCARA & IVCOARA Braſilienſibus, itidem Palmæ ſpecies: dimidiam altitudinem Coqueiro adipiſcitur, caudice recto, glabro, gryſeo, gracili (ideo ad ligna ædium uſurpatur) verſus ſummitatem more Coqueiro. Flos è ſiliqua provenit, videlicet ramus duos circiter pedes longus, multos ramulos expanſos habens, quemlibet tres circiter pedes longum, & floſculos per totum hunc parvulos, conſtantes tribus foliolis ex albo ſubflaveſcentibus & habentes in medio aliquot ſtaminula flava; totus autem ramus cum ſuis floribus flaveſcit. Poſt florem parvulus fructus provenit figura *coco*. Supra ſiliquam (quæ ambit ſuo exortu ſeu vagina arboris quaſi caudicem) folia in ſummitate proveniunt alata ut in Coqueiro, ſed breviora, nec alæ ita longæ ac latæ. In ſummitate arboris plerumque folium convolvitur ſtans erectum inſtar fiſtulæ. Admodum lentus eſt floris ramus & pro ſcopis, imo & flagello poteſt uſurpari.



PINDOBA Braſilienſibus, Species Palmæ nuciferæ caudice ut plurimum craſſiori quam Coqueiro, proceritate æquali vel etiam longe majore: caudex enim craſſus quatuor, quinque aut ſex pedes, cortice gryſeo ſeu cinereo, glabro, in quo vibices vix apparent, ſecus quam in Coqueiro. Folia fert alata ut Coqueiro, ſed quæ non ita in orbem dependent, ſed maximam partem ſtant ſurrecta. Prope foliorum exortum etiam rami proveniunt dependentes, qui proferunt racemos quatuor aut quinque pedes longos, plenos floſculis: poſt quos etiam racematim proveniunt fructus vel centum in uno racemo, qui maturi decidunt: eſt autem fructus ovi magnitudine & figura aut paulo etiam major, faſtigium in ſummi-

tate habens acuminatum, altera extremitate inſidet calici ſeu cupulæ ut nux pinea, ex foliis triangularibus conſtanti: maturus exterius è viridi flaveſcit vel etiam bruneſcit. Cortex exterior filamentoſus ut in Coco, verum haud craſſus, ſed duplam tantum craſſitiem teſtæ ovi habens; qui inciſus detrahi poteſt: illo detracto apparet pauca caro crocei coloris, nullo manifeſto ſapore, quæ ab Æthiopibus cum farinha commeditur: hæc ambit nucem duriſſimam, ovalem, ejuſdem ferme craſſitudinis cum Coco, verum caret tribus illis foraminulis: hæc diſcuſſa apparet intus in cavo, per interſtitium more juglandis diſtincto, nucleus magnitudine juglandis, candidus, duriuſculus, ſaporis ut Coco, ſed paulo ſiccior & ita ſuavis.



Ex carne crocea fit oleum croceum quod in lucernis uſurpatur: ex nucleo limpidiſſimum per expreſſionem ad condiendos cibos quamdiu recens eſt, & itidem ad lucernas quando vetus. Vtrumque qualitate frigidum, & illud è nucleo expreſſum loco roſacei olei uſurpatur.

E cortice nucis fiunt tubuli ad tabacum ſumendum, vocant *petumbuaba*.

E foliis hujus arboris fiunt tecta domorum, ſtoreæ, corbes & alia.

Majo menſe matureſcit fructus.

ARBOR (*cujus nomen ab Auctore non proditur*) cortice cinereo, albicante, multis ramis varie inflexis prædita. Lignum lentum quaſi ſalignum obtinet; folia autem oblonga, directe ſibi invicem oppoſita, ſolida, lævia, ſuperius egregia viriditate ſplendentia, inferius olivacea & ſplendentia & ad tactum inſtar holoſerici glabra: In extremitate ramorum fert multos floſculos, ſpicatim ſeu racematim congeſtos, ſuo pediculo deorſum incurvato inſidentes, lutei coloris & racemus florum elegantiſſime eſt diſpoſitus: poſt flores naſcuntur baccæ ribium magnitudine. *Vtrum edules ſint necne ab Auctore non additur.*



Iconem autem hanc ex herbis ſiccis ab Auctore collectis delineandam curavi. Folia ſicca ſuperna parte plane nigricant, inferna fuſceſcunt. Conſiſtentiam fructuum ex ſiccis obſervare non potui.

TAPYRACOAYNANA Braſilienſibus eſt Caſſia arbor cujus fructus *Cannafiſtola* Luſitanis & aliis. Arbor alta & magna, atque in plurimos ramos late deſtincta, colore exterius ex cinereo albicante. Folia fert ordine ſibi oppoſita, paulatimque ſurrectim ſtantia, figuræ cylindraceæ, duos digitos longa, & duas tertias partes digiti lata, breviſſimo pediculo innitentia inſtar foliorum ſenæ, dilute viridia; ſubtiliter hirſuta, ad tactum mollia, rubeſcente nervo ſecundum longitudinem, & venu-

lis ſe-

lis ſecundum latitudinem ordine poſitis prædita. Flores fert ſpicatim congeſtos ſine ramulis, quilibet conſtat quinque foliolis,& tribus ſemilunaribus corniculis, quæ cum ſtaminulis juncta poſitis ſurrecta ſtant, omnia coloris incarnati elegantiſſimi: eſt autem flos magnitudine æqualis Phaſeoli flori. Longe poſſunt arbores hæ florentes conſpici ob incarnatum illum colorem. Poſt flores ſequuntur ſiliquæ, immaturæ quidem virides, maturæ nigræ ſeu fuſcæ deorſum propendentes; quælibet circiter duos pedes longa, quinque digitos craſſa, paulatim incurvata ut enſis polonicus. In uno ejus latere eminentia duplex eſt ſecundum longitudinem, in altero ſimpla, quaſi chorda agglutinata eſſet ſub cortice: Nec rotunda nec teres exacte eſt ſiliqua, ſed conciſa, nam tranſverſim inciſio ellypſim deſcribit. Cortex exterius eſt inſtar corticis exterioris arboris, interior lignoſus & albus. Non poſſunt hi cortices ſimul frangi, ſed malleo concuti debent: Siliqua porro intus tranſverſim multas habet diſtinctiones, quarum quælibet craſſitiem pennæ anſerinæ capit. In qualibet autem cellula nucleus latet, magnitudine & figura amygdalæ, coloris ex albo flaveſcentis, ſplendens, lævis, durus, per longitudinem linea ſubruffa in uno latere diviſus, nucleum continens album, corneæ ſubſtantiæ. Quælibet præterea cellula continet ſubſtantiam glabram, glutinoſam, brunnam ſeu ſubnigram inſtar Caſſiæ ſolutivæ, ſed amari ſaporis & ingrati. Adſtringendi vim habet. Braſiliani fructum hunc vocant *Tapiracoiinana*.

CAP. XIX.

Quæra ìba. Iacaranda. Ibiraba. Tuinamtiiba. Curuuri. Camacari. Paco caatinga. Caaguacu iba. Iperoba.

QVERA IBA Braſilienſibus. Arbor cortice rugoſo & gryſeo, in ramis oppoſitos habens ramulos, & in horum quolibet tria, quatuor, aut quinque folia in frondem congeſta, pe-





diculis ſuis tres circiter digitos longis innitentia, pallide viridia, figura ſalviæ, ſemi aut digitum longa, ſolida & ad tactum dura, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis prædita. Flores fert flavos, inodoros, duos digitos longos, figura campanæ, ſuperius in quinque partes ſectos, interius autem habet totidem ſtaminula brevia, flava, pallidis apicibus. Ita ut arbor florens tota flava appareat, inſtar arboris quam Luſitani vocant *Pao d'arco:* nam racematim congeſti ſunt flores, & arbores hæ pauca habent folia.

Flores ſequitur ſiliqua longa & compreſſa, nullius uſus.

Cortex

Cortex hujus arboris contuſus & coctus oleum dat ad vulnera ſananda, & ulcera vetera in tibiis aut aliis partibus curanda efficaciſſimum.

Naſcitur hæc arbor locis graminoſis tam humidis quam ſiccis.

Floret menſe Decembri.

IACARANDA Braſilienſibus, duæ illius ſunt ſpecies, unius lignum eſt album, alterius nigrum ut *Palo ſanto* ac bene olens atque durum; album autem inodorum.

Iacaranda ligno albo, fert folia in ramulis alternatim ſibi oppoſitis, directe quoque ſibi oppoſita, tres circiter digitos longa, non ſerrata, ſuperne ſplendentia, obſcure viridia, inferius ex viridi quaſi albicantia & non ſplendentia. Floret hoc modo: in quolibet ramo verſus exteriora multi proveniunt ramuli, qui quaſi racematim per multos dies habent globulos, nuclei ceraſini magnitudine, aut paulo majore, coloris exterius ex olivaceo ſublutescentis, qui ſe aperientes in quinque ſcinduntur folia, quæ deorſum inclinantur, & interius tactu & viſu referunt holoſericum olivaceum ſplendens: his inſidet flos, unico folio luteo ſubrotundo ad latus explicato conſtans, è cujus regione ſurſum incurvata ſunt quatuor ſtamina alba ellypticæ figuræ, apicibus luteis, & in horum adhuc medio corniculum ex albo viride: in medio autem floris eriguntur multa ſtamina alba apicibus luteis, ſatis magnis, in ſcoparum ſetacearum modum. Flos dulcis odoris: fructus haud edulis.

Iacaranda ligno nigro reperitur in Capitania omnium ſanctorum. Sed in quibus à priori differat ab Auctore proditum non invenio.

IBIRABA Braſilienſibus, quoque duplex alba & nigra.



Ibiraba alba eſt arbor creſcens figura pyri, cortice fuſco, ramis inordinate poſitis: foliis ſolidis, ſaturate virentibus, alternatim poſitis, foliis pyri ſimilibus, quæ pediculis innituntur. Fert florem amplitudine roſæ, ſuaviſſimi odoris, & roſam pene ſuperantis, quinque foliis conſtantem pallide flavis, in medio flore eſt corpus flavum ſemilunare, more cochleæ in ſe convolutum caſtaneæ magnitudine, cito decidit & magna copia ſub arbore colligitur. Fructum fert inſtar poculi cum operculo ſuo plano, in medio paulum turbinato; in circumferentia poculi exterius ſexangulares eminentiæ ſunt, & magnitudo poculi eſt quaſi caſtaneæ, primo fructus eſt viridis, hinc fit fuſcus, cum maturuit operculum ſponte diſſilit, & caſtanea, quam continet unicam, excidit, magnitudine noſtræ avellanæ: poculum adhuc in arbore pendulum ad tempus manet. Atramentum ex hoc fructu paratur. Naſcitur paſſim. Floret menſibus Octobri & Novembri.

Ibiriba nigra, Luſitanis *preta* dicitur, *ſed hujus deſcriptio in authographo auctoris deſideratur.*

TVINAMTIIBA Braſilienſibus: Arbor cortice cinereo, ligno fragili; in mali ſilveſtris amplitudinem excreſcens; cui rami deciſi & terræ infixi, novas progenerant arbores, ideoque ad vivas ſepes ab indigenis uſurpatur. Iuniores arbores ſpinis acutis in caudice & ramis armatæ ſunt, adultiores amittunt ſpinas & in ramis varie diſtribuuntur: illæ nunquam florent, hæc contra: illæ ſemper habent folia, hæ nulla, ſed tantum flores; nimirum Decembri & Ianuario; poſt flores demum erumpunt folia, floribus decidentibus. Vtrarumque folia ſunt ſimilia ſubrotunda ſeu potius cordis ſublatioris figura, inferius tomentoſa, ſuperius glabra & dilutiora, tria ſemper ſibi appoſita more phaſeolorum, in pediculo ſemipedem circiter longo; & talium pediculorum tres, quatuor, quinque ſibi appoſiti ſunt, in frondis modum, totaque arbor frondoſa eſt, foliaque & flores multos in frondes congeſtos habet. Flos magnitudine Iridis florem ferme æquat unico conſtans folio crenato ſurſum erecto, ad cujus latus interius, cum adjacente tunica, è qua prorumpit, dulcis liquor continetur, ut in flore Paco, formicis gratiſſimus: & ex eadem multa habet ſtamina carinæ in modum ad latus ſenſim prodeuntia; coloris inſignis miniati, ſine odore tamen: ſtamina vergunt ad brunnum. Arbores florentes longe conſpici poſſunt inſtar panni miniati expanſi. Floribus cito & copioſe decidentibus, ſequuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


quuntur fructus, videlicet copioſæ ſiliquæ, ubi maturuerunt fuſcæ: quædam unum, quædam tres, quædam quinque digitos longæ, digitum craſſæ, teretes & in tot ventres elatæ & loculamenta diviſæ, quot continent phaſeolos: quorum quilibet magnitudinem habet nuclei avellanæ aut fabæ vulgaris; in totum eſt miniati coloris, & prope hilum qui fuſceſcit, parvam habet maculam nigram: interius autem ex albo flaveſcit. Nullus ejus uſus apud incolas.

An Coral arbor? Vide Car. Cluſium in Appendice ad Hiſtor. Rar. Plantarum.

CAP. XIV.

Cabui Iba. Pacoeira. Banana. Inaja guacaiba ſive Coqueiro.

CABVI IBA Braſilienſibus, *Pao amorello* Luſitanis: Arbor magna & alta, ramos & folia diſpoſita habens pene ut *Viſquiero*, ſed minora, & Tamarindiferæ arbori ſimilia.



Nihil præterea de hac arbore ab Auctore obſervatum inveni.

PACOEIRA Luſitanis, non eſt naturalis Braſiliæ: in Congo vocatur arbor *Quibuaaquitiba* & fructus *Quitiba*, Braſilienſibus *Pacobete*, Luſitanis *Pacoba*. Ex radice propagatur hoc modo: Primo erumpunt folia duo aut tria in fiſtulam convoluta, paulo poſt ſecundo ſe produnt ad quodlibet latus unum, in medio eſt fiſtula foliacea, & ſic ſenſim planta trium aut quatuor menſium ſpacio, in quinque, ſex, ſeptem pedum altitudinem adoleſcit, caudice tibiam humanam craſſo aut paulo craſſiori, ſpongioſo, foliis convolutis ſimilis, & uno ictu facile diſcindi poteſt. Superius octo, novem, etiam duodecim folia expandit elegantia; quodlibet quatuor, quinque, interdum & octo pedes longum; quatuordecim aut quindecim digitos latum. In utraque extremitate paulo anguſtius, nervo ſecundum longitudinem digitum humanum craſſo, qui etiam ſex aut ſeptem digitos craſſus, per ſex aut ſeptem digitorum longitudinem ſe exſerens è folio, pediculus folii vice fungitur. Nervus hic in ſuperiori ſuperficie tanquam canalis excavatur & tranſverſim lineæ ſubtiles



à nervo ad latera extenduntur. Suntque folia eleganter viridia, ad tactum lævia & ſolida inſtar chartæ membranaceæ, eodemque modo crepitant: Ideo non diu integra manent, ſed à vento agitata dilacerantur tranſverſim ſecundum ductum ſtriarum, & ſtrepitum excitant commota. Ex ſummitate caudicis hujus ſpongioſi, ſeu è medio foliorum prodit ramus ſeu brachium. Ramus hic primo quaſi ſemipedem longus, tener & pollicem humanum craſſus, in extremitate ſua continet corpus turbinatæ figuræ, magnitudine ſtrobyli majoris circiter quinque digitos lon-

tos longum, conſtans è foliis latis, ellypticæ figuræ, brunni coloris obſcuri, ſtriatis, quibus quaſi pulvis cinereus aſperſus: hæc complicata invicem conſtituunt illud corpus turbinatum: ſingulis autem diebus, unum, duo aut tria folia ſe pandunt, ſurſum verſus ſe convolvendo, nam turbinate corpus dependet. Subter foliis his expanſis apparent ſex, ſeptem aut octo flores, ordine juxta ſe poſiti, ex albo flaveſcentes, quilibet duos circiter digitos longus, ſcapus autem ſimilis parvæ ſcaphæ, cujus pars qua inſidet exortui ſuo, ſit prora, altera extremitas puppis, ex qua prominent quinque foliola anguſta, figuram habentia illius inſtrumenti quo nautæ utuntur in humectandis velis: eminent autem è puppi floris digiti longitudine, ex albo flaveſcentia, & in ambitu lateritio colore fimbriata: in medio porro eorum ſtamen luteum craſſiuſculum inſidet, figura baculi cum nodo in extremitate, quali incedunt nigritæ. Dimidia autem parte ſcapha tegmine ſubtenditur à prora incipiendo, ut in ſcaphis noſtris luſoriis: ſub hoc tegmine intus in ſcapha manna ſeu lentus humor continetur, ad tactum frigidus, ſaporis mellei, conſiſtentia & colore ſimilis albumini ovi recentis; in hoc humore ortum ſumunt quinque illa foliola cum ſtamine: delectantur formicæ admodum iſto nectare. Flores hos ſequuntur fructus ordine & arcte juxta ſe poſiti, quilibet brevi pediculo nitens, & oſtentans primo in umbelico ſuo florem, qui poſtea decidit: fructus autem indies augentur. Continentur plerumque in uno ramo, decem, duodecim, quatuordecim aut ſedecim numero, ut ita una planta proferat ſeptuaginta aut octuaginta, quos virides ſinunt donec flaveſcere incipiant. Fructus autem juſtam magnitudinem nactus magnitudinem habet cucumeris noſtratis oblongus & trilaterus quaſi, corio craſſiori tectus, quod facillime in tres partes digitis ſe dividi & detrahi ſinit. Pulpa mollis eſt inſtar butyri, medullam quaſi cucumeris per medium ſecundum longitudinem habens: boni eſt ſaporis & frequentiſſime comeditur vel ſolus vel cum farina Mandiocæ, vel coctus & frixus in oleo aut butyro. Ramus autem ille fructibus onuſtus interea dum illi matureſcunt augetur, & ad duorum pedum aut majorem longitudinem excreſcit, floreſque ſemper protrudit ex corpore illo foliaceo, ſed qui decidunt ſine ſpe fructus, nam una planta non facit plus fructuum quam nutrire & ad augmentum perducere poteſt. Maturis porro fructibus ramus cum illis abſcinditur, ut & tota planta: nam una planta unum tantum vivit annum & ſemel tantum facit fructum; ſæpiſſime quoque accidit ut antequam fructus maturi ſint planta cadat & pereat ni fulcris ſuſtentetur: ſive autem cadat ſive præcidatur perinde eſt; nam antequam ſeneſcat planta filius unus aut alter ex radice natus eſt & adſtat parenti, morientique ſuccedit & ſic in infinitum propagatio hujus plantæ ſuccedit: ideo maximi horti aluntur his plantis pleni: nam ſemel facta plantatione ulterius non opus eſt labore. Toto anno fructus habetur venalis.

ANNOTATIO. Iconem fructus dedimus in deſcriptione Americæ lib. xv. quam hic repetendam non duximus.

BANANA, Braſilienſibus *Pacobucu*, Congenſibus *Quibuca quiancacala* & fructus *Tincondo quiancacala*. Tota planta ut *Pacoeira*, at turbinatum illud floriferum corpus paulo minus eſt, & flores parum differunt: ſunt enim duos circiter digitos longi ex albo lutei coloris, & dulcis odoris: eſtque floris ſcapus non inſtar ſcaphæ, ſed rectus, attamen cavus, repræſentans canoam Branſilienſium; ſex foliola anguſta prominent è puppi, figuræ ut in præcedenti, & ejuſdem coloris, ſed ſtamen in medio deeſt: medietas anterior canoæ etiam tegitur cavo tegmine albo-flaveſcente. Eodem autem modo ut in Pacoeiræ (nimirum octo, novem aut decem digitos) plerunque autem non ita craſſi; & ſunt curvi ſive lunati; & ſubſtantia ſicciores quoque & ita meliores ad coquendum aut frixandum.

INAIA GVACVIBA cujus fructus *Inajaguacu* Braſilienſibus: In Congo vocatur *Ejaquiambutu* & fructus *Quiti inga quiambutu:* Palma nucifera, Luſitanis Coquiero, & fructus illius *Coco:* qui tribus ſuis foraminulis larvam repræſentat. Arbor caudice raro recto, ſed plerumque incurvato, quatuor, quinque, ſex aut etiam ſeptem pedes craſſo, triginta, quadraginta & interdum quinquaginta pedes alto. Cortex cinereus inſtar juglandis & quaſi vibicibus hinc inde tranſverſim per ambitum notatus. Lignum ejus nullius uſus, conſtat enim ex meris filamentis & eſt dulce quaſi lacteo ſucco turgens, unde arbore cæſa à formicis expetitur. Caret ramis. In ſummitate quindecim, octodecim, viginti aut plura habet folia magna, alata, in orbem diſperſa, partim ſurrecta, partim protenſa, partim dependentia, grati aſpectus. In exordio ſuo hæc folia alata textura quadam veſtita ſunt naturali, obſcure gryſei coloris, quaſi crudum textum cannabinum eſſet, & ſucceſſu temporis hæc textura ſe ſolvit ſubſequente altera & à vento circumagitur. Quodlibet folium alatum longum eſt circiter ſedecim pedes Rhinlandicos, ac in exortu pedem circiter craſſum, diſſectum in alas ordine juxta ſe poſitas & oppoſitas: quodlibet tale folium circiter tres pedes longum & longius, duos digitos latum & verſus extremitatem, anguſtius, acuminatum, habens in medio ſecundum longitudinem nervum oſſeum flaveſcentem, ac tranſverſim ordine ſubtiliſſimas ſtrias virides (ut & ipſum eſt) ac to-

tum carinatum, cavitate ſurſum verſa: ſubſtantia inſtar folii gladioli, læte viride ac ſplendens. Inter folia alata ex ſummitate arboris oritur ſiliqua ſive vagina duos & ſemis circiter pedes longa, craſſa in medio novem aut decem digitos, faſtigiata, viridis, ſtriata, quæ ſucceſſu temporis fuſceſcit ac ſponte rumpitur. Antequam autem rumpatur, eleganter intus compoſitus reperitur caulis, pedem longus, tres aut quatuor digitos craſſus in plures ramos pedales aut ſeſquipedales diſtinctus, qui rami ita apte à natura in theca complicati magnam ſpicam repræſentant. Rami hi onuſti ſunt ubique triangularibus corpuſculis magnitudine amygdalarum, albis, quæ rudimenta ſunt florum & hinc nucum: nam rupta vagina rami hi ſe explicant inſtar arbuſculæ & floſculos exhibent luteos. Hinc ſuccreſcunt fructus, quilibet inſiſtens ſuo brevi pediculo, pennam anſerinam craſſo, & cupulæ ſquamis conſtanti ex ruffo flaveſcentibus. Nux minor eſt viridis, matureſcens fit pallide flava, ſed plane matura lignei eſt coloris, figuræ oblongæ ſeu ovalis & quaſi triangularis: longa plerumque decem, duodecim, aut quatuordecim digitos, in ambitu craſſa duos & amplius pedes. Conſtat fructus totus primum exteriori tegumento, ſecundo cortice, tertio nucleo & quarto aqua. Exterius tegumentum, externe glabrum, in totum conſtat è filamentis craſſiuſculis, longis, coloris rufeſcentis inſtar lini, referens ſtuppam cannabinam craſſam ac crudam; eſtque in illa parte qua nux pediculo adhæret ſupra duos digitos craſſum, in reliquis lateribus circiter unum. Cortex eſt craſſus inſtar cranii humani, & ea extremitate qua adhæret ramo, tria habet formina, nucleum ceraſi capientia. In cavitate hujus corticis ſeu in ambitu ejus interiori adhæret nucleus, qui & ipſe ſua cuticula veſtitur in ſua convexitate (inter corticem & ſe) ruffi coloris, ad viſum ut nux muſcata. Nucleus, nuce matura, craſſus eſt duas tertias partes digiti, albiſſimus, lacteo ſucco turgens, ſaporis inſtar optimarum avellanarum. Sufficit unius nucis nucleus ad tres ſaturandos, denique in illa cavitate nuclei continetur aqua, pauca quidem quando plene maturuit nux & nucleus ſuam perfectionem adeptus eſt, nec ad potandum grata: ſed quando mediæ ætatis nux eſt, nimirum quando tegumentum flaveſcere incipit, cavitas illa eſt plena aqua ſuaviſſima (continet enim pintam Hollandicam aut amplius) pro magnitudine. Aqua hæc tum gratiſſima eſt ad potandum, dulcis, frigida ac clara. At hinc quum aqua abundat, nucleus adhuc mollis nec ita gratus eſt. Ergo pro aqua haurienda eliguntur mediæ maturitatis, pro nucleo edendo plane maturæ: nam aqua hæc in nutrimentum nuclei cedit. Ex nucleo maturo exprimitur lac, cui incoquitur oryza pro pulmento.

Hæc arbor in ſummitate ſua medullam albiſſimam continet quaſi bulboſam, nam in partes facile ſeparari poteſt inſtar allii aut ceparum. Hæc vocatur Latine palma & ea ablata arbor moritur, unde proverbium palmam referre. Medulla ea eſt albiſſima; punctulis quaſi poris dotata, ſucculenta, dulcis ſaporis, melioris utique quam optimarum nucum; comeditur cruda vel per ſe ſola, vel cum oleo & aceto, atque etiam coquitur. Arbor toto anno ſimul flores, fructus immaturos & maturos continet. Amat autem loca maritima & arenoſa prope ſepes & macerias: in mediterraneis non aut raro admodum reperitur, aut ſi plantetur ibi infructifera eſt, nec juſtam magnitudinem nanciſcitur.

Nunc etiam dicam quomodo plantetur & tranſplantetur, omnia ex propria mea obſervatione; nihil enim umquam ſcribam, quod non ipſemet viderim & expertus ſim. Fructus integer ſeu nux cum tegumento ſuo terræ leviter ſuppoſita ſeu tantum ſuper terram projecta, ſeptem menſium ſpacio progerminat: ex germine planta tranſplantata poſt annum, demum poſt ſeptem annos primitias dat fructuum. Modus progerminationis hic eſt: Nuce tota cum tegumento terræ commiſſa, ex foraminibus illis progerminat filamentoſum germen, ortum ducens ex aqua illa quæ in nuce continetur: antea autem aqua illa in ſpongioſam, albiſſimamque ſubſtantiam fuit congelata & in figuram nucis formata ut germen inde prodiret. Germen quando prodiit textura illa cannabina ſtatim cinctum eſt & habet tria vel quatuor folia arcte ſibi adhuc applicata ſine caudice. Nam etſi proveniret ad ſex, octo, vel decem pedum altitudinem adhuc nihil ſunt niſi folia atque caudices. Et quodlibet folium junioris arbuſculæ integrum eſt non ſectum in alas ut in veteribus, ſed plicatum ut pallia mulierum in Germania. Succeſſu autem temporis ſponte finditur & fiunt alata, & tunc arbor caudicem ſenſim acquirit ſub tunica illa texta qua inferius cingitur. Germen porro, de quo ante, cum emerſit è nuce, tunc ſtatim per totum craſſius tegumentum ſpargit radices filamentoſas, flavas, quæ hinc inde perforant illud tegumentoſum & prodeunt foras (nimirum pedalis aut majoris longitudinis ac lumbricorum craſſitudine) ac in terram ſe ingerunt: ſucceſſu temporis tota nux putredine abſumitur. Sin quæras unde nutrimentum habeat planta priuſquam radices in terra firmentur quod non ſtatim fit, dicam: Supra innui ex ſpongioſa illa ſubſtantia prodire germen, ex hac & ſimul nucleo qui adhæret ſuo cortici nutritur arbuſcula, nam quo citius eximas aliquam arbuſculam priuſquam radices egit in terram, eo plus nuclei invenies & contra. Tenaciter ſpongia adhæret per fibras fundo arbuſculæ, ita ut ex nuce eximi poſſit nucleo appendente. Iunio-

res fætus tranſplantantur aut non: ſi tranſplantare animus, id fiat anno ætatis primo aut ſecundo, & quidem menſe Iunio vel Iulio. Poſſunt & majores tranferri quatuor aut quinque annorum, ſed major pars moritur. Vidi tamen grandes viginti quatuor aut plurium annorum transferri feliciter anno 1640. Mauritiæ, adhibita multitudine hominum circiter trecentorum. E cortice nucis egregia fiunt pocula.

ANNOTATIO. De eadem arbore ita Fr. Ximenes. De Palmis quæ ferunt cocos, Mexicanis *Coyolli*, eſt arbor haud admodum craſſa, verum alta, cujus rami (quos proprie vocamus palmas) è faſtigio trunci eminent, quinque aut ſex numero erecti ad modum palmarum Hiſpaniæ & ab omni parte clare virentes: truncum habet rectum & cinerei coloris, in circuitu à radice uſque ad faſtigium, minutis veluti gradibus cinctum, quorum ope indigenæ facillime ad ſummitatem arboris enituntur. truncus eſt valde ſpongioſus: amat autem loca maritima, uti apparet in Inſulis Philippinis, Porturico; præſertim ad oram Coliniæ & Zacatulæ. Flos illius caſtaneæ flori ſimilis: fructus integer æquat molem capitis humani, eſtque oblongior & triangularis, & læte virens antequam decerpatur. Nux ipſa ſeritur & facile pullulat, tranſpoſitaque adoleſcit & brevi edit fructus, præſertim ſi cinere aut fimo bovino ſtercoretur & diligenter rigetur: radices agit neque profunde neque moli ſuæ æquales: truncus quoque ſecundum radices craſſior, quo altius aſcendit eo tenuior evadit; materies illius ad multa utilis. In Inſulis Philippinis non modo è materie illius faciunt naves, ſed & funibus & velis, aliiſque nauticis inſtrumentis eaſdem inſtruunt ex eadem arbore; & quod maxime mirum variis quoque mercibus onerant ex illa natis; oleo, vino, aceto, ſaccharo, fructu & ſimilibus. Etenim vulnerando teneros ramos inferiori parte, eliciunt liquorem quendam, qui vini loco uſurpatur: hic primo die ſuavis & guſtui gratus, ſequentibus fit inſipidior & denique plane inutilis, ſemper autem eſt ingrati odoris; & ſi crebro ſumatur generat craſſos humores, flatus & cruditates, licet moderate calefaciat & humectet, ſitque blandius noſtro vino & minus tentet cerebrum, niſi alia (ut vulgo ſolet) addantur. Porro Phtiſicis prodeſſe ferunt & qui renum affectibus laborant, ita ut vix ullos in Philippinis Inſulis reperiri dicant qui illis morbis tententur, quia illius potu partes illæ mundentur & arenulæ expellantur: verum ſummopere nocet illis qui hydrope aut lienis obſtructione laborant. Vinoſus hic liquor ſoli expoſitus aut alibi ſervatus per octiduum fit præſtantiſſimum acetum, quod minus ſiccat quam noſtrum, ſed igni admotum perdit ſuum vigorem, ideoque cum in cibis uſurpant, tum demum admiſcent cum edulia deferbuerunt. Durat quidem longo tempore, verum ſi pauxillum aquæ admiſceas ſtatim corrumpitur. Ex eodem vino cocto & ſpiſſato fit mel & ſaccharum, quod temperatura eſt calidum, humidumque & grati ſaporis: conſervatur longo tempore: lenit pectus & eſt utile adverſus rheumatiſmos: corroborat ventriculum & cerebrum: juvat concoctionem; denique ore ſumtum nihil differt colore & ſapore à noſtro ſaccharo candido: Nux ipſa recens ac tenera ſapore refert carduum, verum eſt dulcior & minus adſtringens; ſiſtit alvum, tollit cruditates & refocillat ventriculum. Putamen quod ſequitur & proprie vocatur *Coco* eſt nigri coloris & durum; ex eo bibere ſalubre judicatur, & ſine dubio corroborat nervos & ſanat paralyſin. Hoc putamine concluditur medulla candicans, grati ſaporis & amygdalarum dulcium æmula: ex hac contuſa exprimitur lacteus humor abſque ignis ope, qui utiliſſimus eſt ad necandos lumbricos inteſtinorum, ſi quantitate octo unciarum cum pauxillo ſalis mane ſumatur à jejunis, præſertim pueris & adoleſcentibus. Ex raſura ejuſdem medullæ cocta in aqua & bene agitata emergit oleum quoddam, quod recens commode cibis miſcetur & magni uſus eſt in medicina, temperie calidum & humidum. Hauſtum ſex aut octo unciarum quantitate purgat leniter ventriculum, & evacuat humores melancholicos & pituitoſos; licet dicant medullam illam per ſe alvum aſtringere: verum ad purgandum utendum eſt oleo recens expreſſo: mitigat præterea quoſvis dolores è cauſa frigida natos: eſtque admirabile remedium in vulneribus curandis, ſiſtit enim ſanguinem, mundat ſaniem & conſolidat illa: illitum lenit pectus & potum purgat illud, editque alios innumeros effectus quos recenſere longum eſſet: imprimis autem utiliſſimum ad nervos relaxandos & pertinaces dolores podagricos. Non autem tantum oleum, ſed quæ medulla continetur aqua inſtar lactis candida, ad plurima valet: ſanat febres, ſedat ſitim, temperat æſtum, mundat & ſanat oculos & conſumit ſuperfluam carnem quæ illos ſolet fædare, conciliat elegantem colorem vultui fæminarum; refrigerat atque humectat: purgat ſanguinem, ventriculum & ureteres, mitigat dolores & eſt gratiſſimi ſaporis, præſertim febricitantibus, qui licet ſudent magna copia poſſunt ſumere ſine noxa, modo ſint jejuni: nutrit egregie & eſt admirabile remedium adverſus febres bilioſas: & licet credatur flatus generare, tamen ſumere licet diebus purgationum; verum quibus alvus admodum laxa ſibi ab eo potu caveant neceſſe eſt. Stolones quoque ſive gemmæ ſuaves ſunt quemadmodum palmiti Africæ aut Algarviæ, verum amputari vix poſſunt ſine egregio arboris detrimento. Ne folia quidem inutilia ſunt, nam vinum hujus arboris

per illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

per illa colatur & præſtant vicem cribrorum: ex iiſdem galeri, ſtoreæ & plura alia texuntur. Perſuaſit mihi religioſus noſtri ordinis, qui multos annos in Philippinis habitaverat; in nonnullis cocis atque ipſa medulla & lacteo ſucco reperiri lapillos candidiſſimos, ovali forma, ſed una parte nonnihil depreſſos, qui ſingulare remedium ſint adverſus Nephritidem & geſtati affectum illum & dolores arceant: Religioſus autem ille unum brachio alligatum circumferebat. Hactenus Fr. Ximenes.

Multi præterea ſcripſerunt de hac Nuce, ut vocant, Indica, imprimis autem Monardes prolixe lib. I. Hiſtor. Aromatum cap. XXVI. Addidit & Car. Cluſius inſignes notas, & Icones arboris & fructuum, quas operæpretium erit videre. Legendi & alii Auctores.

Hoc tantum addo vidiſſe me plures ejuſmodi lapillos, qui in Cocis ferebantur generati, qui omnes erant forma ovali, inferiori parte compreſſi, figura & colore, niſi quod parum ſplendent, unionibus ſcoticis haud abſimiles, & diverſæ molis, & habeo unum ſatis grandem, quem curioſe ſervo, qui non multum abeſt à rotundo.

ANNOTATIO. Non abs re puto futurum, ſi hic adjungam tres deſcriptiones arborum, quas ab Emanuele de Moraes aliquando accepi.

IBIRA OBI Braſilienſibus, Arbor eſt inter Braſilianas procerrima, cujus materies eſt duriſſima & intus rubicunda, nulli pene putredini obnoxia, nullum fert fructum, naſcitur in vaſtiſſimis ſilvis & ſaltibus; Luſitani vocant *Pao ferro*, cum ob magnum pondus, quo ſtatim inſtar ferri mergitur, tum ob fortitudinem qua maxime ad ferrum accedit.

IBACAMUCI Arbor Silvis Parataningæ perfamiliaris, fert fructum fere ſimilem Limoni, pellicula tenui, ſucco multo, acri tamen inſtar labruſcæ, intus exigua & pauca grana continentem, dentibus noxium. Arbor eſt à paucis viſa & à pauciſſimis niſi per fructum cognita; vidi tamen ego multoties ob curioſitatem, nihil habet commune cum Mamoeira, ſed penitus differunt.


IABUTICABA eſt arbor recta atque procera, vaſtiſſimis ornata ramis: fert ab ima radice uſque ad ultimum ramorum apicem fructus in tanta abundantia & ita inter ſe junctos, ut corticem vix poſſis aſpicere: eſt autem fructus rotundus colore nigro, magnitudine parvi limonis, ſucco dulci inſtar uvæ bene maturæ; qualitatis temperatæ atque ſalubris, febricitantibus jucundiſſimus. Frequentiſſima eſt in præfectura S. Vincentii, præſertim in Silvis vaſtis Parataningæ & in mediterraneis præfecturæ Fluvii Ianuarii.

Hactenus Hiſtoria Plantarum.

GEORGI MARCGRAVI
RERUM NATURALIUM HISTORIÆ
LIBER QUARTUS,
Qui agit de Piſcibus Braſiliæ.

CAPUT PRIMUM.
Guamajacû apê ſpecies utraque. Guacucujâ.

GUAMAIACU APE Braſilienſibus: Piſcis triangularis; duplex eſt, unus cornutus, alter ſine cornibus. Cornutus ab ore ad initium caudæ ſeptem digitos eſt longus, (interdum & longior) à ventre ad dorſi ſummitatem tres digitos latus ſeu altus: venter vix duos digitos latitudine complet: cauda unum digitum lata, deſinens in pinnam duos digitos longam & totidem latam. Os ipſi parvulum & piſi tantum capax: habens in ſuperiori mandibula duodecim denticulos anguſtos, acutos, in inferiori quinque. Caput ab ore ad cornua uſque in gibbum aſſurgit, convexitate ſeſquidigiti; dorſum au-



tem ad eundem modum in gibbum arcuatur: & unicam tantum habet pinnam in poſtica parte verſus caudam, & quidem exilem. Oculos habet ſatis amplos, diametro trientis, superne in capite in fronte poſitos prope cornua, ab ore circiter ſeſquidigiti intervallo: & ante ſingulos oculos foraminulum unum. Pinnas in univerſum obtinet quinque, unam in extremo dorſo, ut jam dixi, & in quolibet latere unam, longe infra oculos verſus poſticam corporis partem paulum vergentes, unum digitum longas; & prope utramque rimam, unam plus ſemidigito longam, branchiarum loco: unam denique pinnam inferius in ventris extremitate prope exortum caudæ, unum pene digitum longam, dimidium latam: quinta facit caudam. Cornua duo directe ante ſe protenſa in fronte gerit prope oculos, magnitudine calcaris galli galinacei; duo itidem æqualis magnitudinis in infimo ventre verſus quartam pinnam. Caret ſquamis, ſed tegitur denſa cute, in ventre quidem alba, reliquo autem corpore fuſca, atque in ventre & lateribus uſque ad altitudinem oculorum figuris trigonis, tetragonis, pentagonis, hexagoniſque mire diſtincta & notata. Vbique autem (excepto infimo ventre) eadem cutis variis maculis nigricantibus eſt inſignita.

Guamaiacu ape ſine cornibus in fronte, paulo minor eſt antecedente, ſed latiore ventre & cauda paulo longiore; & eſt per totum corpus ſexangularibus figuris inſignitus, cum innumeris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


meris tuberculis minimis. Color ventris ſubflavus, reliquo corpore ex flavo cinereus & ſubfuſcus. Non longe ab Inſula Margarita captus à nautis noſtris piſcis ingens, quem vocant **Jacob Evertzen** in cujus ventriculo Guamajacu adhuc integer fuit inventus. Piſcis autem illius caro cocta & à viginti hominibus comeſta fuit, qui omnes ſtatim poſt manducationem male ſe habuerunt, & vix poſt multos dies ſumtis alexipharmacis convaluerunt: æſtima hinc malignam qualitatem guamajacu piſcis.

Alium talem accepi, cujus longitudo erat pedalis, altitudo quatuor digitorum, cujus totum corpus tectum erat teſta meris figuris ſexangularibus conſtante, fragili in recenti piſce, & quæ piſce Soli expoſito in hexagona corpora diſſolvebatur. Os anguſtum, denticuli oblongi lateſcentes, inferius quinque, ſuperius undecim. Oculi ampli, rotundi, magnitudine groſſi miſnici, pupilla cryſtallina, cætera coloris umbræ cum argenteo mixti. Cauda duos & ſemis digitos longa, teres extra teſtam prodiens, molli cute veſtita, habens pinnam duos digitos longam & totidem latam, quaſi quadratam, ſed in lateribus lunatam. Pinnæ ut in aliis hujus ſpeciei. Totus erat coloris albicantis cum gryſeo mixti. Quodlibet latus verſus poſteriora deſinebat in pinnam.

Caret fere carne ac cavus eſt, ſolam ſpinam ſecundum longitudinem habens, cui per membranas inteſtina adhærent. In ventriculo multum inveni arenæ.

ANNOTATIO. Agit de hoc piſce Aldrovandus lib. de piſcibus IV. cap. ult. & dat duas illius Icones. Obſervavi autem (nam multi ejuſmodi piſces ſiccati, utriuſque ſpeciei, ad nos è Braſilia & America afferuntur) figuras quibus cutis inſignitur plurimum inter ſe differre, & in quibuſdam ſe habere inſtar teſſulati pavimenti.

GUACUCUIA Braſilienſibus: Monoceros piſcis: Veſpertilio Aquaticus poſſet appellari. Corporis figura anterius eſt inſtar vomeris: corpus octo digitos longum, quinque latum in medio, ubi latiſſimum: medietas autem corporis poſterior rotunda eſt & verſus caudæ pinnam faſtigiatur in conum: medietas autem anterior vomeris ſeu lati cordis figurâ obtinet. Piſcis autem non craſſus, ſed latus; caput vix prominet ſeorſum à corpore, eſtque illi inter oculos ſupra os cornu im-



poſitum, durum, duos pene digitos longum, conicum. Oculos habet nummi miſnici magnitudine, pupilla cryſtallina lenticulari, reliqua pars variegata maculis & lineis flavis albiſque. Oris hiatus caſtaneam poteſt capere, ipſum edentulum eſt. Supra os carnea prominentia eſt inſtar tonſillæ humanæ fere. In utroque latere in medio piſcis, brachium eminet, quatuor digitos longum, una junctura conſtans; inferior medietas brachii duos digitos longa, plus uno lata, exterior pinna duos digitos longa eſt, unum lata in infimo ventre inter brachia duas habet pinnas ſeſquidigitum longas, quæ quaſi pedes ſunt. Cauda conſtat pinna duos digitos longa, ſeſquidigitum lata, ac fere quadrata. In inferiori corpore, ſeſquidigiti interſtitio à cauda etiam pinnulam habet parvam & talem etiam in dorſo, trium digitorum intervallo à cauda. Cute tegitur, non ſquamis, quæ ſuperius fuſca eſt, multis tuberculis duris, per dorſum inſignita verſus anticam partem, & utrumque latus. In utroque autem latere undecim nigras habet maculas lentis magnitudine & figurâ, binas ac binas juxta ſe poſitas. Prope inſertionem utriuſque branchii etiam multas ejuſmodi maculas nigras habet & ibidem in quolibet latere foramen parvum in corpus. In ſumma, in lateribus, circa oculos, in extremis branchiis, mire variegatur punctulis albis, nigris, lineiſque itidem albis & nigris, ut vix exprimi poſſit à pictore. In toto autem inferiori corpore egregii miniati eſt coloris, atque ibi cutis æqualis, verum ad tactum paulum hiſpida.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


CAP. II.

Tajaſica. Paru. Pira acangata. Acarauna. Guaperva. Piranema. Acarapucu.

TAIASICA Braſilienſibus. Piſcis octo aut novem digitos longus, corpore obterete & pyramidali, extenuatur enim verſus caudam. Caput eſt illi groſſiuſculum & compreſſum: oculi eminentes & nigri, circello aureo: os edentulum. Sex habet pinnas; nimirum ſub qualibet branchia unam oblongam, ſub his in medio inferius unam breviorem: unam in medio dorſo aliam longiorem verſus poſtremam dorſi partem, & è regione hujus unam in infimo corpore: ſeptima eſt cauda, oblonga & in exitu rotundata. Tegitur ſquamulis parvis, coloris hyalini pallidi, maculis variis fuſcis vermiculatis variegatus per totum, exceptis pinnis poſtbranchialibus & infimo ventre, quæ ex pallido ſubflaveſcunt. Cauda eſt undata fuſco. Latet in arena abſconditus, ideoque capitur pedibus, eos ponendo ſuper arenam ubi latet. Coctus atque aſſus bene ſapit & convenit cum Hollandorum **Poſt** / eſt enim carne albiſſima & friabili.




PARU Braſilienſibus: Piſcis eſt latus & ſubrotundus, verùm haud craſſus, novem aut decem digitos longus ab ore ad pinnam caudæ quæ duos & ſemis digitos longa ac totidem lata: latitudo piſcis ſeptem digitorum. Pinnas obtinet ſex: duas magnas ac latas duos circiter digitos; unam in dorſo, alteram in ventre, quæ utrobique ad caudam extenduntur; habetque quævis pinna in fine prominentiam inſtar funiculi, ea videlicet quæ in dorſo quinque digitos, quæ in ventre tres digitos longam. Poſt branchias in quolibet latere etiam pinna eſt duos digitos longa, unum lata; & duas in inferiori ventre ſub his, duos digitos longas, anguſtiſſimas. Capite eſt parvo, ore elato, anguſto, minutiſſimis dentibus albi coloris: oculis conſpicuis, flavo circulo circumdatis. Totum corpus veſtitur ſquamis mediocribus, quarum dimidius numerus niger eſt, dimidius autem flaveſcit, ita ut lunulas flavas in nigricante corpore geſtare videatur. Circa branchias flavedo eſt & in initio pinnarum, poſt aures macula flava in qualibet.



Piſcis eſt edulis.

PIRA ACANGATA Braſilienſibus, id eſt, piſcis duro capite: Percæ mediæ ſeu **Harders** magnitudine, ſeptem aut octo digitos longus, ore haud amplo, oculis nigris, circello nigricante aureo & ruffo colore mixto. Pinnas habet ſex & ſeptimam pro cauda: duas poſtbranchiales, duas in infimo ventre junctas, unam verſus poſteriora in ventre, & unam per totius dorſi longitudinem uſque ad caudam extenſam & erectam, firmis ſpinis ſuffultam quam in vaginam recondere poteſt. Pinna caudæ furcata. Tegitur ſquamulis argenteis, aureo & igneo colore tranſplendente, præſertim in dorſo: in ventre in argenteo thalaſſinus color tranſlucet. Pinna dorſi argentea tranſplendens & maculis fuſcis inſignita. Pinnæ laterales albæ, quæ in ventre cæruleſcentes. Caudæ quoque pinna in extremitate cæruleſcit. Eſt edulis.

ACARAUNA Braſilienſibus. Piſcis magnitudine exæquat Paru, ſed non eſt ita latus, & ſquamulas habet nigricantis coloris. Cauda eſt bifida, pinna tres digitos longa, duos lata. Pone utramque branchiam etiam pinnam habet, inferius in antica parte duas anguſtas. Per totum dorſum & per ventrem etiam pinnam utrobique extenſam, acutam, continuam, in poſtica parte corporis circiter unum digitum latam.




Os par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Os parvum, anguſtum, denticulis minutiſſimis. Oculi haud magni. In utroque latere prope caudam acutiſſimum habet aculeum; quos in latera poteſt recondere & evaginare & alios piſces lædere: quilibet aculeus fere digitum longus oſſe piſcino conſtans.

Piſcis eſt edulis.



GVAPERVA Braſilienſibus. Piſcis corpore lato & compreſſo, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latiſſimus. Ore parvulo, denticulis minimis. Pinnas habet ſex: poſt quamlibet branchiam unam, parallelogrammi figura: in infimo ventre duas oblongas: in dorſo & inferiore ventre extremo longam ac latam, quæ in acumen deſinunt, ſubulæ figura. Cauda quadrata ſeu potius parallelogramma, unum digitum longa, duas tertias digiti lata. Tegitur ſquamulis coloris nigri, ſplendentis inſtar bombycini, quarum oræ (non omnium ſed quarumdam) fimbrias flavas habent inſtar ſemilunularum. Pinnæ ſunt nigræ. Circa os linea craſſa purpurei eſt coloris, & illi perpendiculariter altera ſuppoſita. Corpus tres lineæ latæ ambiunt, quarum duæ per latus & poſticas pinnas extenduntur. Caudam etiam talis ſecat linea & ejuſdem coloris; una pro fimbria ipſi eſt oculorum pupilla nigra, circulo aureo.

PIRANEMA Braſilienſibus: piſcis mediocris carpionis ſeu percæ magnitudine; novem, decem aut undecim digitos longus; latus, ubi maxime, tres digitos aut paulo amplius. Os habet amplum, ſubrotundum, edentulum quidem, ſed acutiſſimis prominentiis aſperum: oculos magnos inſtar ſolidi Hollandici, pupilla cryſtallina, circulo albo ſplendente, qui ſuperius ad dimidiam partem coloris eſt miniati. Branchias habet admodum amplas. Pone has in quolibet latere pinnæ digitum quidem longæ ſed haud latæ, & ſubter has in ventre duæ ſibi propinquæ duos digitos longæ & ſeſquidigitum latæ, triangulares, ſpinis ſuffultæ. A ventris medietate ad caudæ exortum uſque pinna protenditur tres & ſemis digitum longa, unum lata, itidem ſpinis intertexta, quam abſcondere fere poteſt in rima ad hoc comparata: per univerſum dorſum ab occipitis fine ad exordium caudæ pinna extenditur quinque digitos longa, paulo plus digitum lata, tenui membrana conſtans, duabus & viginti ſpinis intertexta, quam erigere atque deprimere & fere abſcondere poteſt in rima. Cauda quæ à corpore protenditur ſeſquidigitum eſt longa, unum lata, pinnam habet tres & ſemis digitos latam, & plus quam ſeſquidigitum longam. Color totius piſcis eſt argenteus laccatus lacca florentiva. Squamulas habet minutilas quaſi triangulares: in ventre plus albicat, ſeu argenteo minus laccæ intermixtum cernitur.

Capitur in mari & boni eſt ſaporis, edulis.

ACARAPVCV Braſilienſibus; fluviatilis piſcis, in ſeſquipedalem longitudinem excreſcit, ubi latiſſimus quatuor aut quinque digitorum. Os acuminatum circiter duos digitos longum, haud amplum labia abſcondere & contrahere poteſt ut ſolum hiatus appareat, nullos habet dentes. Oculi magni, pupilla nigra ſplendente, circulo ex albo & fuſco mixto. Pinnas habet ſeptem: unam per dorſi longitudinem ad caudam fere extenſam, non latam, quam erigere & ſpinis ſuſtentare, atque recondere poteſt: poſtbranchiales duas, totidem in infimo ventre, unam poſt anum: Septimam pro cauda, furcatam quatuor aut quinque digitos longam. Totus ſplendet ſquamis argenteis minoribus: in dorſo tamen aliquid aurei admixtum: & in quolibet latere ſex oblongæ maculæ cæruleæ ruſeſcentes, non ita conſpicuæ. Pinna dorſi & cauda dilute cinerei ſunt coloris, ut & laterales: duæ in infimo ventre flaveſcunt paulum, ut & ea quæ prope anum. Edulis eſt.


CAP. III.

Pudiano vermelho. Pudiano verde. Juruucapeba. Jaguaruca. Carauna. Cururuca. Guaibiaya.


PVDIANO vermelho vulgo, ſed rectius Bodiano: Braſilienſibus *Aipimixira* & *tetimixira* Piſcis mediocris Percæ magnitudine. Latitudo corporis, ubi maxima, duorum digitorum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

prope caudam unius aut paulo plus. Corporis fere æqualis latitudo eſt. Caput parvum, os acutum, ſuperius in anteriori parte tres denticuli acuti, minimi, inferius item, & verſus interiora in utraque mandibula alii minimi denticuli. Oculos habet paululum eminentes, pupilla nigra, exteriori albo, hinc flavo circulo. Pinnas habet ſeptem: nimirum duas plus digito longas, haud latas, poſt branchias in utroque latere unam: ſub his duas junctas in ventre: aliam in ventre verſus caudam, duos digitos longam, ſecundum longitudinem adnatam: unam item talem in dorſo, tres & ſemis digitos longam: & ſeptimam pro cauda, quæ eſt quadrata, digitum longa & lata. Tegitur piſcis ſquamis ſubtilibus, ita arcte complicatis, ut ad tactum glaber eſſe videatur. Color totius corporis flavus cum aureo mixtus. Summitas autem capitis & totum dorſum ad media utrimque latera, & fere uſque ad finem dorſalis pinnæ purpurei eſt coloris egregii cum lacca mixti: extrema ora pinnæ majoris in ventre verſus caudam etiam purpuraſcit ut & pinnæ illi junctæ totaliter: reliquæ pinnæ flavæ cum aureo colore mixtæ, ut & totum reliquum corpus. Pars ultima pinnæ majoris in dorſo etiam flava ut & cauda. Piſcis eſt edulis.




PUDIANO VERDE Luſitan. Piſcis oblongus, nimirum decem digitos ab oris extremo ad caudæ initium; corpus tres digitos latum, circa caudam autem ſeſqui. Os acuminatum, haud amplum, anterius in ſuperiori mandibula habens duos dentes acutos, longos; & ſeriem denticulorum minimorum: inferius in anteriore parte quatuor, longos, acutos, & ſeriem minutorum candidorum. Oculos habet parvos, pupilla nigricante, circello primum aureo, dein exterius albeſcente. Pinnas obtinet ſeptem, nimirum unam per dorſi longitudinem extenſam, ſex & ſemis digitos longam, dimidium latam, quam ſpinis erigere & ſuſtinere poteſt: poſt utramque branchiam unam, duos digitos longam, paulo plus uno latam: ſub ventre duas parvas junctas: à medio autem ventre inferiori una tendit pene ad caudæ exortum, quatuor digitos longa, unum fere lata: Septima pinna eſt cauda, quæ eſt quadrata aut parallelogrammi figura, ſeſquidigitum longa, duos lata.



Totus piſcis veſtitur ſquamis latis, quæ ita compoſitæ ſunt, ut meri cubi ſibi appoſiti videantur; lutei ſeu aurei coloris ac per totum ambitum linea ſeu fimbria elegantiſſima azuri ſeu cærulei coloris. Caput ſuperius aureum eſt cum magna macula coloris ex viridi thalaſſini, circumdata azureo & azureis flavis ſubviridibus & albicantibus ſtriis variegatum. Pinnæ duæ laterales ſeu poſtbranchiales & duæ in ventre albicant, in laterali ambitu cærulea lineola prædità. Pinna dorſalis aurei eſt coloris & ſtriis undulatis cæruleis ſecundum longitudinem notata, quæ in ventre major ex ruffo ad brunnum vergit colorem, ſtriis itidem cæruleis ſecundum longitudinem. Cauda rufeſcit ſtriata thalaſſino ac cæruleo ſecundum longitudinem, in extremitate autem paululum vireſcit. Piſcis inſignis coloris & edulis. Capitur in mari.


IURUUCAPEBA Braſilienſibus: aut etiam ITAIARA dictus. Piſcis longus ſeptem aut octo digitos, duos aut tres latus, ubi latiſſimus: ore ſatis patulo, & ex triangulari rotundo, lingua anguſta, brevi, denticulis minutiſſimis: oculis rotundis, pupilla cryſtallina & circulo rubro. Poſt branchias in utroque latere habet pinnam ſeſquidigitum longam, quadratam & exterius circinatam: ſubter has, duas in inferiori ventre junctas; paulo poſt occipitium incipit pinna, anteriori medietate ſpinis ſuffulta, poſteriori mollis, quæ tendit ſecundum longitudinem dorſi ad caudam uſque, & ſemper fit latior, prope caudam digitum lata. In inferiore corpore verſus caudam etiam pinnam habet haud amplam. Cauda conſtat




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

conſtat pinna ſeſquidigitum longa, plus uno lata, & quadrata. Squamatus piſcis, ſed ſquamis ita complicatis ut lævis eſſe videatur. Piſcis univerſi color egregie ruber, in ventre autem ex rubro & albo maculatus; in lateribus autem conſtanter maculas habet puniceas, nigras, varias, majores & minores. Pinnæ omnes ſunt rubræ & nigro maculatæ.

Pinguis eſt piſcis & boni ſaporis, optimus tamen aſſatus. Capitur in mari inter ſcopulos. Parieti recens appenſus noctu toto corpore clare lucet.



JAGVARACA Braſilienſibus. Piſcis mediocris Percæ magnitudine, ore acuto, edentulus. Oculos habet magnos, pupilla cryſtallina nigra, magna & ampla, circulo coloris argentei, & ſuperius maculam ſanguineam habente. Pinnas habet in lateribus & infimo ventre ſimiles præcedenti piſci: per dorſum vero ſecundum longitudinem extenditur pinna digitum lata, uſque ad unum digitum ab initio caudæ, conſtans tenui membranula undecim ſpinis acutiſſimis ſuffulta, quam poteſt elevare & ſubſternere pro libitu: atque non ſolum componere ſed & abſcondere in rima cui pinna inſidet. Hanc ſequitur alia contigua, unum digitum lata, pertingens ad caudæ exortum, duos digitos longa, triangularis & ſuperius deſinens in acumen. Caudæ autem pars reliquo corpori ſubtenſa ſubrotunda eſt, ſeſquidigitum longa, continens pinnam furcatam, cujus pars inferior duos digitos longa, ſuperior paulo longior. Ad branchias in utroque latere, in quolibet duos habet aculeos, in quorum medio alii ſunt minimi: his branchiis & aculeis ferit & vulnerat: ferit etiam cum pinna dorſali & cum iis quæ ſunt in infimo ventre, ad quarum ſingularum latus aculeus eſt ſatis longus, & quidem in pinna prope caudam in infimo ventre ſpina eſt unum digitum longa. Totus piſcis tectus eſt ſquamulis eleganter diſpoſitis; & quælibet ſquamula in ambitu minutiſſime eſt ſerrata. Color totius corporis eſt argenteus, in ventre plane albicat. Caput ſuperius incarnati eſt coloris, & hiſpida teſta munitum. Pinnæ omnes coloris ſunt dilute incarnati: ea autem quæ in dorſo ſpinis ſuffulta prope ſpinas auro eſt umbrata. Caro pinguis & boni ſaporis, præſertim ſi piſcis aſſetur. Capitur in mari inter ſcopulos.



CARAVNA Braſilienſibus: Piſcis hic magnitudinem & figuram habet ut *Iuruucapeba*, differt tamen capite & colore corporis. Pinnas quoque eodem modo poſitas habet ut ille. Os autem obtinet lunatum; denteſque habet acutiſſimos, ſed minutos: Branchias amplas, quæ aculeis in poſtica parte ſunt munitæ. Oculi verſus ſummitatem capitis in lateribus poſiti non longe ab invicem, haud magni, pupilla ovali nigra, quam ambit circulus ruber. Squamulis in univerſum veſtitur lunatis, coloris miniati per totum, & ubique punctula nigra, magnitudine ſeminis papaveris inſparſa habet, præterquam in ventre.

Capitur in mari inter ſcopulos: eſtque edulis, molli admodum carne atque boni ſaporis.

CVRVRVCA Braſilienſibus: Species *Corvinæ*; piſcis fluviatilis, ſeſquipedem longus, corpore oblongo; ore ſatis amplo, oculis mediocribus, nigris. Pinnas habet ſeptem: unam per dorſi longitudinem ad caudam fere protenſam, quæ diviſa eſt & prior pars latior, tres digitos ferme; & totidem longa, triangularis, ſpinis ſuffulta, poſterior longior, ſed exilior. Cauda fere quadrata. Squamas habet mediocris magnitudinis argenteas, cum aureo & ſubfuſco pauco mixtas, præſertim in dorſo & lateribus. Pinnæ in dorſo & lateribus ac cauda, cinereæ: in medio ventre flaveſcunt & fuſceſcunt. Edulis eſt.

GVAIBIAYA Braſilienſibus, eſt *Sargus*, convenit enim optime cum deſcriptione Geſneri.


CAP. IV.

Guatucupa juba. Pacamo. Petimbuaba. Pira jurumenbeca.


GVATVCVPA IVBA Braſilienſibus piſcis in duorum pedum longitudinem excreſcit, dorſo paulum incurvato. Os habet triangulare, acuminatum, dentes parvos acutiſſimos. Oculos magnitudine ſtuferi Hollandici, pupilla magna, nigra, ſplendente circulo rubro. Pinnas habet molles ſine ſpinis in lateribus: nimirum unam in quolibet latere, poſt branchias, anguſtam, duos & ſemis digitos longam: duas tales junctas in ventre ſubter illas unica ſpina munitas: & unam prope anum digitum longam ac latam, unica quoque ſpina armatam. Ante medium dorſum verſus occiput, incipit pinna deſinens ad caudæ initium, quinque digitos longa, unum fere lata, quæ duabus & viginti ſpinis erigitur: cauda duos pene digitos longa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

unum lata, pinnam habet plus uno digito longam & quatuor latam paululumque exterius verſus interiora arcuatam. Veſtitur ſquamis paulo majoribus, coloris argentei & ſtriis flavis & ex argenteo ruſeſcentibus ſecundum longitudinem extenſis à capite ad caudam uſque. In utroque latere etiam à capite ad caudam eminens linea tendit. Caput ex argenteo, ruſo, flavo mixtum. Pinnæ albæ ſive argenteæ, caudæ pinna ruffa: venter albus. Capitur in mari inter ſcopulos. Boni eſt ſaporis, & lingua & caro circa mandibulas longe optimi ut in Carpione.



PACAMO Braſilienſibus, Luſitanis *Enxaroco*, marinus piſcis qui capitur inter ſcopulos; carne eſt boni ſaporis, cute & colore ut noſtrates Aalrupe: longus eſt totus fere undecim digitos. Corpus autem verſus poſteriora paulum gracileſcit. Caput illi eſt magnum, latum & craſſum, inſtar orbis, rictu ranæ. Os lunatum, amplum & in eo in utraque maxilla unus ordo dentium non acutorum quidem ſed ſolidorum; in inferiori maxilla vero, antica oris parte, ordo eſt duplex. Oculos habet haud magnos, nigros, non longe ab invicem diſtantes, prominentes & ſupra quemlibet oculum eminentiam quandam cutaceam, inſtar corniculi, quemadmodum & in qualibet gena & circa os inferius, quatuor. Poſt branchias (quas carnoſas habet & molles, anguſtaſque) pinnam obtinet mollem cutaceam in quolibet latere, duos digitos longam & plus uno latam: in ventre etiam ſubter has duas cutaceas pinnas anguſtas, ſeſquidigitum fere longas, figura inſtar lumbrici, conſpicuas. Pinnæ ab ano & à medietate dorſi ad caudam deſinentes vix prominent, ſuntque cutaceæ ac molles. Cauda pinnam habet plus uno digito longam cutaceam item & mollem. Cutis eſt glabra & in utroque latere à branchiis ad caudam quadruplicem habet ordinem punctulorum alborum. Pinguis eſt piſcis & valde bona carne. Cutis illius facile detrahi poteſt. Aſſatus tamen melior eſt quam coctus.



ANNOTATIO. Aldrovandus lib. III. de Piſcibus cap. 64. Scribit ranam marinam ſeu piſcatricem in Luſitania vocari *Emxaroco*; ſed Icones quas dat multum differunt ab hac noſtra.



PETIMBVABA Braſilienſibus; vulgo **Tabac-pijpe**/ à figura dictus: Piſcis tres aut quatuor pedes longus, corpore inſtar Anguillæ. Os edentulum acuminatum, ſuperiori mandibula breviori quam ſit inferior: eſtque longitudo oris ſeſquidigiti, amplitudo, ubi maxima, vix unius. Caput novem digitos longum eſt ab oculis ad oris extremum, craſſities ejus poſt oculos quinque digitorum, hinc paulatim minuitur, ita ut prope os ſit trium tantum digitorum. In ſumma autem longitudo capitis à fine branchiarum ad oris extremum eſt unius pedis & unius digiti. Oculos habet ſatis magnos, magnitudine nucis avellanæ & pene figura, pupilla ſplendida cæruleſcente, quam tunica ambit argentea, in parte anteriori & poſteriori macula miniata notata. Poſt branchias in utroque latere, pinna directe protenditur à latere ſeſquidigitum lata & longa ruſeſcentis coloris: hinc ſex & ſemis digitorum intervallo verſus poſticam corporis partem, duæ pinnæ parvæ ruſeſcunt in quolibet latere una, ſed magis verſus ventrem. Poſt has pedis intervallo ſequitur pinna ruſeſcens duos digitos longa, ſeſquidigitum lata: ſub hac autem ejuſdem magnitudinis & coloris una in infimo ventre: demum à fine harum intervallo fere quinque digitorum ſunt adhuc duæ pinnæ ruſeſcentes paulo minores ſuperioribus, una ſurſum, altera deorſum elata: & inter has ortum ſumit cauda inſtar murenæ tenuis, teres, ſex digitos longa. Corporis autem longitudo à fine branchiarum ad caudæ initium eſt duorum pedum & trium digitorum. Cute eſt inſtar Anguillæ glabra, coloris in toto corpore & lateribus ab ore ad caudam, hepatici, in dorſo triplici, in capite duplici, in lateribus unica ſerie macularum cærulearum magnitudine nummi miſnici fere: hæ maculæ à medio corporis in lateribus ad caudam uſque in lineas coëunt: inter omnes autem maculas cæru-

cæruleas ordine intercedunt maculæ vireſcentes. In inferiori corpore tam ſub capite quam ventre albeſcit & videtur aliqua rubedo inſperſa. Corpus autem univerſum non exacte teres eſt ſed compreſſum & latiuſculum, ventris enim latitudo prope ſecundum par pinnarum ubi latiſſimus, duorum digitorum, craſſities ibidem totius corporis ſex digitorum. Hinc paulatim attenuatur donec prope exortum caudæ ſit ſeſquidigitum paulo plus aut minus craſſum. Edulis eſt piſcis.

Acus piſcis vocari poteſt de quo vide Geſnerum.


ANNOTATIO. Aldrovandus lib. 1. de piſcibus, dat aliquot icones Acus piſcis, ſed nulla illarum convenit cum hac quam Auctor accurate delineat, quamque & coloribus ſuis pictam vidimus; niſi forte Acus minor Bellonii, excepto quod hæc noſtra ad caudam pinnam non habeat, ut illa.

PIRA IURUMENBECA Braſilienſibus; vulgo *Bocamolle*, quia molli ore & aquis extractus ſtatim moritur: vivit in mari in cæno: oblongus piſcis haud latus: novem aut decem interdum pedes longus, duos & ſemis latus, ubi latiſſimus. Os habet elevatum; quod ampliare & rotundare poteſt: oculos magnos, pupilla cryſtallina, circulo ex argenteo & brunno mixto. Septem habet pinnas, duas anguſtas poſtbranchiales, duos digitos longas: duas in infimo ventre junctas, duos fere digitos longas, unum latas: unam poſt anum firma ſpina ſuffultam: ſextam per totum dorſum extenſam & biſectam; anterior ejus pars plus ſeſquidigito longa, unum lata, triangularis, quam erigere & in rimam recondere poteſt, mollis & tranſlucens, altera pars uſque ad caudam fere porrecta, tres digitos longa, ſemidigitum lata, itidem mollis. Septima eſt cauda, duos fere digitos longa, ſeſquidigitum lata, figura pentagoni cujus baſis inſerta in corpus. Squamas habet toto corpore argenteas, ſplendentes, mediocris magnitudinis; in dorſo viridis & aureus color tranſplendet: Pinnæ argenteæ & in medietate exteriore aureæ. In quolibet latere linea tendit paulum elata, etiam argentei coloris ut reliquum corpus. Edulis eſt & boni ſaporis.

CAP. V.

Nhamdiâ. Guaperuâ. Curuata pinima. Tamoata.

NHAMDIA Braſilienſibus, *Bagre do Rio* vocatur à Luſitanis, piſcis corpore oblongo, obeſo, ventre molli, verſus poſteriora anguſtiori. Capite compreſſo & ore parabolicæ figuræ & denticulis minimis prædito. Eſt autem corpus duodecim aut quatuordecim digitos longũ, duos & ſemis altum, ubi altiſſimum. Oculi parvuli, paululum protuberantes, rotundi, pupilla nigra, circulo ex auro & umbra mixto. Branchiæ ſatis amplæ, & barba ſex filis conſtans, duobus ſupra & quatuor infra os: eorum quæ ſupra os verſus latus ſtant quodlibet craſſitiem habet fili quo literæ obſignantur, quinque digitos longum & poſt cujuſque exortum fovea eſt oblonga, in quam barbæ initium incumbit, vertendo illam poſtica parte, ut ſemper facit: quatuor inferiorum quodlibet exterius duos & ſemis digitos longum, interius ſeſquidigitum; ſuntque inferiora fila barbæ non ita craſſa ut ſuperiora. Pinnas habet ſeptem & octava eſt pro cauda: nimirum poſt quamlibet branchiam unam oblongam, firmiſſima & acuta ſpina munitam (quemadmodum & in exortu ipſius poſt branchiam os durum eſt triangulare) ad medietatem corporis ante anum duas junctas oblongas, in extremitate circinatas: verſus caudam in inferiore ventre unam fere quadratam & in extremitate circinatam: in ſummitate dorſi magnam quadratam multis ſpinis ſuffultam, & poſt illam unam longam anguſtam, cute carnoſa conſtantem, qua & corpus eſt tectum. Cauda biſecta eſt & quælibet pars in exitu circinata. Cute tegitur non ſquamis. Caput dura teſta tectum, oſque ſuperius totum umbræ coloris: dorſum & latera cinerei cum pauxillo cæruleo mixti: venter albus: pinna dorſalis prior prope exortum ejuſdem coloris,




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

coloris, cætera in totum nigri, ſpinis cinereis: poſterior ejuſdem coloris cum dorſo & lateribus: pinnæ poſtbranchiales totæ nigræ: barba nigra, uti & pinnæ ventris & cauda, licet in exortu paululum ruffæ. A ſummitate branchiarum per quodlibet latus tendit in medio linea rubra uſque ad caudæ initium.

Capitur in fluviis, & eſt optimi ſaporis, vulgoque comeditur.

GUAPERVA Braſilienſibus, piſcis cujus longitudo ab initio oris ad exortum caudæ paulo plus duorum digitorum (reperiuntur tamen & duplo majores;) corporis medii craſſities, ubi maxima, trium: laterum quodlibet unum digitum altum.




Caret omnino branchiis: os habet ſatis amplum & elatum, projectum inſtar canis, minutiſſimis denticulis; loco linguæ lapidem habet inſtar Carpionis: ocellos vix grani milii magnitudine, colore egregii turcoidis. Inter ocellos in medio ſuperioris labii ſeu in fronte corniculum gerit ſurſum erectum & paulum retrorſum verſum, & ante illud corniculum etiam filum tenue & dimidium ferme digitum longum verſus anteriora directe protenſum, paululum tamen elevatum, cui appendiculum adhæret ut in Liliis: filum hoc retro recondere poteſt: nam poſt corniculum fovea eſt in vertice, hinc parva eminentia & iterum vallis, tunc ad unius digiti longitudinem pinna in dorſo porrigitur quadrantem lata. Cauda pinnulam habet plus ſemidigitum longam: à cauda interſtitio aliquo verſus anteriora circa ani regionem iterum pinnula eſt ſemidigitum longa & duæ parvulæ in inferiori corpore ſub pectore. In medio autem fere corpore, magis tamen verſus anteriora, in quolibet latere brachium obtinet, deſinens in pinnam duas trientes digiti longam, & pene ita latam, pinna autem brachiorum octo conſtat ſpinis quæ per pinnæ longitudinem diſparguntur & anterius prominent inſtar octo unguiculorum acutorum. Brachium quodlibet unica conſtat junctura ac verſus anteriora deflectit ut ita naturæ piſcis commodius ſerviat. Caret in totum ſquamis ſed tegitur cute in ventre molli, reliquo corpore ad tactum aſpera & ſcabra, ut in Tiburonibus.

Color cutis eſt obſcure rubricans, cui fuſcus admixtus, & per totum corpus maculas habet nigras, figura undarum. Pinnæ & brachia etiam ejuſdem ſunt coloris cum fuſco mixti. Sed pinna in dorſo in quolibet latere quatuor habet maculas nigras majores: cauda vero & omnes pinnæ minores eleganter variegatæ ſunt. Ventriculum habet duos digitos longum, cum orificio tres digitos longo & duos circiter amplo, quod in ipſas fauces inſeritur: Vnde ventriculum inflare inſtar utriculi poteſt. Caro ejus non comeditur. Ad orbium claſſem pertinet. Veſcitur ſquillis: natans egregie explicat pinnas & inflat ſe ut inſtar orbis ſeu pilei appareat rotundus. Habui alium tantum colore differentem, duos & ſemis digitos longum, qui totus erat coracini coloris ſplendentis, & ſe inflabat.

Cutis horum piſcium facile detrahi poteſt & tomento impleta ſervari.

ANNOTATIO. In deſcriptione noſtra Americæ lib. XV. cap. 12. Iconem dedimus hujus piſcis ſub nomine *Pira-Vtoewah*, quia eo nomine ad nos erat miſſus, quod hic revocandum duximus.

CURVATA PINIMA Braſilienſibus, Luſitanis *Bointo*. Piſcis eſt Cordcovadi magnitudine, vel etiam major, corpore oblongo, ſatis tamen lato & craſſo, amplis branchiis, oculis grandibus argenteis. Caret ſquamis & tegitur ſolummodo cute præterquam in medio laterum: nam




cujuſlibet lateris medium à branchiis uſque ad caudam permeat lata linea aurei coloris; hinc à branchiis incipiens alia parallelos ſuperius ducitur ad duas partes totius longitudinis; hinc hæc parallela ſecat oblique auream, & pergit parallelos uſque ad caudam: linea hæc parallela aureæ anterius & uſque dum auream ſecat, duplici ſquamularum ſerie minimarum inſignitur, & tota eſt glabra; poſtica parte ubi ſecat auream & infra itidem duplici ſerie ſquamarum notata, ſed majorum, & linea ipſa non eſt glabra ut anterius, ſed aculeata quaſi denticulus piſcium. Color piſ-

lor piſcis in dorſo & lateribus ſubvireſcens, in ventre albus & ſplendens. Pinnas habet ſeptem, nimirum poſt quamlibet branchiam unam oblongam: duas ſub his verſus poſteriora junctas in infimo corpore: unam in medio ventre, & huic oppoſitam unam in ſummo dorſo, & adhuc in dorſo unam magis verſus anteriora. Ab ultima dorſali & ventris pinna continua, haud lata, acuta utrobique abit ad exordium caudæ: quæ furcata eſt. Capitur frequentius in mari, & boni eſt ſaporis.

ANNOTATIO. Geſnerus ſcribit Thunnum vel Thynnum veterum, à Luſitanis appellari *Bonito:* item & Amiam ab aliis Boniton appellari è Rondeletio. Sed nulla iconum quas ille dat, ſatis cum hac noſtra convenit.

TAMOATA Braſilienſibus, Luſitanis *Soldido* (quia armatus) piſcis fluviatilis ſeu aquæ dulcis, edulis. Longitudo corporis ab occipitio ad initium caudæ trium & ſemis digitorum; longitudo capitis unius digiti; latitudo paulo major. Craſſities corporis; ubi maxima, nimi-



rum poſt occipitium, trium, circa caudam duorum. Caput latum ranæ ferme modo; os haud amplum; ad cujus quodlibet latus filum habet unum digitum longum inſtar barbæ, os edentulum. Oculi minimi cryſtallini, magnitudine ſeminis papaveris, circello aurato cincti. Pinnas obtinet octo; ad quamlibet branchiam unam, digitum longam, firmam inſtar cornu in uno latere, directe à latere protenſam: duas in infimo ventre, non ita firmas at ejuſdem magnitudinis: unam in medio dorſo, alteram in eodem dorſo prope caudam, minimam: unam parvam in infimo ventre prope caudam & octavam pro cauda, digitum longam & latam. Totum caput ſuperius tegitur teſta dura inſtar clypei: & univerſum corpus veſtitum eſt lorica ex oblongis ſquamoſis corporibus compoſita: ſuntque hæc corpora per ambitum minutiſſime ſerrata & quadruplici ordine tota lorica diſpoſita: id eſt, coeunt partes ſeu ſquamæ loricæ in utriuſque lateris medio, in dorſo & in infimo ventre. Color totius piſcis obſcure ferreus, præſertim in capite. Carne bona eſt.

Piſcis hic aqua carens in fluvio ubi eſt, tempore ſicco, per terram abit ut aquam quærat.

CAP. VI.

Puraquê. Acara pinima. Pira pixanga. Innominatus.


PURAQUE Braſilienſibus, *Piexe viola* Luſitanis, ob figuram quam cum cithara communem habet qua ludunt Luſitani. Piſcis eſt latus, non craſſus, cartilagineus. Longitudo ejus ab initio capitis ad finem caudæ unius pedis & novem digitorum. Ab initio ſeu acumine capitis ad octo digitorum intervallum verſus poſteriora, cordis lati figuram habet uti pingi ſolet, latitudo ejus, ubi maxima, ſeptem digitorum, excurritque ibi in latere in pinnas inſtar Raijæ, eſtque pene tranſparens cum luci obvertitur. Caret branchiis. Caput in coni figuram deſinit. Ab acumine capitis tres digitos & ſemis retro numerando occurrunt oculi unum digitum ab invicem diſtantes, rotundi, prominentes, mediocris avellanæ magnitudine, pupilla nigra,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

la nigra, circulo aureo. Ad utrumque oculum verſus poſteriora habet fiſtulam, minimi digiti apicem capientem, per quam aquam evomere poteſt. Sub oculis, in inferiori tamen corporis parte, os habet, diſtans tantum ab initio capitis quantum oculi, ſeſquidigitum amplum,



edentulum, & duo ſpiracula ſeſquidigitum poſt os verſus poſteriora: in quolibet latere quinque inciſuras habet ut Raijæ & Tiburones. Poſt anteriorem illam cordiformem corporis partem reliquum corpus teres, aliquantulum tamen compreſſum, & ibi latum tres digitos & in quolibet latere habet pinnam mollem, tres digitos longam & ſeſquidigitum latam: hinc anguſtius fit corpus uſque ad caudæ pinnam, ubi digitum eſt craſſum. Caudæ pinna ferme duos digitos longa, paulo plus uno lata, ſuperius longior quam inferius ut in Tiburonibus. Inter duas autem illas pinnas ſecundas laterales verſus caudam in dorſo, diſtantia duorum digitorum ab invicem adhuc duas pinnas erectas habet, ad tactum inſtar membranæ craſſioris, triangulares, duos digitos longas, ſeſquidigitum latas. Tegitur cute molli, nullis ſquamis; ac in toto inferiori corpore in medietate anteriori eſt albus, in poſteriori incarnati coloris cum albo mixti. In dorſo aut ſuperiori corpore glutinis eſt colore, fuſcis maculis variegato, inſperſaque egregia varietate puncta ex albo cæruleſcentia. Pinnæ quoque glutinis habent colorem ac in lateribus aliquid rufeſcentis mixtum. Acumen capitis cartilaginis colorem obtinet, qua etiam conſtat. Per totius dorſi longitudinem ad tactum ſpina dorſi quaſi tuberculis minimis eminet. Caput illius recens lucet noctu. Caro ejus non comeditur. Sed ſi comedatur, aſſerunt piſcatores, per tres horas ſemifatuos reddi homines, dein ſponte ad ſe redire. Vnius attactus, crepitum articulorum manus & brachii cauſat, qui tamen ſtatim deſinit: & ſi in medio tangatur artuum tremorem efficit. Capitur menſibus pluvioſis, quando tempeſtuoſum eſt in Bibiribi fluvio, longe ex terra adveniens, cum Rajis & Paſtinacis.




ACARA PINIMA Braſilienſibus: Piſcis latus dorſo incurvato, ſex aut ſeptem digitos longus, quatuor latus, ubi latiſſimus, parvi Carpionis figura aut verius Percæ miſnicæ. Os habet haud amplum, denticulos minutiſſimos: oculos ſatis magnos pupilla nigricante tranſplendente, circulo rubro, fuſco & albo: Pinnas ſeptem; unam per totum dorſum extenſam & continuam verſus anteriora minus uno digito latam, verſus poſteriora latiorem: hujus pinnæ medietas anterior ſpinis ſuffulta eſt & illam in rimam poteſt recondere, poſterior non habet ſpinas neque illam poteſt recondere: poſt branchias in utroque latere unam duos digitos longam, haud latam: in medio ventre duas junctas ſemidigitum ferme longas firma ſpina ſuſtentatas: inter anum & caudam inferius itidem unam firma ſpina munitam: Septima pro cauda eſt furcata, pluſquam ſeſquidigitum longa, totidem lata. Totus veſtitur ſquamulis argenteis ex auro ſplendentibus: in quolibet latere ſeptem magnas habet ſtrias ſecundum longitudinem ad caudam uſque extenſas, coloris fuſci ſplendentis (in quibuſdam aurei ſeu lutei) à ſummo item capite per utrumque oculum ad extremitates oris, in quolibet latere capitis lata ſtria nigra deſcendit, ad cujus oram aliquid cærulei admixtum eſt. Vltra harum ſtriarum exortum in dorſo, nimirum ubi pinna dorſi initium ſumit, itidem per quodlibet latus deſcendit nigra ſtria uſque ad exortum pinnæ lateris ſeu oram branchiarum. Omnes pinnæ & cauda coloris ſunt lutei ſeu aurei ſplendentis. Capitur in mari inter ſcopulos: & eſt edulis atque boni ſaporis.

PIRA PIXANGA Braſilienſibus, Belgis noſtris Gat-viſch/ quia in initio antri inter ſcopulos degit in mari. Longus eſt novem digitos, ab initio oris ad exortum caudæ. Cauda duos digitos longa. Os ſeſquidigitum amplum, minutis ſed acutiſſimis denticulis præditum. Caput haud magnum: oculi magni, prominentes, pupilla coloris inſtar Turcoidis optimi, circulo nigro, cum aureo & ſanguineo mixto. Branchiæ in triangularem figuram deſinunt, amplæ & acuta ſpinula præditæ. Pinnas habet ſeptem: unam per totius dorſi longitudinem extenſam, unum ferme digitum latam, & in poſtica parte latiorem, cujus prior medietas undecim firmis ſpinis ſuſtinetur, poſterior eſt mollis. Poſt branchias in utroque latere unam, duos

digitos

digitos longam & totidem latam, ſubrotundam & carnoſam: duas junctas anguſtas in medio pene infimo ventre, unica ſpina ſingulas firmatas: unam mediocrem poſt anum ſpina munitam: Septima eſt pro cauda, duos fere digitos longa & totidem lata, non ſecta ſed extremo ambitu ſubrotunda. Tegitur ſquamulis parvulis per totum corpus, ad tactum glaber niſi à cauda verſus caput digitis fricetur. Totum corpus, caput, pinnæ, cauda ex albo flaveſcunt: & per totum



variegantur maculis ſanguinei coloris diluti, rotundis, magnitudine ſeminis cannabis: quædam etiam in ventre majores. Pinnæ eodem modo maculatæ in ambitu ſuo obſcurius rufeſcunt. Figuram fere Auratæ habet. Edulis eſt ac boni ſaporis. Captus per trihorium extra aquam poteſt vivere: bihorium poſtquam mortuus eſſet aperiebam illum & cor adhuc movebatur exemptum: cor ſitum erat ſtatim poſt fauces, & aſpera arteria in id inſerebatur, eratque digitum remotum à reliquis viſceribus per mediaſtinum; minimum utique & vix granum tritici æquans etiam quando ſpiritu inflatur.


Piſcis hic *(quem Auctor non nominat)* in ſeptem digitorum longitudinem excreſcit; figura ſimilis illi quem vulgo **Harder** appellamus; pinnis tamen aliter formatis: duæ enim quæ in infimo ventre anteriore ſub branchiis ſunt, magnæ & latæ, duæ poſt branchias in lateribus parvæ; in dorſo duæ mediocres, & in inferiori ventre poſteriori parva. Cauda conſtat pinna furcata. Os parvum, oculi magni. Cutem habet glabram, ſine ſquamis: in dorſo nigricantem, ac in utroque latere quatuor nigricantes maculæ magnæ à dorſo protenduntur, in ambitu ſuo violacei coloris: inter maculas autem verſus dorſum prominet thalaſſinus color: reliquum corpus argenteum. Pinnæ nigricantes cum violaceo mixtæ; & duæ illæ magnæ ſub ventre quinque argenteis maculis ſingulæ inſignitæ. Inſignis coloris piſcis quando natans videtur. Victitat venenatis illis **Beſaenen**.



CAP. VII.

Sallema. Vubarana. Pira aca. Capeuna.

SALLEMA ſeu *Salema* Luſitanis (Salpa Græcis & Latinis, de qua vide Geſnerum) piſcis in pedalem magnitudinem excreſcit, paulo minor Sargo, cum quo figura, ore, dentibus,




pinnis plane convenit, ut & ſquamarum ordine: colore tantum differens à Sargo, qui argenteus quidem eſt, at ſuperius in capite paulum fuſceſcens, in lateribus flaveſcens. In utroque

autem corporis latere ſecundum longitudinem novem ſtrias flavas ſeu aureas habet à capite ad caudam uſque extenſas: itemque in medio duorum digitorum intervallo ab oculis ſuprą pinnas poſtbranchiales maculam nigram groſſi miſninci magnitudine. Pinnæ, ut in ſargo, fere ex argenteo cinereſcunt. Venter totus argentei coloris. Optime ſapit ejus caro: capitur in mari & in fluminibus.

ANNOTATIO. Icon Salpæ minoris quam dat Geſnerus, bene convenit cum hac noſtra, niſi quod ſtrias illas novem non habet. Vide & Aldrovandum lib. 11. cap. 20. qui & Iconem dat Salpæ, verum cum noſtra hac neutiquam convenientem & admodum craſſe expreſſam.


VVBARANA Braſilienſibus, piſcis figura corporis Trutæ noſtrati ſimilis, ubique ferme æqualis craſſitiei, paulum tamen in dorſo exaltatus, verſus caudam autem anguſtior. Corpore oblongo, quadrate cylindraceo: pedalis longitudinis, ſemipedem craſſus. Caput acuminatum ſeu coactum, haud magnum: oculi ſtuferi magnitudine, pupilla nigra, circulo primum aureo, exterius argenteo: Os edentulum & lapis illi pro lingua. In



medio dorſo unicam habet pinnam duos pene digitos longam, unum anterius latam, trapezii figura, non tamen duris ſpinis firmatam. Poſt branchias in quolibet latere verſus inferiora parvam pinnam oblongam & anguſtam obtinet & duas tales laterales ad infimum ventrem è regione dorſalis: prope anum unam parvam. Cauda conſtat pinna furcata, inſtar harengi plus duobus digitis longa. Squamulas habet ordine lineari ſecundum longitudinem corporis poſitas, ita affabre ut ad tactum quaquaverſus glaber videatur. Superne ſi aſpiciatur olivacei eſt coloris, at eminus aut lateraliter ſi intuearis plane argenteus ac ſplendens videtur & dorſum cæruleſcit ex argenteo: venter plane albus: branchiæ ita glabræ ſunt ut laminæ argenteæ videantur.

Aſſatus boni eſt ſaporis, nec opus eſt deſquamare: coctus non ita commodus ob multitudinem ſpinarum per carnem diſperſarum.

PIRA ACA Braſilienſibus: Monoceros piſcis Cluſii (lib. 6. cap. 28.) *Piexe-porco* Luſitanis (multos autem hoc nomine vocant ob figuram capitis) ab initio oris ad exordium caudæ plus tribus digitis longus, duos latus, ubi latiſſimus: corpore lato & compreſſo, lateribus latitudinem facientibus, non ventre aut dorſo. Os plane exiguum, figuræ porcinæ & anterius in inferiori mandibula duos habet dentes latiuſculos ut orbes habere ſolent, in ſuperiore plane parvulos: oculos ſatis amplos flaveſcentes, pupilla nigra. Supra oculos in dorſo paulum verſus poſteriora corniculum erectum fert paulum verſus poſticam partem corporis incurvatum, minus uno digito longum, rotundum, craſſitie mediocris fili & duplicem ordinem habens denticulorum ſeu ſpinarum acutarum, cuſpidibus verſus dorſum vergentibus, per membranulam quandam tenuem quaſi ſuſtentatur, quæ tranſverſim dorſo




annectitur. Non poteſt autem corniculum deponere ut Cluſius putat. Ab ore ſuperius verſus in altum adſurgit caput uſque ad corniculum, quod quaſi colliculo inſidet, dein recto tramite dorſum fertur & iterum in collem Cameli ſimilem aſſurgit, ibique pinna tenuis, anguſta ſumit initium quæ paulo plus unius digiti ſpatio extenditur in dorſo, quod ibi deſcendit verſus caudam: in oppoſita parte corporis inferioris ſimilis pinna eſt. Porro ab oris quoque inferiori parte deſcendit corpus, ac primo ſub utroque oculo in quolibet latere rimulam habet branchiarum loco & ſub rimula parvam pinnulam parallelogrammi pene figura: corpus autem ipſum inferius extenditur in craſſam & pluſquam ſeſquidigitum latam & unum longam pinnam, quæ firma ſpina in ipſa cute latitante ſuſtentatur; & hæc verſus extremitatem habet etiam corniculum parvulum ſpinoſum. Caudæ exortus quadratum refert, habens pinnam tribus lateribus quadratam; extremitate arcuatam, duas digiti partes longam & unam fere latam. Cutem habet ad tactum ſcabram, ut cutis eſt panapanæ, coloris obſcure flavi ſeu umbræ, uti & pinnæ & cornicula & cauda. Pinnis tamen aliquid aurei admixtum; ut & ipſi cuti

verſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

verſus dorſum; ut plerumque habere ſolent omnes Orbis ſpecies: Nam Orbis ſpeciem deputo, quum ventrem aliquo modo poſſit inflare.

CAPEVNA Braſilienſibus: Piſcis eſt corpore oblongo non lato, qui in ſeptem digitorum longitudinem excreſcit. Os illi obtuſe acuminatum; habetque in ſuperiore atque inferiore mandibula unam ſeriem minimorum denticulorum: tota cavitas oris cum lingua ſanguinei coloris inſignis: Oculi illi parvi, ſtuferi magnitudine, cryſtallini, circulo partim argenteo colore variegato. Pinnas obtinet ſeptem; in quolibet latere poſt branchiam unam oblongam, tenuem quaſi triangularem: duas triangulares in infimo ventre; unam poſt anum firma ſpina munitam: unam per dorſi longitudinem excurrentem, cujus anterior medietas ſpinis munita, quam recondere poteſt, poſterior mollis & ſine ſpinis: cauda bicornis, molli pinna Tegitur ſquamulis parvis argenteis, in quibus aliquid aurei tranſplendet. In quolibet latere habet duas lineas craſſas aurei coloris, unam à ſummitate oris per oculos & medium latus tendentem ad caudam, alteram magis ſuperius per dorſi latum pergentem. In ſummitate capitis liveſcit. Pinnæ omnes ſunt cinereæ: venter albus ut & ejus pinnæ. Coctus boni eſt ſaporis. Capitur in mari inter ſcopulos.



CAP. VIII.

Acarapitamba. Jaguaca guare. Pirametara.

ACARAPITAMBA Braſilienſibus: piſcis oblongo corpore ut mullus ſeu barbus, in duorum pedum aut etiam majorem longitudinem excreſcit: os habet minutum & dentes:






oculos amplos, pupilla cryſtallina, circulo miniato: Pinnas ſeptem; unam à ſummitate dorſi tendentem ad exortum caudæ fere, ſpinis ſuffultam, digitum latam aut paulo amplius: poſt quamlibet branchiam unam tenuem & longam; ſubtus in ventre duas junctas, & prope anum unam: cauda conſtat pinna quinque digitos longa, quæ in duo obliqua cornua deſinit. Squamis totus veſtitur modo Carpionis, eleganter ex purpureo cæruleis. In utroque latere in medio ab oculis ad caudam tendit linea ſeſquidigitum lata; aurei coloris, per totum autem dorſum & latera uſque ad hanc lineam puncta aurea majuſcula habet: ſub linea in lateribus ſubtiles lineas aureas ſeu flavas, ſecundum longitudinem. Venter albicat. Pinnæ laterales & ventris ex albo flaveſcunt. Dorſalis pinna & tota cauda aurei ſunt coloris. Optime ſapit aſſatus, & melius quam coctus. Pinnæ ejus lucent noctu. Capitur in mari.

Hic piſcis à cruſtaceo quodam animalculo vexatur, ſeſquidigitum longo, digitum craſſo, figuræ oblongæ, ut cauda Gammari & eodem modo formato & cruſtato: conſtat autem ſeptem juncturis, & habet quatuordecim brevia crura, unguiculis acutis prædita, in quolibet latere ſeptem: anterius corpuſculum paululum ampliatur. Corpus molle eſt ſub cruſta inſtar cochleæ lenta cute obductum: nec oculi nec os apparent. Hoc animalculum ori piſcis ſe ingerit & unguiculis ſuis arcte faucibus inhæret, nec umquam piſcis ſe ab illo liberare poteſt. Poſtero die adhuc vivebat capto piſce & pridie mortuo; in totum albi eſt coloris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ANNOTATIO. Habes apud Geſnerum Iconem pediculi atque etiam pulicis marini, ſed quæ cum hac non conveniat, quæ piſci, convexa & prona parte, ſubjecta eſt: quanquam hoc animalculum quod Author deſcribit, meritiſſimo pediculum marinum appellari poſſe judico, aut forte etiam cimicem, nam forma, licet ovalior, non abludit. Vidi cruſtras ſatis amplas quas pediculi marini eſſe aſſerebant nautæ noſtri, quarum figura plane cum hac congruebat, ſed cruſta minutis veluti ſquamulis ex viridi & albo mixtis erat contexta: quæ paulatim decidunt.


IAGUACAGUARE Braſilienſibus: *Iaqueta* Luſitanis, id eſt, interula, à colore, quia nigritæ ejuſdem coloris amiciuntur. Piſcis inſtar Percæ noſtræ latus & obrotundus, ad ſummum octo digitos longus, quinque aut ſex latus. Os habet parvum, cum minutilus dentibus ordine digeſtis: oculos mediocres cryſtallinos, circulo fuſco: Pinnas porro ſeptem, unam à medio dorſo ad exortum caudæ protenſam, ſpinis ſuffultam, anteriori quidem parte ſemidigitum latam, poſteriori latiorem & in trianguli figuram deſinentem.



Duas poſtbranchiales, duas in inferiori ventre; unam poſt anum latiuſculam: caudam denique duos digitos longam, parallelogrammi figura, quæ in duo cornua deſinit. Squamis veſtitur, inſtar percæ, majuſculis; quæ è cinereo cæruleſcunt. A dorſo autem per latera latæ lineæ deſcendunt ad ventrem nigræ, in quolibet latere quinque. Superius caput quoque nigreſcit; venter vero albeſcit atque cæruleſcit. Pinnæ omnes è cinereo cæruleſcunt & quodammodo nigricant verſus extremitates. Tota denique cauda nigra eſt. Edulis eſt piſcis.

ANNOTATIO. Hic piſcis haud male convenit cum Mormylo ſive Mormyro Geſneri, niſi quod Icon in eo differat, quod in Mormylo Geſneri plures lineæ nigræ vel pullæ à dorſo ad ventrem per latera deſcendant.

CURIMATA Braſilienſibus: Piſcis carpioni, figura, colore, carne valde ſimilis: ſeſquipedem longus, quatuor & ſemis digitos latus: capite Carpionis; ore rotundo & edentulo: corpore oblongiori, & ſquamis majuſculis. Pinnas habet ſeptem præter caudam; nimirum duas poſtbranchiales, duas in medio ventre inferiori, unam poſt anum, & unam plane parvulam parallelogrammam huic oppoſitam in dorſo; unam denique in medio dorſo, magis longam quam latam. Totus piſcis coloris eſt argentei ut Carpio, & ejuſdem ſaporis.



Non capitur niſi in dulcibus aquis.

PIRAMETARA Braſilienſibus, Luſitanis *Salmoneta*; piſcis quinque digitos aut circiter longus, totidemque craſſus, ubi craſſiſſimus. Caput habet haud magnum, quod ſtatim deprimitur ab oculis ad os, quod illi parvum, lunatum, & minimis denticulis præditum: in inferioris mandibulæ extremitate barbam habet conſtantem duobus quaſi funiculis craſſiuſculis, duos digitos longis, & ab exortu ad medietatem incarnati, reliqua flavi coloris. Oculi nigri ſplendentes, circulo flavo. Pinnas obtinet ſeptem; duas in dorſo ſeſquidigitum longas & latas; duas poſtbranchiales anguſtas, ſeſquidigitum longas: & ſubter has duas in infimo ventre junctas ejuſdem magnitudinis, unam parvam in infimo ventre ſubter ſecundam & poſteriorem in dorſo. Cauda furcata conſtat pinna duos digitos ferme longa. Squamas habet inſtar **Braſem** noſtratis. Color univerſi piſcis, in corpore, capite, cauda, pinnis, dum vivit, plane ſanguineus eſt, niſi quod cauda in fine auream habeat fimbram: in utroque autem latere, maculæ nigræ ordine poſitæ, magnitudine ſtuferi noſtratis: quando vero per bihorium eſt mortuus color ille ſanguineus mutatur in aureum & flavum ſanguineo ſparſim mixtum. Piſcis eſt edulis.

ANNOTATIO. Mulli eſt ſpecies; de qua videndus Matthiolus commentario in Dioſcoridem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ridem lib. 11. cap. 21. nam duas ſpecies recenſet, utraſque à Venetis appellari *Barboni:* à cæteris autem *Triglia* & *Barbone:* Hiſpanis *Salmoneta.* Vide & Geſnerum. Aldrovandus autem prolixe de illis agit lib. 11. & ſequentibus. Quia autem icon apud hos omnes reperitur, hic nullam addimus.


CAP. IX.

Tareira d'Alto. Tareira do Rio. Piratiapia. Ceixupira.

TAREIRA d'Alto, id eſt, marinus, piſcis tereti corpore, decem digitos longus (reperiuntur & majores) quinque craſſus, ubi craſſiſſimus, nam verſus poſteriora ſenſim minui-




tur. Caput habet colubrinum, ſupra oculos in duo tubera elatum: oculos pupilla nigra, circulo flaveſcente; os acuminatum ſatis amplum, interius flavum, denticulis acutiſſimis munitum, quales & lingua habet. Pinnas obtinet octo, nimirum in quolibet latere poſt branchias unam, uno plus digito longam, trientem latam, directe à latere protenſam: poſt has interſtitio pene ſeſquidigiti in infimo ventre duas junctas figura trapezii, duos digitos longas & totidem fere latas in extremitate: verſus caudam in infimo ventre unam duos digitos longam in corpore extenſam, ſed plane anguſtam; ſupra hanc in dorſo parvula eſt inſtar cuſpidis cultelli: in medio dorſo una pene quadrata, duos digitos lata, plus uno longa: Octava eſt cauda vix ſeſquidigitum longa & furcata. Pinnæ autem omnes inſtar foliorum papaveris ſunt tenues, & mollibus ſpinis ſuſtentantur. Squamulis veſtitur peltatis, ita affabre compoſitis ut ad tactum glaber videatur. Venter totus albicat: latera & dorſum ſecundum longitudinem lineas habent alternatim flavas & virides. Oræ ſquamularum circumcirca brunnæ ſunt, & videntur quaſi rhombi ordine poſiti eſſent brunnis lineis circumſcripti, & ac ſi per unum ordinem tenderet linea flava, per latera viridis. Pinna in dorſo ſecundum longitudinem ſtrias habet brunnas reliquæ flavas. Cauda itidem ſtriata brunno. Caput ſuperius maximam partem brunnum. Piſcis aſſandus, nam coctus non ita bonus eſt. Sapore autem multo antecellit Tareira do Rio, qui multas habet ſpinas.



TAREIRA do Rio (id eſt, fluviatilis) oblongo corpore, dorſo recto, ventre paululum protuberante: inferior illius mandibula lõgior ſuperiori: dentes habet acutiſſimos & inter eos duos longiores in medio inferioris mandibulæ & quatuor tales in ſuperiore: mordet vehementer. Oculi ſatis magni, prominuli, pulchri, pupilla atra, cætera nigri. Caput Lucii capiti parum ſimile. Longus eſt piſcis quindecim, aut ſedecim digitos. Pinnas habet ſex: nimirum duas oblongas poſt quamlibet branchiam unam, duas junctas oblongas in infimo ventre, unam poſt anum parallelogrammi figura; unam in medio dorſo magnam, rectam, parallelogrammam, plus tribus digitis longam, duobus latam. Cauda parallelogramma pinna conſtat, duos & ſemis digitos longa, ſeſquidigitum lata, in extremitate circinata. Totus tegitur ſquamis ſatis magnis, fuſcis in dorſo & lateribus; verum in lateribus fuſcum argenteo eſt variegatum, ut ita per fuſcum argenteum videatur. Caput tegitur dura teſta fuſca. Venter totus albicat. Pinnæ omnes fuſcæ, ſed nigro undulatæ tranſverſim ut Niſi cauda: itidem & cauda. Capitur in fluviis; edulis eſt, ſed multas habet ſpinas.


PIRATIAPIA Braſilienſibus piſcis eſt oblongo corpore & ſatis craſſo, interdum tantam magnitudinem acquirit ut quinquaginta libras æquet: oris pars inferior longior ſuperiori. Denticulos habet acutos, inordinate poſitos & tota oris cavitas cum lingua eſt rubra. Oculi prominentes, pupilla cryſtallina ovali & circulo rubro. Ante utrumque oculum habet foramen. Branchiæ deſinunt in trianguli figuram, & ſunt amplæ. A ſummitate dorſi ad caudam uſque extenditur pinna, quæ ad medietatem anteriorem ſpinis ſurrigitur, reliqua medietas eſt mollis. In inferiori corpore prope anum etiam pinnam mollem habet obrotundam: in quolibet latere poſt branchias unam, & duas in infimo ventre junctas, oblongas. Cauda fere quadrata eſt, at in extremitate paulo latior quam in exortu. Squamis veſtitur parvis. Dorſum &

infimus venter cinnabrii ſunt coloris, latera ex gryſeo fuſceſcunt. In totum præterea eſt maculatus, & in dorſo quidem maculas habet majores nummo miſnico, ex gryſeo fuſcas, in lateribus vero & infimo ventre minores ejuſdē coloris. Pinnæ omnes cinnabrii coloris, in extremis oris lineam albiſſimā habentes, adque eam fimbriam latam nigerrimā. Poſtbranchiales pinnæ totaliter cinnabriæ ſunt



ſine fimbria nigra aut alba. Dorſalis pinnæ medietas anterior tota rubra, reliqua fimbriata albo & nigro ut reliquæ. Optimi ſaporis carnem habet ſi coquatur.

CEIXVPIRA Braſilienſibus: piſcis hic magnitudinem acquirit interdum novem aut decem pedum, atque craſſitiem corporis humani; corpore oblongo & capite atque figura cor-



poris Tuberoni haud abſimilis. Quem deſcribo tantum duos pedes erat longus cum ſemiſſe. Erat illi caput compreſſum & latum, ſeptem digitos longum & fere quinque latum: os haud ita amplum pro mole corporis, parabolicæ figuræ, edentulum, prominentiis tamen acutiſſimis confertim repletum: lingua lata: oculi albi haud magni, paulo majores duplo ſtufero Hollandico, pupilla cryſtallina. Branchias habet ſatis amplas: Pinnas ſeptem, nimirum poſt quamlibet branchiam unam, directe à latere protenſam, triangularem, ſemipedem longam, duos & ſemis digitos latam, ubi latiſſima. Interſtitio fere ſex & ſemis digitorum ab occipitio in medio dorſo incipit pinna quatuordecim digitos longa, in initio triangularis, & quatuor digitos alta, hinc ſenſim minuitur & ad caudam ferme pertingit, ibique triangulo deſinit. Huic oppoſita eſt ejuſdem figuræ una in infimo ventre, undecim digitos longa, deſinens cum ſuperiore, ſed non cum illa incipiens. Infra duas poſtbranchiales in infimo ventre duas habet junctas, quamlibet tres & ſemis digitos longam & ſeſquidigitum latam. Septima pinna eſt cauda, incipiens duorum digitorum interſtitio à fine dorſalis & ventris, bicornis, ſuperius cornu fere octo digitos longum, inferius paulo brevius, nimirum ſeptem digitorum.


Pinnæ omnes anterius ſpinas habent ſed molles. In interſtitio inter occiput & dorſalem pinnam, octo oſſeos triangulares aculeos prominentes obtinet quos recondere in carne & erigere poteſt, ac pro armis uſurpare. Ante quemlibet oculum, intervallo unius digiti foraminulum habet duplex. Caput oſſeum & glabrum. Totum corpus exiguis ſquamulis veſtitur, ita ut totus piſcis glaber videatur. Colore totus eſt niger, excepto tamen ventre, qui albiſſimus inſtar cretæ; in lateribus (inter album & nigrum) paululum caneſcit nigredo, cætera, ut dictum, nigerrima. Pinnæ omnes nigræ, exceptis duobus infra poſtbranchiales in infimo ventre quæ albæ ſunt, oris nigricantibus. In utroque latere piſcis linea quædam profundior reliquis ſquamulis tendit ad caudam uſque, ejuſdem cum corpore coloris. Piſcis gravis ac pinguis eſt, ac pro optimo habetur inter omnes in Braſilia, præſertim quando adhuc mediocris eſt magnitudinis. Capitur in Mari.

CAP. X.

Guamajacu guara. Piquitinga. Araguagua. Camuri.

GVAMAIACV GVARA Braſilienſibus, Luſitanis *Peixe porco*, & *Diabe*: orbis eſt ſpecies. Longitudo ejus ab initio oris ad pinnæ exortum in cauda quatuordecim digitorum: pinnæ caudæ


caudæ longitudo plus duorum digitorum. Rotundo eſt corpore & craſſities ejus duorum & viginti digitorum. Caret ſquamis, tegitur cute, per totum corpus ex fuſco ochræ coloris pallidi, in ventre albi. Totum corpus aculeis munitum eſt, qui in lateribus longiores, in reliquis partibus breviores (longiores autem ſunt duorum digitorum) teretes, in extremitate valde acuti & ſinguli tribus inſertionibus, quaſi triquetris, cuti infixi. Inter aculeos cutis ubique maculis nigris ſcatet excepto ventre. Oculos habet magnos eminentes: os parvum obrotundum, edentulum: pinnas tantum quatuor, duas in lateribus duos & ſemis digitos longas: unam in dorſo verſus caudam ejuſdem magnitudinis & minorem ſub ano.



Orbis mùricatus dici poteſt Geſneri pag. 745. quia aculei ipſius referunt murices.

Habui alium minorem vivum menſe Februario anni 1639. item alios duos menſe Septembri vivos. Cutis eorum erat è fuſco vireſcens, in ventre nigricans: aculei ut prioris & plane ſimilis figura corporis: prope quamlibet pinnam, maculam habebant nigram, ut & utrimque ad latera prope os. Pinnarum color erat flavus: oculorum pupilla nigricans, circulo luteo. Supra utrumque oculum cornu exile, ſatis longum, molle, cutacea ſubſtantia conſtans, quod præ ſe fert natans, quando autem extra aquam eſt flaveſcit. Inflare ſe poteſt & iterum conſidere. Sonum edit Vlch ulch. Si velis ut ſe inflet, trahe pinnam quæ in dorſo eſt.

PIQVITINGA Braſilienſibus: Piſciculus eſt duos, aut paulo plus, digitos longus, figuræ pene ut Parabucu à quo non multum differt ut dicam. Os habet parvulum, ſed quod ample aperire & rotundare poteſt: oculos ſatis magnos, nigros, circulo argenteo: branchias amplas: pinnas ſex & ſeptimam pro cauda: nimirum duas poſtbranchiales, triangulares, inferius poſitas: duas junctas in medio infimo ventre: unam triangularem in medio dorſo, unam poſt anum: cauda conſtat pinna furcata. Color capitis argenteus ſplendens ſuperius olivaceo imbutus. Tegitur ſquamulis albis, in dorſo tamen olivaceus color tranſlucet. Per utriuſque lateris medium tendit linea recta, lata, argentea, ſplendens uſque ad caudam. Pinnæ omnes albæ. Differt à *Piabucu*, quod ille paulo major evadat, & linea illius lâta non ſplendeat, cum reliquum corpus ſplendeat, quod in hoc contrario ſe habet: *Piabucu* etiam pinnam habet in dorſo prope caudam, qua hic caret. Cæterum caro ſimilis, edulis.





ARAGVAGVA Braſilienſibus: Gladius Scaligeri in commentariis ad Hiſtor. Animalium pag. 227. Græcis Xiphias, Belgis **Sweert-viſch.** Iunior erat quem deſcribo. Corporis longitudo ab occipite ad pinnam caudæ unius pedis & ſeptem digitorum; craſſities maxima (nimirum inter duas laterales pinnas anteriores) novem digitorum. Capitis longitudo duorum & ſemis digitorum; quod cordis figuram habet, compreſſum, nec craſſum. In hujus medietate paulo tamen verſus anteriora in quolibet latere oculus ſtuferi magnitudine & poſt quemlibet digiti fere intervallo ſpiraculum, per quod aquam evomit; & ſub hiſce, in inferiori tamen parte, os duos digitos amplum, labiis inſtar limæ acutis, ſine dentibus (quod & Scaliger notat.) In extremo autem capitis verſus enſem, in inferiori parte duo ſunt ſpiracula, ſubſtantiæ interius inſtar branchiarum, quibus ſine dubio gladium regit, nam inter has branchias enſis oritur, novem digitos longus, ſeſquidigitum fere latus, in extremo paulo anguſtior, conſtans ſubſtantia oſſea, habetque in quolibet latere octo & viginti dentes ordine oppoſitos, ſeſquidigitum ferme longos & acutiſſimos. Pinnas habet ſeptem; videlicet duas ad latera, quæ duos digitos poſt ſpiracula incipiunt, duos & ſemis digitos longas, paulo plus tribus latas: & quatuor digitorum interſtitio poſt has in lateribus iterum duas ſeſquidigitum longas, totidem latas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

latas, ſupra has in dorſo unam, ejuſdem magnitudinis: deinde in extremitate corporis fere in dorſo itidem talem & ſeptimam pro cauda, quæ ſuperius quatuor digitos longa, inferius duos & ſemis, duos lata, ubi latiſſima, ut in Tuberonibus.

Corpus ſubteres eſt, anguſtum verſus poſteriora, cute veſtitum ut *Panapana* ad tactum dura & ſcabra, quando ſicca, coloris in ſuperiori parte & lateribus leucopæi, in ventre albicantis. Inter duas pinnas majores in ventre & verſus latera, in quolibet quinque habet inciſuras ut Panapana.

Æſtimari facile magnitudo piſcis poteſt, nam habui quorum enſes duos & ſemis pedes longi erant cum ſeptem & viginti dentibus utrimque: item quorum enſis ſimilis longitudinis cum viginti dentibus utrimque: quinetiam quorum enſis quinque pedes erat longus, cum quatuor & viginti dentibus utrimque. Carnem habet bonam, præſertim junior adhuc, inſtar Raijæ vel paulo meliorem.


ANNOTATIO. Xiphias Græcorum alius piſcis eſt, qui quidem gladium habet mucronatum, verum in lateribus minime dentatum, de quo vide Rondeletium lib. VIII. cap. XV. Ad eundem modum deſcribitur à Geſnero.

CAMVRI Braſilienſibus; Luſitanis *Robalo*, piſcis duos pedes longus, Lupo noſtro figura corporis ſimilis atque etiam ore, craſſus plus uno pede, ubi craſſiſſimus: caput ſeſquipedem pene longum: os ſemilunare, in medio paulum acuminatum, ſex digitos longum, ſed quod magis dilatare atque rotundare poteſt, ita ut circumferentia ejus fiat tredecim digitorum: oculos habet dupli ſtuferi magnitudine, pupilla cryſtallina, circulo aureo: Pinnas octo; nimirum duas in dorſo, priorem tres digitos longam & paulo plus latam, firmis ſpinis ſuſtentatam, quam in rimam recondere poteſt: alteram huic magnitudine parem, ſed ſpinis deſtitutam, nec habentem quo condatur: duas poſtbranchiales, paulo plus tribus digitis longas; duas in infimo ventre quatuor digitos longas, duos & ſemis latas; unam talem poſt anum; octavam pro cauda, quæ eſt furcata, quinque digitos longa, ſex lata. Squamas habet ut Carpio, coloris argentei, ſplendentes; in dorſo autem & lateribus aureus admiſcetur: Venter plane albicat: Pinnæ ſunt aurei coloris, quibus aliquid fuſci admixtum eſt; in quolibet latere ſuperius à fine branchiarum uſque ad medium exortus caudæ, ductam habet lineam craſſam, nigram.

CAP. XI.

Guaracapema. Mucu. Abacatuaja. Acarapeba. Miivipira.

GVARACAPEMA Braſilienſibus; **Dolfijn** Belgis: Mas eſt doradæ. Piſcis compreſſo corpore & latus, licet non ita craſſus. Caput deſinit in figuram quadratam, eſtque in fronte



ita in aciem eductum, ut facilius fluctus maris natando ſecare poſſet. In ſex aut ſeptem pedum longitudinem excreſcit: latitudo ſive altitudo, ubi maxima, nimirum verſus anteriora & pone caput, ſeſquipedalis. Os habet haud ita amplum, pro magnitudine corporis, mandibulas compreſſiſſimas, denticulos acutos. Paulo ſupra os & quidem verſus ejus interiora oculi poſiti inferiori loco, ne nimirum in aquis imperioſe ageret, qui alias linceus. Oculi autem ſunt magni, rotundi, pupilla cryſtallina, cæterum argentei coloris. Branchias habet amplas: Pinnas ſeptem, nimirum unam inſignem à ſummitate capitis per totum dorſum extenſam uſque ad caudæ exortum, latam in medio ſeptem aut octo digitos, quæ ſenſim minuitur, conſtans membrana ad tactum coriacea, & ſpinis mollibus interius ſuſtentata: hanc natans in æquore erectam tenet. A medietate infimi ventris ad caudæ initium itidem pinna protenditur, ſed vix unum digitum lata, in exitu triangulata: poſt utramque branchiam pinnam habet oblongam octo vel novem digitos: ſub his in infimo ventre duas propinquas paulo longiores. Cauda circiter ſeſquipedem longa in duo cornua ampla diſtenditur. Squamulis minimis veſtitur totus, quæque ad tactum vix ſentiuntur; ita ut glaber videatur. Color in capite, dorſo, lateribus ex viridi


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

viridi & argenteo mixtus, uti & in pinnis, in ventre vero albicat. Per totum autem corpus (nimirum latera, dorſum, caput) maculis eſt variegatus cæruleis, variæ magnitudinis, milii, grani hordeacei, ervi. Carnem habet ſiccam, boni ſaporis.

Velocitate natandi ſuperat Toninhas ſeu porcos marinos, & eodem modo ſaliendo progreditur. Veſcitur piſce longo vulgo *Petumbo* appellato.


ANNOTATIO. Aurata vera plene deſcribitur à Rondeletio lib. v. de piſcibus cap. I I. ubi & Iconem dat quæ cum hac noſtra minime convenit.

MVCV Braſilienſibus; piſcis tereti corpore, ut Enneopthalmus, vulgo *Lampreda*, Germanis *Neunauge*, nec craſſiori: circiter duos pedes fit longus, magis aut minus: Capitulum habet acuminatum, conicum; ocellos parvos nigros: os item parvulum: guttur inflare aliquo modo poteſt. Caret pinnis. Totus fuſcus, obſcurius tamen in dorſo, venter epatici coloris: per latera lineas obliquas nigras habet, angulos obliquos per me-



dium laterum in vicem facientes. Edulis eſt & capitur in lacubus & paludibus.

ANNOTATIO. In deſcriptione Americæ lib. xv. cap. XII. Iconem dedi piſcis ſub nomine Vbirre uti acceperam, quam & hic reponendam curavi; quia me monuerat Emanuel de Morais, verum illius nomen eſſe *Mucu*. Verum deſcriptio Auctoris cum icone non ſatis convenit, nam præterquam quod dentium non faciat mentionem, ſcribit pinnis carere cum hic noſter prolixiſſimam habeat in dorſo, & ad utrumque latus itidem unam; quare in animum induco *Mucu* diverſum eſſe ab Ubirre, licet Morais aliter cenſuerit. Quinetiam qui Iconem mihi ſubminiſtravit, marinum piſcem dicebat, cum *Mucu* paluſtris ſit.




ABACATVAIA Braſilienſibus: *Peixe gallo* Luſitanis. Faber & Gallus marinus, de quo vide Geſnerum. Paſſeris magnitudinem habet, altus & latus inſtar illius, ſubrotundus, neque illo craſſior: os illi eſt haud amplum, edentulum: oculi nigri, circulo argenteo. Pinnas habet quinque, unam in dorſo, unam in ventre, utramque deſcendentem & continuam ad caudam uſque: itidem poſt branchias utrimque unam: Cauda conſtat pinna furcata. Præterea habet duo quaſi fila in longum extenſa ab inferiore corpore, & unicum tale in dorſo ante pinnam dorſalem. Caret ſquamis, ſed tegitur cute læviſſima, ſplendente, coloris argentei; totuſque eſt illius coloris, exceptis filis illis, quæ nigra ſunt. Carnem habet boni ſaporis, & ſæpe comedi.

ANNOTATIO. In Deſcriptione Americæ lib. xv, cap. XII. Iconem dedimus hujus piſcis ſub nomine *Awah kattoe* ſive *Iahwe*, quo nomine Iconem acceperamus à perito pictore, quod corruptum eſſe apparet. Fabri iconem dat Geſnerus ſed quæ cum hac noſtra neutiquam conveniat: Vti & Aldrovandus, ſed plane rudem; & deſcriptio quoque multum ab Authoris noſtri deſcriptione abludit.

ACARAPEBA Braſilienſibus, quibus & *Acaratinga* vocatur, Belgis Braſem; magnitudine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

vero fere ut **Blep** Pomeranorum. Nimirum piſcis corpore lato, ſquamis majoribus in totum argentei coloris ſplendentis: pedalis circiter longitudinis, quinque digitos latus, ubi latiſſimus. Os habet edentulum, haud amplum, acuminatum, quod extendere & contrahere poteſt; oculos dupli ſtuferi magnitudine argenteos, pupilla magna cryſtallina nigricante. Pinnam in dorſo extenſam habet ad caudam fere, anterius duos digitos altam, firmis ſpinis ſuſtentatam & ſenſim anguſtiorem: in quolibet latere poſt branchias unam, tres digitos longam, plus uno initio latam & triangularem. In infimo ventre tres, duas videlicet junctas verſus anteriora, craſſa ſpina firmatas, & unam prope anum, initio firma ſpina ſuſtentatam & ad caudam fere protenſam, ſed ſenſim minutiorem. Cauda conſtat pinna furcata, tres & ſemis digitos longa & in exortu antequam dividatur, pene duos lata. Pinnæ omnes albi ſunt coloris tranſplendentis. Edulis eſt piſcis.



MIIVIPIRA & PIRABEBE Braſilianis, *Peixe volador* Luſitanis. Piſcis volans, vel Hirundo piſcis: variæ eſt magnitudinis: major erat Halece, quem hic deſcribo, & formæ rarioris. Figuram corporis habet (inſtar Zandat Pomeranorum) teretem & poſteriora verſus acutiorem. Totius longitudo ab ore ad finem caudæ tredecim digitorum; craſſities, ubi maxima, nimirum circa exortum alarum, ſeptem fere digitorum, ad exortum autem caudæ duorum. Caput craſſum habet, ſuperius compreſſum & latum, nimirum ſuperius fere duos digitos & quaſi in tubera ſupra oculos elatum, os non ita magnum, edentulum, at oſſa ejus paulum ſerrata inſtar limæ. Oculi magni, rotundi, ſtufero Hollandico æquales, pupilla nigra, circulo flavo, & exterius altero fuſco. Pinnas habet ſex cum cauda; duas in dorſo, unam parvulam in medio, paulum tamen verſus anteriora, alteram poſt hanc duos digitos longam, ſeſquidigitum latam, tenuem, at octo ſpinis ſuffultam; duas robuſtas in infimo ventre, ſubter illa, duos & ſemis digitos longas, firma ſpina conſtantes ſed anguſtas, & unam parvam in inferiori corpore ex oppoſito majoris in dorſo; ſeptima eſt cauda, duos digitos longa, totidemque lata & furcata. Præterea habet duas alas magnas, in quolibet latere unam, habentes exortum ſuum ſeſquidigitum fere poſt oculos, poſt branchias paulum; eſtque alarum longitudo ſeptem digitorum, latitudo in exortu plus uno, in extremitate ſex digitorum: conſtant alæ tenui membrana inſtar chartæ puræ (**Poſt-papir**) ex albo ſeu cinereo ſubfuſci coloris: habent autem aliquot plicas & ſuſtentantur ſpinis tenuibus per longitudinem extenſis. Ad utramque alam in initio ejuſdem parva quaſi ala exit, duos & ſemis digitos longa, ſed plane anguſta & ſua ſpina munita. Totum caput cum initio dorſi, (ab ore nimirum ad quinque digitos numerando) veſtitur teſta oſſea, dura, quæ verſus ſuum finem dupliciter diviſa in duos aculeos deſinit quaſi ſpinas. Branchiæ autem ad duos digitos extenduntur in aculeos uſque ſub alis. Totum autem corpus veſtitur ſquamulis elegantibus, ordine diſpoſitis, quæ in ventre triangulares, in lateribus & dorſo verius ellypticæ figuræ. In ventre autem ita diſpoſitæ ſunt ut piſcis ad tactum glaber videatur; at in lateribus & dorſo quælibet in ſui medio habet tuberculum, ita ut ordine naturæ diſpoſitæ in recta linea, repræſentent lineas rectas, elatas, tuberculatas. In toto ventre albicat, in lateribus & dorſo ſubfuſcus, & ſplendens ut Harengus. Spinæ quæ alas ſuſtinent & per eas extenduntur etiam albicant. Alæ ipſæ ex cinereo fuſceſſentis ſunt coloris, maculis nigricantibus variegatæ. Volat hic piſcis ſuper aquas inſtar Hirundinis per ſpacium quantum ſclopeto pertingi poteſt: nimirum uſque dum ſicceſcant alæ, tunc enim iterum aquæ ſe immittit alas humectandi gratia & denuo volat. Natura autem huic piſci alas dedit ut ſe ſalvare poſſet dum hoſtis ejus Dorada magna caterva ipſum perſequitur. Sæpiſſime mille eorum ſimul volantes vidi in Oceano Tropicis interjecto: interdum etiam volando incidunt in naves, ut nobis etiam factum memini. Caro boni eſt ſaporis cocta.

ANNOTATIO. Vide de his volatilibus piſcibus Aldrovandum lib. 11. cap. 5. & 6. & Rondeletium lib. x. cap. 1. de Hirundine; plerique de Piſcibus commentantes ejus meminerunt, nihilque magis Nauticos homines exercet. Dabitur alias de his dicendi occaſio, nam figura horum piſcium, & præſertim alarum valde eſt diverſa, reperiuntur enim quibus alæ ſunt duplo longiores verum anguſtiores.


CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XII.

Guaibi coara. Acaramucu. Guaperua. Cucuri. Piraya.

GVAIBI COARA Braſilienſibus, Buraco de Velha Luſitanis; piſcis eſt corpore latiuſculo; dorſo elevato & à capite arcuato; duodecim aut quatuordecim digitos longus, quatuor latus, ubi latiſſimus. Caput & os acuminatum, ſatis amplum, habens in utraque maxilla ſeriem minimorum denticulorum, linguam conſpicuam; quæ una cum cavitate inferiori oris, ſanguinei eſt coloris: Oculos ſtuferi magnitudine cryſtallinos, circulo coloris ex aureo & fuſco mixti. Pinnas obtinet ſeptem, nimirum poſt branchias in quolibet latere unam, quaſi triangularem, mollem: in infimo ventre duas junctas: unam poſt anum duplici ſpina munitam: per dorſum autem una extenditur, cujus medietatem anteriorem undecim ſpinæ erigunt, quam recondere poteſt in cute, poſterior medietas mollis & ſine ſpinis. Cauda conſtat pinna bicorni, & parallelogrammi figura à corpore extenditur. Squamas habet mediocres, inſtar Percæ, argenteas, quæ per oras ſunt melini coloris, & aſpectu referunt meros cubos: in occipitio & dorſo ſummo ſquamæ ex argenteo cæruleſcunt, & per oras itidem ſunt melini coloris. Totum autem caput ſuperius & ad latera eſt aurei coloris, ſtriis cæruleis ſecundum longitudinem variegatum. Pinnæ omnes melini ſunt coloris, exceptis duabus in infimo ventre, quæ magis albeſcunt: per latus autem utrumque verſus dorſum ſecundum longitudinem tendit linea melini coloris ad caudam uſque. Piſcis boni ſaporis coctus. Capitur in mari inter ſcopulos.



ACARAMVCV Braſilienſibus: piſcis eſt corpore compreſſo nec craſſo verum oblongo; decem enim digitos longus eſt, quatuor latus, ubi latiſſimus. Os illi parvulum, anguſtum, rotundum, apicem minimi digiti admittens, ut piſcis triangularis. Superius & inferius in anteriori parte oris utrimque dentes triangulatim acuti. Oculi ſtuferi magnitudine, cryſtallini, pupilla nigra. Diſtant oculi ab ore duos digitos & ſemis plane in alto poſiti, tres quartas partes digiti à dorſo ſub utroque oculo, in quolibet latere, branchiarum loco fiſſuram habet oblique factam, unum digitum longam, trapezii figura. In dorſi ſummitate directe ſupra oculos,




inſtar fili majoris ſeu craſſioris cordæ violæ, corniculum habet oblique erectum verſus poſteriora, quatuor digitos longum & teres. In poſtica corporis parte inferius & ſuperius utrimque pinnam habet tenuem tres digitos & ſemis longam, tres quadrantes digiti latam, quæ deſinunt circa caudam, quæ parallelogrammi figura exoritur à corpore, habetque pinnam ſeſquidigitum longam, paulo plus duobus latam. Caret ſquamis, ſed tegitur cute glabra, parum tantum hiſpida, ut Xiphiæ, coloris albicantis, cui gryſeus eſt admixtus, & in dorſo paulum fuſcus; pinnæ quoque gryſei coloris. Non eſt edulis: in ventriculo algæ ſeu muſci marini multum inveniebam: Parieti appenſus noctu clariſſime lucebat in tenebris.

GVAPERVA Braſilienſibus, *Peixe porco* Luſitanis (Græcis Κάπρος, Latinis Aper vocari poteſt aut capriſcus, de quibus Geſnerus pag. 70. & 214.) Ab ore ad initium caudæ quindecim digitos longus, in medio, ubi latiſſimus, octo latus: corpore paulum compreſſo ac lato: dorſo arcuato, ventre adhuc magis curvo: capite porcino: dentibus caninis, albis, longis: octo in qualibet mandibula, duo medii tam inferius quam ſuperius longiores ſunt reliquis: dentes inferioris mandibulæ aliis quaſi brevioribus ſuſtentantur. Os ſubrotundum, anguſtum: qua-

 tuor fe-


tuor fere digitorum interſtitio ab ore ſuperius ſunt oculi, ſeſquidigitum à ſe invicem diſtantes, majores groſſo miſnico (& ante eos quaſi veſtigium foraminis) pupilla cryſtallina, circulo aureo maculato cæruleo. Branchiarum loco rimam habet duos digitos longam, plus uno latam. In dorſo tres pene digitos poſt oculos, duo habet cornua, unum pennam olorinam craſſum, tres digitos longum, quod verſus poſteriora paulum inclinatur, alterum par-



vum per membranam alteri adnexum, utrumque in rimam recondere poteſt demiſſum. Trium & ſemis digitorum intervallo poſt hæc pinna eſt, in initio ferme triangularis, hinc magis magiſque anguſtatur ad caudam fere, quinque digitos longa, initio paulo plus duobus lata: & è regione in infimo ventre talem, initio duos & ſemis digitos latam, magis magiſque arctatam verſus caudam. Cauda quadrata figura à corpore extenditur & pinnam habet quatuor digitos latam, duos longam, quæ in duo cornua dilatatur, ut totius longitudo ſit quatuor digitorum. In medio inferioris corporis parvam habet pinnam & ante eam cornu ſeſquidigitum longum. Pinnæ omnes ſuſtentantur ſpinis & ſunt cærulei coloris; venter albicat. Squamis veſtitur elegantibus, in ſuperficie ſua punctulis thalaſſinis cum cæruleo indico umbratis, in dorſo magis cæruleis. Ab oris ſummitate in utrumque latus ad pinnas poſtbranchiales, ſemilunari figura, duæ lineæ craſſæ cæruleæ, unius digiti intervallo, ducuntur. Comeditur aſſatus, coctus non valet.

ANNOTATIO. Tam capri quam Capriſci icones quas dat Geſnerus non bene conveniunt cum Auctoris noſtri, uti nec deſcriptiones, quare hunc noſtrum illius quidem ſpeciei, alium tamen judico.

CUCURI Braſilienſibus: *Caſſaon* Luſitanis (caniculæ ſpecies vide Geſner. pag. 201.) ex genere Tiburonum: piſcis duos & ſemis pedes longus, capite in hyperbolen deſinente, & ore longe inferius ſtante: & unum tantum ordinem minimorum denticulorum habet, quare nocere non poteſt: oculi illi ſunt majoris piſi magnitudine, nigri: Pinnæ ſeptem plane ut Tibu-




roni, duæ nempe poſt quinque illas inciſuras, triangulares; in medio infimo ventre duæ parvæ, & in ultima medietate inferioris corporis item parva triangularis: in medio dorſo magna triangularis erecta: & parvula ejuſdem figuræ ad caudam; quam habet inſtar Tiburonis, uti & ſimilem illi per totum cutem, ejuſdemque coloris: nimirum totum inferius corpus album, dorſum & latera cinerea, quibus argentum tranſplendet: pinnæ omnes cinereæ, exceptis parvulis in inferiori corpore, quæ albæ: cauda cinerea. Hic quem deſcribo, tres catulos perfectos in ventre habebat, unde liquet animal edere. Carnem habet ſiccam ſine ſpinis, ejuſdem fere bonitatis cum *Corcovado*. Sæpius commedi.

PIRAYA & PIRANHA Braſilienſibus: Piſcis pedalis longitudinis, lato corpore circiter ſex digitos, ubi latiſſimus: dorſo incurvato, capite obtuſo ut Dorada. Oris hiatus parabolicus, quod exacte claudere poteſt, habetque labia parva quibus dentes tegit; obtinet enim tam ſuperius quam inferius ordinem dentium triangulatorum, alborum, acutiſſimorum, quatuordecim in qualibet mandibula (minores habent duodecim) quibus uno morſu partem carnis ex quacunque parte hominis poteſt abripere, quaſi novacula eſſet abſciſſa. Si quis ingrediatur aquam vel ſaltem immittat pedem vel manum ſtatim ab illo lædi poteſt, ita ſitiens eſt ſanguinis

& cupiens

& cupiens carnis humanæ, quare caute ab illo cavendum. Oculos habet rotundos, parvos, cryſtallinos pupilla nigra, & inter illos duo foraminula ſeu ſpiracula: branchias amplas, exterius duras & oſſeas: ſex pinnas & ſeptimam pro cauda; duas nimirum poſtbranchiales, paulum elatas à ventre infimo, duos digitos longas, unum latas: in medio infimo ventre duas junctas parvulas, vix unum digitum longas & anguſtas: è regione harum in medio dorſo incipit pinna & ad duorum & ſemis digitorum longitudinem extenditur verſus poſteriora, paulo plus uno digito lata: duorum autem digitorum interſtitio à parvulis in infimo ventre incipit pinna, firma ſpina anterius munita, cætera mollis & maximam partem ſquamulis tecta & paulo plus duobus & ſemis digitis longa, extenditurque ad exortum caudæ, unum digitum lata: exortus caudæ ſeſquidigitum longus, ipſa bicornis, & quodlibet cornu in exitu arcuatur. Squamulis tegitur: tota ſummitas capitis, dorſum & latera uſque eo ſi linea ducatur à poſtbranchiali pinna ad medium pinnæ ſquamoſæ, coloris eſt cinerei diluti cum pauco cæruleo mixti, ac ſquamula quælibet fimbriam habet ignei & cærulei coloris tranſplendentis, reliquum laterum ſeu inferior pars & venter coloris ſunt flavi obſcuri, ut & capitis inferior pars, ac pinnæ poſtbranchiales & omnes infimi ventris. Pinna dorſalis & cauda coloris eſt è cinereo cæruleſcentis. Edulis eſt & carnem habet albiſſimam, paululum ſiccam & boni ſaporis. Sæpiſſime comedi. Hæc ſpecies maxime gaudet cœnoſo fluvii fundo.




Pirayæ alia ſpecies hic reperitur magnitudine & figura plane ſimilis priori, excepto quod parvulam adhuc pinnam habeat ſquamatam inter dorſalem & caudam, & quod colore differat: nimirum ſummitas capitis, totum dorſum & laterum ſuperior pars eo uſque ſi linea ducatur à pinna poſtbranchiali ad medium pinnæ ſquamoſæ, coloris ſunt aurei ac rubri cum cinereo mixti, & cæruleo tranſplendente. Capitis inferior pars, reliquum laterum & infimus venter inſigni colore croceo fulgent, cui aureus perſplendet. Ejuſdem coloris croceo-aurei ſunt pinnæ poſtbranchiales & infimi ventris. Dorſales duæ & cauda cinerei diluti cum pauco cæruleo mixti, ut & dorſum. Hæc ſpecies magis gaudet arenoſo fluvii fundo. Edulis eſt ut prior.

Reperitur & alia Pirayæ ſpecies alba, figuræ ut antecedentes, ſolum caput non ita obtuſum, ſed os paulum prominet figura conica: color ventris & laterum argenteus: dorſum & caput argentei coloris cum pauco cæruleo tranſplendente: pinnæ omnes argentei coloris cum gryſeo mixti. Dentes habet parvulos triangulares ordine diſpoſitos, nec ita mordet ut cæteri. Paulo minor quoque eſt reliquis ſpeciebus, cæterum non minus edulis quam illæ.

CAP. XIII.

Punaru duæ ſpecies. Amore duæ ſpecies. Paſtor ſive **Harder.** *Guacari.*

PUNARU Braſilienſibus: piſciculus eſt quatuor digitos longus, corpore oblongo; capite craſſiuſculo, & anterius obtuſo. Os habet parvum; in maxilla inferiore duos ſolummodo denticulos, longos, acutos inſtar acicularum: oculos ſuperius & in fronte poſitos, pupilla nigra, circello aureo: & ſupra hos duo rubra fila brevia, prominula; branchias amplas; utpote quæ una ei eſt è duabus conflata: Pinnas poſtbranchiales duas oblongas; & ſub his duas plane anguſtas. Paulo poſt occiput incipit pinna quæ ad caudam uſque producitur, ſpinulis prominulis ſuffulta.




In medio infimo ventre incipit ſimilis, ferme ad caudã uſque pertingens. Cauda autem longiuſcula, & parallelogramma. Tegitur cute fuſca, & pinnæ ſunt ejuſdem coloris.




Reperitur hic & alia *Punaru* ſpecies, figura corporis priori ſimilis; ſed mandibulas habens roſtratas, quaſi è minimis denticulis compoſitas. A ſummitate capitis pinna latiuſcula extenditur uſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ditur uſque ad exortum caudæ quæ mollibus texitur ſpinis non prominulis. Poſtbranchiales habet fere ut prior; ut & in ventre & cauda. Color ut prioris, ſed variegatus eſt in lateribus lineis curvis obſcure purpureis. Vtraque ſpecies inter ſcopulos vivit & intrat etiam teſtaceorum domicilia.




AMORE GUACU Braſilienſibus; in ſemipedis longitudinem excreſcit; corpore oblongo, capite craſſiuſculo, branchiis amplis, minutiſſimis in ore denticulis: Oculi illi parvi nigri circello aureo. Pinnas habet ſeptem: nimirum duas poſtbranchiales oblongas, quaſi triangulatas; duas ſub his junctas; duas in dorſo, anteriorem minorem poſteriore; & è regione poſterioris unam in infimo ventre. Cauda oblongiuſcula, parallelogramma, in extremitate circinata. Tegitur ſquamis pro ſua magnitudine majuſculis. Piſcis in totum ferrei coloris, in ventre tamen paululum è ferreo albicat. Eſt edulis.




AMORE PIXUMA Braſilienſibus, vulgo corrupte *Amorea* Piſcis magnitudine Tamoatæ, capite lato, ore amplo, & edentulo, corpore oblongo ita ut fere Tamoatam referat. Coloris eſt obſcure ferrei; in ventre, qui extuberat, albi. Tegitur cute molli: pinnas habet ſeptem & octavam pro cauda in ambitu circinatam. Carne eſt ſicca & bona ut Tamoata.

AMORE TINGA Braſilienſibus piſcis eſt ejuſdem plane figuræ cum *Amore guacu*, ſed tantum minor: habetque ſquamas in *totum* albicantis ſeu pallidi coloris, & in totum maculatur maculis fuſcis ut *Tajaſica*. Cauda tamen illius eſt fuſco undata. Edulis eſt ut præcedentes.



PASTOR Belgis **Harder** (*nomen Braſilienſe ab Auctore non proditur*) piſcis eſt mediocris Truttæ magnitudine cujus & figuram habet; oculis ellypticis, ſquamis albicantibus ſeu argenteis, mediocribus inſtar percæ, lineari ordine diſpoſitis, & inter ordines ſquamarum, lineæ gryſeæ mediæ ſunt intertextæ. Pinnas habet ſeptem omnes majuſculas & longas; duas nempe poſt oculos (caret enim branchiis) duas ſub his junctas in inferiori corpore, his oppoſitas tamen magis verſus poſteriora: in ſummitate dorſi unam maximam omnium; in infimo ventre circa anum unam, & itidem unam illi oppoſitam in dorſo. Cauda in duo ampla córnua eſt diviſa. Pinnæ omnes ſunt albicantes.

ANNOTATIO. Piſcis nauticis hominibus notiſſimus, quorum noſtrates hoc nomen illi dederunt, quod Auctor noſter Latinum fecit. Cæterum Geſnerus judicat eſſe Mugilem vel mugilis ſpeciem, & ſquamis ſatis magnis tectum eſſe, & lineis à capite verſus caudam aliquot, inſtar Thymalli diſtinctum. Dat autem plures Mugilum icones, quarum nulla cum hac noſtra quam Auctor noſter ad vivum delineavit, convenit: omnes quoque habent branchias, quibus hic piſcis caret.



GUACARI Braſilienſibus: piſcis ſubrotundo ſeu pyramidali corpore, pedalis vel paulo majoris longitudinis; octo digitorum craſſitiei, ubi maxima eſt. Caput inferius planum, lateribus ellypſin deſcribit, ſuperius ſubrotundum. Os parvum rotundum habet ſubter in plano capitis: loco dentium in utroque latere proceſſus habet quaſi ſetis equinis factos: inferius labium explicatum, lunatum, membrana conſtans, quæ in lateribus oris in ſuis extremitatibus in cirrhum deſinit, trientem digiti longum, qui cirrhi pro barba ſerviunt. Oculi parvi, rotundi, nummi dimiſnici magnitudine, cinerei fuſco maculati, ſuperne poſiti & inter quemlibet foramen, diſtans dimidium digitum ab oculo verſus anteriora: Branchiæ anguſtæ inferius verſus & ante quamli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

quamlibet proxime corpuſculum parallelogrammum, ſemi ferme digitum longum, quod extendere & recondere poteſt, ita ut reconditum vix videatur. Continet illud corpuſculum in extremitate denticulos acutos ſetaneos, quibus alios piſces pungit. Et poſt branchias in quolibet latere inferius ad planum, triangularem quaſi pinnam, quatuor digitos longam pene, plus uno latam, oblongam, ſpina oſſea in extremitate laterali ſuſtentatam & aliis minoribus ſecundum longitudinem diſcurrentibus: ſpatio autem ſeſquidigiti verſus poſteriora directe poſt has jam deſcriptas, iterum duas inferius pinnas habet quadratas, in quolibet latere unam, duos & ſemis digitos longas, duos latas, eodem modo ſpinis hiſpidis oſſeis ſuſtentatas. Poſt anum in infimo ventre anguſta eſt pinna, parallelogramma, duos digitos longa. In medio dorſo pinna eſt, quatuor digitos longa, duos lata, ſpinis hiſpidis ordine diſpoſitis ſuſtentata, ac anterius ſpina dura craſſiore fulta, poſt hanc prope exortum caudæ ſuperius parva quædam eſt pinna, membranoſa, quæ anterius corniculata ſpina fulcitur. Cauda conſtat pinna tres digitos longa inferius, duos ſuperius, bicorni, ſpinis firmis ſuffulta. Totum caput teſta veſtitur dura, ad tactum hiſpida: totum corpus ſquamis triangularibus, verſus anteriora majoribus, ordine poſitis. Sunt autem ſquamæ omnes ad tactum aſperæ, quaſi exſculptæ, quælibet in ſui medio extuberantiam habens: ſcilicet totum corpus loricatum eſt, & quælibet pars loricæ habet quatuor angulos, & in quolibet exiſtit tuberculum ita ut in quolibet latere ſit quadruplex ordo tuberculorum. Color totius piſcis croceus dilutus, in ventre ſaturatior; ac per totum maculatur maculis rotundis, magnitudine ſeminis ſinapi, fuſcis. Maculæ hæ in lateribus & pinnis paulo ſunt majores, in capite minores, ac in ſummitate capitis maculæ ruunt quaſi rivuli. Poſterior medietas ventris nullas habet maculas. Pinnæ omnes ut corpus coloratæ & maculatæ, excepta pinnula prope caudam, quæ conſtat membranula nigra, corniculata autem illius ſpina crocea eſt & maculata ut reliquæ.


Diu vivit extra aquam, ad quinque horas. Editur defracta lorica, ſed paucam habet carnem: inteſtina longiſſima, æqualis omnia craſſitiei, inſtar craſſioris fili quo vela conſuunt. Habebat unus piſcis quindecim digitos longus, inteſtina viginti octo pedes longa, quæ dimenſus ſum.

Reperitur & hic Guacari, magnitudine & figura plane ſimilis priori, qui in flumine S. Franciſci capitur ſolo colore differens & bonitate carnis: eſt enim totus umbræ coloris obſcuri & per totum maculis adſperſus obrotundis, nigris, ſeminis ſinapi magnitudine; Caro hujus boni eſt ſaporis.

CAP. XIV.


Piraumbu. Acara aya. Timucu. Guamajacu atinga. Acara. Guari guaru. Cugupu-guacu. Maturaque. Carapo.

PIRAUMBU Braſilienſibus; *Chayquarona* Luſitanis; piſcis carpionis magnitudine & figura: decem digitos longus ab ore ad initium caudæ, paulo plus quatuor digitis latus, ubi latiſſimus: verſus caudam anguſtior & æqualis latitudinis, duorum nimirum digitorū. Os habet inſtar Carpionis, oculos magnos prominentes, pupilla cryſtallina, circulo aureo cum albo mixto. Pinnas obtinet octo, nimirum unam in medio dorſo, paulo plus tribus digitis longam & unum latam, quam in rimam recondere poteſt, & erectam novem firmis ſpinis ſuſtentare: huic contigua eſt alia tres fere digitos longa, minus uno lata nullis innixa ſpinis: poſt utramque branchiam unam habet tres digitos longam, unum latam in exortu: in infimo ventre duas junctas, duos digitos longas, vix unum latas, firma ſpina munitas; poſt anum unam, digitum latam, dimidium longam, itidem firma ſpina ſuſtentatam: octava eſt pro cauda, tres digitos longa, totidem lata & furcata. Squamas habet majores, inſtar carpionis, argentei ſplendentis coloris, pauxillo aureo mixti: quælibet autem ſquama mediam partem uſque ab inſertione ſua coloris eſt *feuliemort*: ſub capite & ventris priore parte magis argenteus eſt. Omnes pinnæ dilute cinerei ſunt coloris. In ore ſuperius & inferius lapidem habet, denticulis minimis præditum, vix ſenſibilibus. Edulis eſt ac boni ſaporis.



ACARA AYA Braſilienſibus: vulgo corrupte *Garanha*: Piſcis qui trium pedum longitudinem

dinem adipiſcitur, figura Carpionis. Dentes in inferiori mandibula habet acutos, inſtar acicularum: in ſuperiori duos longos paulo craſſiores, quibus interjacent minutiſſimi vix ſenſibiles. Oculi ipſi magni ſunt, pupilla cryſtallina, circulo ſanguineo primum, hinc argenteo. Pinnam longã habet per dorſi longitudinem expanſam, cujus mediam partem verſus anteriora ſpinis ſurrigere & in rimam recondere poteſt: reliquas quinque pinnas communes habet cum aliis piſcibus: ſeptimam pro cauda, quæ lata & pene bicornis eſt. Squamis veſtitur argenteis, mediocris magnitudinis, quæ ſanguineo colore umbratæ ſunt, ita ut maximam partem ſanguineus videatur, argenteo colore tranſplendente: in ventre totus eſt albus, ut & ſub faucibus. Pinnæ omnes ſanguinei coloris, exceptis iis quæ ſunt in infimo ventre, quæ albæ ſunt, in extremitatibus tamen ſanguineæ. Edulis eſt piſcis; Sale etiam conditur & ſervatur.





TIMUCU Braſilienſibus; *Peixe agulha* Luſitanis: piſcis duos pedes longus, corpore tereti inſtar anguillæ. Roſtrum habet oſſeum, tres vel quatuor digitos longum, acuminatum, utrobique dentibus minimis refertum: inferior roſtri pars paulo longior ſuperiori, & id quod prominet molle, non oſſeum; caret lingua. Oculos habet rotundos, cryſtallinos, circulo argenteo: ſex pinnas, nimirum duas oblongas poſtbranchiales, duas junctas in infimo ventre ante anum parvas, poſt anum unam quæ fere ad exortum caudæ porrigitur & ſimilem huic oppoſitam in dorſo; Cauda pinna quaſi biſecta conſtat. Caret ſquamis, ſed tegitur cute. Summitas capitis & roſtri ac dorſi cum medietate laterum olivacei eſt coloris: inferior medietas cum ventre argentei. Per utrumque autem latus ſecundum longitudinem linea tendit vireſcens, diſtinguens olivaceum ab argenteo. Pinnarum color reſpondet parti cui appoſitæ ſunt. Edulis eſt. Capitur in mari & fluviis ſalſis. Boni eſt ſaporis, præſertim frixus butyro; caro ejus non eſt ſpinoſa.

GUAMAIACU ATINGA Braſilienſibus, mihi orbis muricatus Ranæ rictu, ſeptem digitorum longitudinem habebat, & corpus oblongum: os Ranæ ſimile, & loco dentium tam ſuperius quam inferius, os durum: oculos magnos, rotundos, protuberantes, pupilla cryſtallina circulo flavo: Branchiarum loco foramen in utroque latere digitum admittens & pone hoc pinnam trapezii figura, unum digitum longam, duos latam: in extremitate dorſi verſus caudam etiam pinnam oblongam, haud amplam, & è regione hujus ſimilem in infimi ventris extremitate. Cauda conſtat pinna ſeſquidigitum longa, unum lata. Totum corpus tegitur cute ſpinoſa quæ in capite in duram teſtam abit. Spinæ illæ conſtant duris oſſibus & acutis: in infimo tamen ventre caret ſpinis, ſed mollis eſt inſtar Ranæ. Totum corpus & caput ſuperius ex gryſeo & fuſco eſt maculatum: magis tamen fuſceſcit, inferius totum ex albo ſubflaveſcit, ut & ſpinæ totius corporis. Pinnæ omnes flaveſcunt. Poſt utramque pinnam poſtbranchialem maculam habet nigerrimam ſtuferi magnitudine & ſupra hanc utrobique, paulum tamen magis verſus anteriora aliam minorem nigerrimam. Ad utrumque latus exortus pinnæ dorſalis etiam ſimilem habet: parvulas item ſub oculis & ore. Vtris modo ſe inflare poteſt.




Non eſt edulis. Capitur in mari.


ACARA Braſilienſibus: piſcis palmum longus, dorſo curvo, & alto corpore ut Perca. Os habet anguſtum, & dentium loco limam: oculos haud magnos, nigros, circulo aureo: Pinnas obtinet ſex: nimirum ſub qualibet branchia unam longam, triangulum acutum re-




ferentem: à ſummitate autem dorſi pinna extenditur, firmis ſpinis ſuſtentata & in triangulum acutum prope caudæ exortum deſinens. Cauda oblonga eſt, parallelogramma, in extremitate recta. Veſtitur ſquamis ſatis magnis, argentei coloris, ſed in capite, dorſo & lateribus ita umbra mixtis ut fuſcus videatur. Venter albicat. Pinnæ omnes & cauda fuſci ſunt coloris ex umbra. In medio quolibet latere magnam habet maculam nigram, ut & prope exortum caudæ. Edulis eſt piſcis, & capitur in fluviis dulcibus.



GVARVGVARV Braſilienſibus, piſciculus eſt minutus, nunquam major ſeſquidigito, exili corpore, oblongo, inſtar minimi *Eldriz*. Capitulum habet compreſſum: ocellos nigerrimos, circulo aureo: pinnulas quinque, nimirum duas poſtbranchiales, & duas ſubtus fere in infimo ventre, & unam in poſteriore medietate dorſi: cauda conſtat pinna parallelogramma, in extremitate circinata. Veſtitur ſquamulis; & totum caput ſuperius, & dorſi anterior medietas ſunt fuſci coloris, poſterior & latera aurei, ſquamulis umbratis umbra: caput inferius & venter albi ſplendentis ut mater perlarum: pinnulæ flavæ: prope caudam utrimque maculam habet nigram. Edulis eſt & capitur in lacubus & ſtagnis.




CVGVPV-GVACV Braſilienſibus, Luſitanis *Meros*, Belgis **Jacob Evertzen:** ingens ſit piſcis: habui quorum corpus cum capite quinque pedes erat longum & cum cauda ſex: corporis ambitus quatuor pedum, octo digitorum, altitudo unius & ſemis. Caput & os magnum habet, quod apertum in rotundum dilatat, edentulum: oculos mediocres, pupilla cryſtallina nigricante, circulo flavo: Branchias in ambitu rotundas, medio autem in triangulum deſinentes: Pinnas quinque; nimirum unam à ſummitate dorſi incipientem & non ita longe à cauda deſinentem, ad anteriorem partem ſeu medietatem plane anguſtam & acutis ſpinis munitam; poſterior autem medietas lata eſt & ſemilunata in ambitu, ſpiniſque haud firmis erigitur: prope anum unam ejuſdem figuræ, cum medietate poſteriore dorſalis, ſed dimidio minorem: poſt branchias prope infimum ventrem duas longas & latas, tenuioribus ſpinis intertextas. Cauda magnam pinnam habet quadratam, in extremitate latiorem, quam in exortu. Squamas habet parvas. Totum caput, dorſum ac latera cinerei ſunt coloris cum umbaa mixti, & verſus dorſum paulo ſaturatioris. Venter albicat. Pinnæ omnes cum cauda dilute brunnæ. Per totum caput, dorſum, latera & pinnas poſtbranchiales maculæ parvæ nigræ, ſeu puncta frequentiſſima diſperſa. Venter vero & reliquæ pinnæ cum cauda his punctis carent. Bonam habet carnem. Capitur in mari.



MATVRAQVE Braſilienſibus: Piſcis corpore oblongo & ferme parallelogrāmo, figura ſcilicet Tamoatæ. Quinque aut ſex digitos longus, ſeſquidigitum latus, ubi latiſſimus. Caput habet latiuſculum, dura teſta tectum. Oris pars inferior paulo longior ſuperiori: & in inferiori ſex denticulos acutiſſimos habet, in ſuperiori aliquot minimos: Branchias ſatis amplas: oculos rotundos, nigros, circello aureolo, exterius fuſco: Pinnas ſex, nimirum duas poſtbranchiales oblongas, haud latas: duas tales in medio infimi ventris & unam poſt anum trapezii figura, & ſimilem in medio dorſo: Cauda conſtat pinna quadrata unum fere digitum longa, in extremitate circinata. Tegitur magnis ſquamis ordine poſitis. Totum caput ſuperius, dorſum & latera nigra ſunt, venter ex albo obſcure caneſcit. Pinnæ omnes nigræ. Capitur ſolum in lacubus & paludibus, non in fluviis. Boni ſaporis eſt, ſæpe commedi.

CARAPO Braſilienſibus, Prima ſpecies, corpore oblongo, figura cultri: dorſum nimirum craſſum & obtuſum, venter acutus ut culter: poſterius autem corpus deſinit in acumen: unum pedem circiter longus, duos digitos latus, ubi latiſſimus. Caput acuminatum, ſed compreſ-



ſum, inferius labium paulo longius ſuperiori, os anguſtum, inferius ordinem denticulorum minutorum, ſuperius nullos habet. Oculi minimi, nigri, vix grani papaveris magnitudine. Branchiæ anguſtæ & poſt quamlibet parvula pinna oblonga. Vnius fere digiti intervallo à capite in infimo corpore incipit pinna tenuis, anguſta & per totum ventrem æqualiter porrigitur ad finem corporis: nam caudam nullam habet nec ullam aliam pinnam in toto corpore: Squamas habet mediocres. Totus piſcis eſt coloris ex fuſco & pauco rubro mixti, ac in dorſo & capite magis nigreſcit. A branchiis in quolibet latere linea tendit ad finem corporis uſque, quaſi cultri acie tracta & ſub hac linea maculæ nigræ per corpus diſperſæ, ſeminis ſinapi magnitudine. Capitur in lacubus & eſt edulis.


In Flumine S. Franciſci capiuntur Carapo huic priori ſpeciei ſimiles, excepto quod longiores ſint & in extremitate acuminati inſtar ſubulæ, ad trium digitorum longitudinem ſquamulas parvas habent.

CARAPO ſecunda ſpecies, priori figura, colore & lineis lateralibus ſimilis, excepto quod dimidiæ tantum ſit latitudinis, nec ullas maculas habeat. Capitur in lacubus. Caro ſpinoſa, ſed boni ſaporis.

CAP. XV.


Piaba. Piabucu. Nhaquunda. Guebucu. Guara tereba.

PIABA Braſilienſibus: magnitudine noſtratis **Eldrize** (vide Geſnerum de Phoxino) piſciculus duos aut tres digitos longus(interdum quatuor aut quinque quando maximus) ocellos habet nigros, circello aureo. Squamulis veſtitur. In medio dorſo pinnula erecta triangularis: poſt quamlibet branchiam unam habet oblongam; duas in medio infimo ventre & poſt has unam, quæ ad caudæ exortum protenditur: cauda eſt furcata. Caput ad latera auro & argento ſplendet: totum dorſum argenteo viridi & multo Indico: medium laterum ſecundum



longitudinem argenteo & Indico mixtum: Venter aureo & argenteo & pauco Indico. Poſt quamlibet branchiam maculam habet rotundam ſatis magnam Indici coloris & ſtatim poſt hanc ejuſdem coloris maculam lunæ corniculatæ figura, ejuſdemque coloris oblongam in quolibet latere ad caudæ exortum. Pinnæ omnes & cauda aurei coloris, quæ in infimo ventre rubræ. Capitur in omnibus fluviis dulcibus currentibus Braſiliæ ac ſumma vi contra aquæ curſum nititur. Braſiliani involvunt foliis arborum & cineribus condunt, deſuper ignem imponentes; ſic præparatos commedunt. Saporis ſunt haud contemnendi: ſæpius comedi.


PIABUCU Braſilienſibus: piſciculus ſex digitos longus, ſeſquidigitum latus, ubi latiſſimus; ventre paululum extuberante, oculis elegantibus, pupilla cryſtallina, circulo argenteo, cui ſuperius parum rubri admixtum. Septē habet pinnas, octavam



pro cauda furcatam: nimirum poſtbranchiales duas in infimo ventre, unam in medio dorſo, circa anum unam longam extenſam verſus caudam; & è regione hujus in dorſo parvulam. Tegitur ſquamulis argenteis ſplendentibus. Per medium laterum ſecundum longitudinem tendit linea alba lata non ſplendens. Dorſum autem ad hanc lineam olivacei eſt coloris, cui viri-


cui viridis hyacinthinus perſplendet. Pinnæ albæ. Capiuntur facillime aciculis, vel corbe aut olla immiſſa in aquam, cui parum farinhæ de mandioca aut mica panis intrita. Cocti comeduntur & frixi. Si quis vel leviter vulnerato uno aut altero membro vel ulcuſculum tenens aquam ingrediatur, ſtatim hic piſcis vulnus petit mordendo, ita ſitiens eſt ſanguinis humani.

NHAQVVNDA Braſilienſibus; mas & fœmina reperitur. Mas corpore eſt oblongo, fere ubique æquali, ſeptem, octo, aut decem digitos longus, duos altus, ubi altiſſimus: caput & os fere Lucii habet; ſuperius labium extendere & oris hiatum rotundare poteſt: dentium loco habet limas, linguam tenuem, branchias amplas: oculos conſpicuos, pupilla nigra, circulo fuſco: ſeptem pinnas, poſt quamlibet branchiam unam, duos fere digitos longam; ſub his



in infimo ventre duas junctas, & poſt anum unam pene quadratam. Ab initio fere dorſi una protenditur pene ad caudæ exortum, tres digitos longa, unum ferme lata, æqualis, mollibus ſpinis ſuffulta, quæ in fine paulo latior, & in triangulum deſinit. Cauda teſta dura tegitur nigra. Totum corpus ſquamis mediocris magnitudinis veſtitur, ac totum dorſum & latera obſcuri gryſei ſunt coloris cum argenteo tranſplendente. Venter albus. In utroque latere unum ordinem habet macularum, rotundarum, nigrarum, piſi magnitudine, & inter has diſperſa punctula multa cærulea. Pinnæ omnes aureæ ut & cauda: & pinna dorſi inſuper variegatur per totum punctulis cæruleis. In utroque latere per ordinem macularum nigra tendit linea, incipiens à fine ſuperiore branchiarum, & ad regionem finis pinnæ dorſalis deſinens, & ſemidigiti fere interſtitio ſub hujus fine, alia linea incipit ac in medio exortus caudæ deſinit. Lineæ hæ elatæ ſunt ac aureæ. Capitur in fluviis ac boni eſt ſaporis.


Fæmina mari per omnia ſimilis, excepto quod punctulis cæruleis in lateribus & pinna dorſali deſtituatur & quod venter circa anum rubeſcit. Comeditur ut mas.



GVEBVCV Braſilienſibus: Luſitanis *Bicuda*; piſcis roſtratus; oblongo & ferme tereti eſt corpore, ut *Dorada*: capite porcino, roſtrato, cauda in duo cornua diducta ut *Albacara*: roſtrum acutum, oſſeum, durum: partis ſuperioris longitudo ſedecim digitorum, inferioris decem. Craſſities totius prope inſertionem ſeptem digitorum: utramque autem roſtri partem movere poteſt. Branchias habet amplas: os interius orbicularis figuræ, in medio ſui hyperbolico foramine; lingua oblonga, alba, dentibus omnino caret. Oculos habet ſolidi magnitudine, pupilla cryſtallina, circulo argenteo. A roſtri inſertione caput in altum aſſurgit, ut in *Dorada* mare: eſt autem caput ab oculis ad occiput longum ſeptem digitos, novem altum. Corporis longitudo ab occipitio ad caudæ exortum quatuor pedum, & altitudo lateris poſt occiput unius pedis; in medio autem corporis decem digitorum & prope caudam duorum. Cauda in duo cornua extenditur & ampliatur, quodlibet octodecim digitos longum; ad cujus exortum in quolibet latere duæ auriculæ membranaceæ. Pinnas habet ſex: proxime poſt quamlibet branchiam unam, directe à latere protenſam, dura membrana conſtantem ut in Tiberone, figura trianguli acuti, undecim digitos longam, & in exortu, ubi latiſſima, duos tantum latam: è regione harum in infimo ventre duo bacilliformia corpora juncta habet, ex oſſe nigro conſtantia, dura, plane ut os Sepiæ, quodlibet novemdecim digitos longum: utrumque junctum, in rima longa, profunda recondere poteſt, quæ à natura ſecundum longitudi-

nem ven-

nem ventris facta eſt ad caudam uſque. Interſtitio duorum pedum à fine hujus fiſſuræ ſeu ano, in infimo corpore pinnam habet triangulatam ſex digitos longam, latere anteriori firma ſpina munitam; etiam hanc in rimam quandam recondere & rurſus ſurrigere poteſt: octo digitorum interſtitio ab hac pinna, parvam habet verſus caudam, in acutum triangulum verſus poſticam partem deſinentem, & è regione hujus ſimilem & æqualem in ſuperiori corpore, has duorum digitorum intervallo ſequitur cauda, quam ſupra deſcripſi. Maxima autem omnium eſt pinna dorſalis, incipiens à ſummitate occipitis, quæ protenditur per dorſum in trium pedum longitudinem, conſtans membrana pergameni æmula, coſtis intertexta; hanc quoque totam demittere poteſt ac in profunda rima condere: lata eſt ſeſquipedem, ubi latiſſima, & verſus poſteriora paulum anguſtatur. Cute craſſa, ſubaſpera veſtitur, tota ſub fuſca: ſpinulis oblongis, trientem digiti longis, ut ita ſolida ſit & aſpera, cum ſquamis careat. Venter & caput inferius albicant, latera cinerei & argentei coloris: dorſum ex cinereo argenteo obſcure fuſcum, ut & caput ſuperius & roſtrum; reliqua roſtrum cinereſcit flavo. Pinnæ omnes cum cauda ex cinereo argenteo fuſceſcunt, ut & dorſalis, quæ præterea maculis orbicularibus, nummi miſnici magnitudine inſigniter eſt variegata, illa poſt anum paulum undata maculis fuſcis. Carnem copioſam habet, non ſpinoſam, pinguem, non glutinoſam, ideo ad commedendum aptiorem quam caro Marſorum. In ventriculo interiore multos integros piſces pedales inveniebam.



GUARA TEREBA Braſilienſibus; Piſcis magnitudine ſeptem aut octo digitorum: capite obtuſo, oculis cryſtallinis, circulo aureo: os denticulos habet minimos: Branchias amplas: dorſum incurvatum, unde & *Corcovado* minor poteſt appellari. Pinnas obtinet ſeptem: poſt quamlibet branchiam, unam longam: ſub his duas junctas in infimo ventre: in medio autem ventre duas ſpinulas acutas, quæ membranula conjunguntur; & poſt has triangularem, quæ deinceps anguſtata ad exortum caudæ extenditur: in ſummitate dorſi triangularem mediocrem, & poſt illam aliam ſimilem majorem, quæ anguſtata ad exordium caudæ porrigitur. Cauda in duo cornua extenditur. A branchiis linea tendit ad medium piſcis, quæ dein oblique deorſum vergit & directe uſque ad caudam porrigitur: hæc poſterior lineæ medietas hamulis poſterius verſis armatur, & utroque latere triangularibus veſtitur ſquamulis, quæ minimæ ſunt, ut ad tactum glaber videatur. Coloris eſt in dorſo & lateribus uſque ad medietatem longitudinis ex hyalino cæruleſcentis: reliquum laterum & venter albicat, ſed aureus color tranſplendet. Pinnæ ventris albæ, reliquæ cum cauda aurei ſunt coloris. Edulis eſt piſcis.

IPERU Braſilienſibus, Tiberaon vel Tuberaon Luſitanis, Belgis **Haye:** Canis carcharias vel lamia. Longitudo totius corporis uſque ad caudam ſex pedum. Longitudo caudæ (quæ pinna eſt lata, diviſa ſeu furcata, cujus pars ſuperior longior inferiori) duorum pedum. In ore habet triplicem ordinem dentium magnorum triangularium, inſtar dentium majoris ſerræ, & quilibet dens iterum minoribus eſt dentatus vel ſerratus: numeravi in uno CXXII. dentes. Oculi elati. Pone foramina ſeu ſpiracula tres habet in quolibet latere rimas, ſpithamales quaſi inciſuras. Totum corpus tegitur cute ad tactum hiſpida, qua ſiccata ligna expoliri poſſunt. Craſſities corporis duorum pedum. Sex alias pinnas habet præter caudam; duas maximas ſeſquipedem longas & ſeptem digitos latas, in quolibet latere unam poſt inciſuras directe à latere protenſas: unam in medio dorſo erecte ſtantem, duas minores in infimo ventre, & unam omnium minimam proxime caudam in inferiori corpore. Carnem habet albiſſimam quidem, ſed nimis ſiccam. Comeditur à nauticis ſociis & bajulis. Iuniores ſatis bene ſapiunt. Vidi pluſquam vigeſies ingentem canem abſumtum fuiſſe à Tiburone in Bibiribi. Vidi ſæpius duo poſteriora crura cum natibus uno morſu cani ablata. Hominibus infeſtiſſimus eſt & facile aliquem dilacerat ſi incautius aquam ingrediatur.

ANNOTATIO. De Cane carcharia vide Aldrovandum lib. III. cap. 32. Sed obſerva, quod ille in Iconibus in utroque latere exprimit quinque inciſuras, cum Auctor noſter tantum tres ipſi tribuat. Habeo autem ſceleton oris, in quo tam in ſuperiori quam inferiori mandibula ſextuplex ordo eſt ejuſmodi dentium, ſubtiliſſime ad latera ſerratorum; & numerari poſſunt dentes ſupra trecentos; præter alios minutos: ita ut terribilis ſit rictus.

Tiburonis ſpecies minor, Belgis **een Cruyshaye** à figura, convenit cum majore, excepto capite, quod habet triangulare ſeu ut cor vulgo pingitur. Oculi parvi ad latera ipſius capitis. Os

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tis. Os parvum triangulare longe infra poſitum; cum triplici ordine dentium minorum; nec ita poteſt nocere; os enim habet anguſtum. Caro melius ſapit quam majoris.

Reperitur & alia ſpecies, quam Braſilienſes vocant *Vrumaru*: Luſitani Lixa: Græcis Ῥίνη, Latina ſquatina, Belgis **een Schoerhene.**

CAP. XVI.

Bagre diverſæ ſpecies. Rayæ diverſæ ſpecies.

BAGRE piſcis oblongo corpore, initio dorſi paulum elevato; capite acuminato ſeu conico, quod dura teſta eſt tectum ad initium elevationis dorſi: pedalis longitudinis: Barbam habet ſex cirrhis conſtantem, quorum quatuor inferiores ſeſquidigitum longi, duo ſuperiores longitudinem totius piſcis æquant. Pinnas obtinet ſeptem, octavam pro cauda: nimirum



duas poſtbranchiales loco inferiori poſitas, & ante quamlibet fortem aculeum, dentatum, oſſeum: unam in ſummitate dorſi elevatam, & ante illam item aculeum fortem, æqualis cum pinna longitudinis: duas junctas in medio fere infimi ventris, magis tamen verſus anteriora; unam membranaceam ſine ſpinis verſus caudam, & huic oppoſitam mediocrem mollibus ſpinis ſuffultam. Cauda conſtat pinna furcata, caret ſquamis, ſed tegitur cute per totum argentei coloris ſplendentis. Pinnæ omnes argentei ſunt coloris, ut & barba & caput. Per medium utriuſque lateris tendit linea argentea ad caudam uſque conſtituta ex 77. protuberantiis. Oculi nigri ſatis ampli; os parvulum, edentulum, labiis elevatis. Piſcis eſt edulis; ſi quis ab eo læſus fuerit, difficulter ſanatur & magnos patitur dolores.


Alia *Bagre* ſpecies (quem deſcribo, longitudinem habebat duorum pedum & trium digitorum) corpore oblongo, capite compreſſo & plano; ore inferius parabolicæ figuræ, obtuſo,



edentulo. Caput octo digitos longum, teſta dura punctulata tectum. Oculi parvi, rotundi, cryſtallini, quatuor fere digitos ab invicem diſtantes. Barbam habet ſex cirrhis conſtantem, quorum exteriores longiores, quatuor digitorum, reliqui breviores: ſeptem illi pinnæ, octava pro cauda: una nimirum in ſummitate dorſi, firma ſpina anterius munita, erecta, tres digitos longa, totidem lata: duæ poſtbranchiales, itidem firma ſpina munitæ, quatuor digitos longæ, duos latæ; interſtitio ſex & ſemis digitorum poſt branchiales in infimo ventre (qui paulum extuberat) duæ junctæ, tres digitos longæ, duos latæ, in ambitu circinatæ: ſeptem digitorum intervallo à dorſali, alia in extremo dorſo, carnoſa, ſeſquidigitum longa, unum lata, in extremitate mollibus ſpinis munita: & ſub hac in infimo ventre alia paulo major: cauda ſequitur trium digitorum intervallo, in duo cornua diducta, craſſa ſed molli membrana conſtans duos & ſemis digitos longa, in quolibet cornu duos lata. Totum caput ſuperius & ad latera, dorſum totum & latera ad protuberantiam ventris uſque, candidi cum diluto flavo & aureo mixti eſt coloris; in teſta capitis etiam aliquid viridis tranſplendet: Pinnæ omnes & cauda gryſeæ ſunt: Venter & laterum inferior pars & caput inferius (quod planum eſt) albi colo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


ris: Caret ſquamis ſed veſtitur cute. Bona ſatis eſt carne, meliori quam Camarupi, cujus magnitudinem fere æquat.



BAGRE alia ſpecies figura & magnitudine ut præcedens, ſed barbam habet quatuor tantum cirrhis conſtantem, duobus nimirum longis octo digitos, & latiuſculis inſtar ligulæ, duobus brevibus: ad pinnam dorſalem ſimilis ligula novem digitos longa, & poſt branchiales pinnas eodem modo: cætera ſimilis præcedenti.



BAGRE alia ſpecies: Belgis noſtris vulgo **Clipbagre** decem digitorum longitudinem habet; corpore oblongo: capite lato & compreſſo: ore parabolico, edentulo. Barba conſtat ſex cirrhis quorum quatuor inferiores unum digitum, ſuperiores duos longi. Oculos habet parvulos, cæruleſcentes; quatuor digitorum interſtitio ab ore in ſummitate dorſi tegitur teſta dura oſſea; & poſt branchias in quolibet latere pyramidalis teſta anguſta tegit latera. Pinnas habet ſeptem, & octavam pro cauda: nimirum unam in ſummitate dorſi, elevatam, mollem, ſeſquidigitum altam, plus uno latam, anterius ſpina oſſea craſſa dupliciter ſerrata, duos & ſemis digitos lata ſuſtentatam. In medio ventre infimo duas parvas: in fine pene dorſi, carnoſam, parvulam, anguſtam & è regione hujus inferius aliam parvulis ſpinis ſuffultam; cauda diviſa in duo cornua ſeſquidigitum longa. Tegitur cute: ac in capite, initio dorſi & lateribus ubi teſtaceus eſt, umbræ eſt coloris, per reliquum totum dorſum & latera umbræ dilutioris, & fuſcis maculis mediocris magnitudinis variegatur: in ventre albicat. A teſtæ latiore fine ad caudam uſque in quolibet latere, per lineam rectam tendit ordo denticulorum acutorum, poſterius verſorum qui clypeo duro ſerrato in medio inſunt, nam anguli obtuſi figura poſiti ſunt uſque ad caudam hoc modo 7. Edulis eſt, ſed pauca carne, quæ non magni fit.




BAGRE alia ſpecies, præcedenti ſimilis, & maculis nummi miſnici magnitudine variegatus: verum caret denticulis illis in lateribus: lineam ſolummodo habet: & duos cirrhos & ſex longiores quam alter. Hæc ſpecies habet carnem bonam & pinguiſſimam.


BAGRE alia ſpecies, figura & magnitu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

magnitudine ſimilis illi quem ſecundo loco deſcripſimus: ſed barbam habet tantum quatuor cirrhis conſtantem, duobus nimirum longis octo digitos & latiuſculis inſtar ligulæ, duobus admodum brevibus. Ad pinnam dorſalem ſimilis ligula eſt novem digitos longa; & ad poſtbranchiales eodem modo; cætera per omnia ſimilis illi quem diximus; nam & ventrem ita protuberantem habet.



AIEREBA Braſilienſibus Rajæ ſpecies, piſcis planus, circinatus, unum pedem & novem digitos longus, & totidem latus (reperiuntur & duplo majores.) Quatuor digitorũ interſtitio ab anteriori circumferentia in ſuperiori ſuperficie duo foramina habet ſatis ampla, tres digitos ab invicem diſtantia; prope caudæ exortum orbicularis inciſura eſt in quolibet latere: cauda teres, quatuor pedes longa, & circiter in medio ſui, duas oſſeas ſpinas craſſas retro dentatas habet, quibus pungit, quando ad ſpiracula apprehenditur, caudam incurvatam ſupra corpus levando. Os inferius habet, haud amplum, edentulum; inciſuræ quaſi parabolicæ. Cute tegitur in ſuperiori corpore ferrei coloris & in medio dorſo inſignitur tuberculis nigris, parvis: inferius corpus totum album. Caro nihili æſtimatur in cibis.



IABEBIRETE Braſilienſibus; Rajæ ſpecies, ejuſdem magnitudinis cum Ajereba, figura autem obtuſi vomeris ad latera extuberantis: ſectiones prope caudam ut in illa, & præterea duo corpora cylindracea digiti craſſitie protuberantia. Cauda longa. Color piſci ſuperius è cinereo fuſcus, inferius albus; carne probata eſt & bona.


Reperitur hic & alia Rajæ ſpecies præcedenti ſimilis, excepto quod proceſſibus illis cylindraceis prope caudam deſtituitur. Color totius corporis ſuperius umbræ, punctulatus per totum maculis nigris, ſeminis ſinapi magnitudine: cauda aculeis caret. Carnem habet bonam.

Reperiuntur hic & Rajæ, quarum caudæ tres & ſemis pedes longæ, craſſæ in initio tres digitos & in fine plane acuminatæ, plenæ tuberculis nigricantis in totum coloris, flexiles ut ſcutica.

NARINARI Braſilienſibus; ſunt aliquot illius ſpecies, hæc quam hic deſcribimus appellatur *Narinari pinima*: Luſitanis *Raja*, Belgis **Pijlſteert** vel **Zeicle**. Paſtinaca marina. Corpus habet magnum, latum, ferme triangulare: conſtans ad utraque latera latiſſima pinna triangulari, carnoſa: & prope caudam habet duas pinnas, palmi magnitudine, ſubrotundas, æqualis longitudinis: caput magnitudinem habet mediocris porci, craſſum, compreſſum, in medio quaſi foſſam habens. Os triangulo ſubrotundum, compreſſum paulo & in promuſcidem deſinens: nam oris hiatus quinque diſtat digitos ab extremitate promuſcidis verſus ventrem: amplitudo oris duorum & ſemis digitorum; edentulum, ſed loco dentium os habet linguæ figura inferius in ore, quatuor digitos longum, ſeſquidigitum latum, ad fauces uſque pertingens, & ſimile os ſuperius, tranſverſim poſitum, duos digitos longum & totidem latum. Inferius os conſtat è ſeptemdecim oſſibus, albis, duris literæ U figuram habentibus, quæ arcte per membranas conjunguntur, hiſce alia ſeptemdecim ſubjacent, ſingula ſingulis, ſpongioſa ad aſpectum, nec ita dura, ſuperius os conſtat quatuordecim oſſibus literæ J figura, quæ eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

eodem modo per membranas ſibi invicem agglutinantur, iiſque etiam alia quatuordecim oſſa ſuperjacent: duo autem illa oſſa per membranas annectuntur aliis oſſibus capitis. Cranii cavi-




tas ſex circiter digitos longa eſt, vix duos lata, in qua cerebrum latet. Promuſcis tantum conſtat cartilagine. Oculos habet parvos, nummi miſnici magnitudine: poſt oculos in quolibet latere ſpiraculum amplum, pomi vulgaris capax; intra hæc branchiarum ſolia recondita jacent: ad latera inferius à fine capitis in quolibet quinque oblongas inciſuras. Color totius ſuperius ferreus, maculis albis per totum inſperſis, magnitudine nummi miſnici; inferius totum album. Cutis tota glabra lævisque. Corporis longitudo ab occipite ad exortum caudæ ſeſquipedalis, latitudo inter extremitates pinnarum triangularium, trium pedum & decem digitorum. Pinnarum prope caudam longitudo ſeptem digitorum, latitudo quatuor. Capitis longitudo decem, latitudo ſeptem digitorum, craſſities ſeſquipedis. Caudæ longitudo quatuor pedum & trium digitorum; craſſities in exortu quinque digitorum, quæ ſenſim gracileſcit. Paulo poſt exortum caudæ ſuperius parvam pinnam curtam habet, paulo plus digito longam, & mox poſt eam duos hamulos ſibi invicem ſuper erectos, piſcatoriis hamulis ſimiles & incurvatos, longitudine trium digitorum. Caro boni ſaporis eſt, ſufficiens quadraginta hominibus ſaturandis.

CAP. XVII.

Piracoaba. Corocoro. Guaticupa. Virbaco. Niqui. Guarerua.

PIRACOABA Braſilienſibus, piſcis pedalem longitudinem adipiſcitur, corpore oblongo, ut *Zandat* Pomeranorum. Os habet acuminatum, amplum, edentulum: mandibulam ſuperiorem longiorem inferiore, & ſuperior pars oris prominet in rotundum conum è cartilagine conſtantem: oculi illi ſatis ampli, pupilla cryſtallina, circulo aureo. Pinnas habet octo: nimirum duas in dorſo triangulares erectas, interſtitio ſeſquidigiti: poſt quamlibet branchiam unam oblongam, anguſtam: duas his breviores in infimo ventre junctas, & prope anum unam triangulatam; octava eſt cauda furcata. Sub qualibet pinna poſtbranchiali barbam habet ſex pilis craſſiuſculis conſtantem tres digitos fere longis, eſtque ejus exortus prope exortum pinnarum, vergens retrorſum. Totus veſtitur ſquamis mediocris magnitudinis argentei coloris, & in dorſo ac ſummitate capitis paulum caneſcit. Pinnæ quoque




omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


omnes cani ſeu cinerei ſunt coloris: poſtbranchiales tamen nigredine dilutæ ſunt. Barba alba. Capitur arenoſis locis in mari. Boni eſt ſaporis.

CORACORO Braſilienſibus. Piſcis dorſo incurvato, capite & ore obtuſo; pedalis longitudinis. Denticulos habet parvos, haud acutos: branchias ſatis amplas, quarum anterior pars in ſpinam deſinit acutam: ſex pinnas: nimirum in quolibet latere poſt branchias unam tres digitos longam, ſubtus in infimo corpore duas triangulares fere, ſed in extremitate circinatas & anterius firma & acuta ſpina ſuffultas, poſt anum unam craſſa, dura & acuta ſpina nixam, cui parvula ſpina antiſtat. A ſummitate dorſi pinna incipit, quæ arcuatim ad medium dorſum tendit, firmis ac acutis ſpinis ſuſtentata, hinc deſinit & contigua illi eſt mollis, quæ & arcuata fere eſt, & pene ad exortum caudæ protenditur. Cauda duos digitos longa, quatuor lata. Squamis majuſculis veſtitur,




totus argentei coloris, ſed in toto dorſo & ejus ſummitate diluta umbra mixtis & per latera tranſverſim (non tamen ad ventrem uſque) in quolibet octo ſtriæ digitum latum craſſæ ex diluta umbra deſcendunt: venter totus albus, ut & illius pinnæ. Pinna dorſalis, poſtbranchiales & cauda ex argenteo & diluta umbra mixtæ. Pinnam autem anteriorem dorſalem in rimam poteſt recondere. Capitur in mari & eſt edulis.

GUATUCUPA Braſilienſibus, *Balabolla* Congenſibus, *Corvina* Luſitanis, Piſcis corpore oblongo, dorſo paulum, ventre minimum curvo: longitudinem duorum pedum non raro adipiſcitur. Os habet acuminatum, cujus inferior pars paulo longior ſuperiore, quodque ample poteſt diducere; dentes minimos, linguam conſpicuam, branchias amplas; oculos ſtuferi magnitudine, pupilla nigra, circulo argenteo: Pinnas obtinet ſeptem; poſt quamlibet branchiam unam oblongã; duas ſub his in infimo ventre paululũ verſus poſticam partẽ; unam poſt anum



triangularem: unam triangularem ac altam in ſummitate dorſi, duriuſculis ſpinis ſuffultam, & huic fere contiguam alteram in poſteriori parte dorſi oblongam, quæ æqualis fere latitudinis, atque ad exortum pene caudæ protenditur. Cauda conſtat pinna fere quadrata & lata. Parvulis rotundis ſquamis totus veſtitur, coloris per totum argentei ſplendentis, cui tamen in dorſo aureus tranſplendet, & ad tactum videtur lævis. Pinnæ & Cauda ut & venter albicant. A ſummitate autem branchiarum per medium latus ad caudæ exortum tendit linea argentei coloris. Capitur in mari; ac optimi eſt ſaporis, ut Schelviſch noſtratium. Sæpius commedi.


URIBACO Braſilienſibus, Piſcis dorſo incurvato, ventre protuberante, quindecim aut ſedecim digitos longus, quinque aut ſex altus, ubi altiſſimus. Caput & os obtuſum, conum referens triangularem: dentes parvuli, acuti: lingua lata: branchiæ amplæ in triangulum deſinentes: oculi dupli ſtuferi magnitudine: pupilla cryſtallina, circulo argenteo, cui aliquid



cinnabrii mixtum eſt. Pinnas habet ſex, nimirum poſt quamlibet branchiam, unam longam triangulum acutum referentem, ſed exterius paulum circinatam: ſub his in infimo ventre duas

triangulares, anterius firma ſpina munitas: poſt anum unam oblongam, in exteriori ambitu circinatam, molliuſculis ſpinis per medium ſuffultam, anterius autem dura & acuta ſpina: à ſummitate autem dorſi ad exortum fere caudæ tendit pinna latiuſcula, latitudinis fere ubique æqualis, & acutis ſpinis ſuſtentata: Cauda itidem lata in duo veluti cornua diſtenditur. Veſtitur ſquamis magnis, in totum argentei coloris, ſed cui parum cinnabrii tranſlucet. Pinnæ laterales & infimi ventris albæ ſeu argenteæ, dorſalis & cauda plus cinnabrii quam argentei habent. A ſummitate denique branchiarum ad caudam uſque, (paulum arcuatim) tendit linea rubra & ſupra eam in poſteriore parte corporis, in utroque latere, maculam habet nigram magnitudine groſſi miſnici. Capitur in mari: Edulem habet carnem & bonam.


NIQUI Braſilienſibus, noſtrates vocant **Pieterman**: Piſcis capite craſſo, ore ranæ amplo, edentulo, craſſa lingua & inferiore mandibula paulo longiori quam ſuperior. Anterior corporis medietas eſt paulo latior, poſterior anguſta & teres: eſtque ut plurimum ſex aut ſeptem digitos longus, latus anterius quidem ſeſquidigitum aut paulo latior: Ocelli ipſi parvi quidem ſed exſerti, cylindracei more cancrorum terreſtrium, pupilla nigra, circulo ècinereo fuſco. Branchias habet amplas & poſt quamlibet pinnam unam, digitum longam & latam, in ambitu circinatam: in ventre ſub his paulo inferius duas junctas: à medio dorſo pinna ad caudam pene continuatur, ſemidigitum lata, at in fine paulo anguſtior, cui reſpondet ſimilis in infimo ventre: Cauda plus digitum longa, minus lata, parallelogrammi figura, in extremitate circinata. Ante exortum pinnæ dorſalis duos habet aculeos fortes & ſupra poſtbranchialem utramque unum acutum. Tegitur cute, cujus color ex nigro & umbra, gryſeoque mixtus, nimirum in toto dorſo, capite & lateribus, pinniſque omnibus; Venter albicat, & in lateribus etiam plus albi quam nigri aut gryſei eſt. Per totum dorſum, caput & latera, punctula nigra, magnitudine ſeminis papaveris, diſperſa.



In arena abſconditus jacet prope littus Maris, ac incedentes vulnerat.

Edulis eſt ſi jecur & fel bene ſeparetur, alias lethalis ut Payucu.

GUARERUA Braſilienſibus, piſcis corpore lato, compreſſoque, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latiſſimus, ore patulo, denticulis minutis. Pinnas habet ſex: nimirum poſtbranchiales duas, parallelogrammi figura; duas oblongas & latas in ſuperiori dorſo & infimo ventre poſteriori, quæ in acumen deſinunt, figura ſubulæ. Cauda quadrata, ſeu potius parallelogramma, unum digitum longa, & duas tertias partes digiti lata. Squamulis tegitur nigri coloris ſplendentis inſtar bombycini, quarum oræ (quarundam tantum non omnium) fimbrias habent flavas inſtar ſemilunularum. Pinnæ omnes nigræ. Circa os autem linea craſſa eſt ferrei coloris & alia illi perpendiculariter ſuperpoſita: Corpus tres lineæ latæ ambiunt, quarum duæ per latas & poſticas pinnas extenduntur; (caudam etiam talis linea ſecat & ejuſdem coloris) una pro fimbria ipſi eſt. Oculorum pupilla nigra, circulus aureus.



CAP. XVIII.


Araberi. Guarapucu. Corororoca. Camaripu guacu. Piratia pua. Ipera quiba & Pira quiba. Curema. Parati. Aramaca. Tiburon minor.

ARABERI Braſilienſibus, *Sardinha* Luſitanis, Belgis **Spꝛott**; piſciculus magnitudine Gobii vel interdum major, & ejuſdem figuræ; ſquamulis autem parvis argenteis, ſplendentibus inſtar argenti, in dorſo tamen paululum è cœruleo vireſcit inſtar Harengi. Oculi illi argentei, pupilla nigra: os parvum, edentulum, cujus inferior pars paulo longior ſuperiori; narium foraminula duo: caret branchiis. Pinnas obtinet ſeptem; in quolibet latere unam, in ſummo dorſo unam oblongiuſculam, verſus anteriora: duas junctas in infimo ventre medio: unam poſt anum: ſeptima eſt cauda in duo veluti cornua diducta. Edulis eſt.

GUARAPUCU Braſilienſibus, *Cavala* Luſitanis, Noſtratibus **Coninghviſch**: piſcis corpore longo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

longo, fere æqualis ubique craſſitiei, excepto verſus poſteriora, ubi magis magiſque attenuatur. Vt plurimum in ſeptem pedum longitudinem excreſcit: & craſſitiem corporis humani. Caput & os habet acuminatum, dentes acutos, rotundos, ordine poſitos: oculos magnos




cryſtallinos, circulo argenteo: Pinnas octo, videlicet poſt quamlibet branchiam unam triangularem, directe à latere protenſam: unam tenuem anguſtam fere in initio dorſi: poſt hanc unam in eodem dorſo triangularem erectam; ſub hac in infimo ventre triangularem; duas mediocres triangulares in infimo ventre ſubter poſtbranchiales. Cauda conſtat magna pinna in duo cornua ample extenſa. A pinnis autem triangularibus, tam in dorſo quam infimo ventre, parvulæ ordine pinnulæ oblongæ ſunt diſpoſitæ uſque ad caudam. Veſtitur cute argentei coloris, cui in ventre paulum cærulei, in dorſo multum miſcetur, ut color reſplendeat. In quolibet latere linea ſubtiliſſimis ſquamulis contorta deſcribitur ad caudam uſque. Boni eſt ſaporis.

Scomber Latinis, vide Geſnerum.

ANNOTATIO. Verum Scombri icon, quam dat Geſnerus, cum hac noſtri Auctoris minime convenit, propius accedit Icon Thunni, quam Venetiis miſſam ſe accepiſſe ſcribit Geſnerus. Vide & Aldrovandum lib. 11. cap. 53.

COROROROCA Braſilienſibus, Luſitanis vulgo *Peixe Serra*, verum rectius *Peixe Sarda*; Piſcis figura corporis, pinnis ac colore præcedenti plane ſimilis, excepto quod multis fuſcis maculis per ambitum laterum variegetur. Boni quoque ſaporis, multum tamen cedit *Cavale*, nam caro hujus nimis ſicca eſt. Singulari aſtutia & audacia eſcam piſcatoribus ſubducere novit & evadere.

CAMARIPVGVACV Braſilienſibus; Piſcis dorſo recto, ventre paulum extuberante; pinguis ad tactum & revera. Caput habet anterius acuminatum, os amplum, edentulum, quod in rotundum diducere poteſt, nimirum ſuperiore mandibula, inferiori immota permanente, ita ut duos pugnos humanos juxta ſe vel etiam humanum caput poſſit admittere. Linguam habet conicam, craſſam: ſuperior autem mandibula brevior eſt inferiori, ita ut




clauſum os ſuperius habeat: oculos latiores imperiali, rotundos, cryſtallinos & argenteos; branchias ampliſſimas. Longitudinem adipiſcitur undecim aut duodecim pedum, craſſitiem viri: Pinnas obtinet ſeptem; duas haud procul diſſitas à branchiis, in lateribus proxime ventrem anteriorem, longas, triangulares; cuilibet autem harum parvula ſubeſt, quæ tamen natando vix videri poteſt: in medio inferiore ventre itidem duas conjunctas, triangulares, latiores prioribus, ſed breviores: has verſus poſticam partem corporis inferioris ſequitur alia ſolitaria pinna, triangularis, lata, ſquamata, quæ appendice continua, anguſta, protenditur ad caudæ fere exortum: in dorſi altera medietate verſus poſteriora, pinna eſt elata triangularis, lata, quæ appendicem habet verſus poſticam partem vergentem, elevatam, triplo longiorem, inſtar funis craſſioris. Septima pinna eſt pro cauda, quæ ſecta eſt & in amplam ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tenditur furcam. Squamis veſtitur magnis, obrotundis ſeu peltatis, majoribus imperiali, in dorſo tamen minoribus: materia ſquamarum alba, pellucida inſtar matris perlarum: ſunt autem arcte ſibi impoſitæ ſquamæ, ita ut quadruplices aut quintuplices jaceant, ac de qualibet ante aliam prominet pars figura lunæ biſectæ, quæ argento obducta eſt (revera repræſentat argentum) & rivulos hinc inde diſcurrentes monſtrat argenteos in argenteo campo; ita totus piſcis argento obductus videtur, præterquam in dorſo ubi cæruleus eſt, argento tamen tranſlucente. Pinnæ omnes argenteæ, præter dorſalem, quæ eundem colorem habet cum dorſo. Carnem habet lentam quæ diu coqui debet; multæ in carne ſpinæ, ſed ſatis craſſæ ut facile inter edendum extrahi poſſint. Magis aſpectu quam eſu piſcis delector: comedi ſæpius ejus carnem, ſed lenta eſt & tantum famelico conveniens. Os ſuperius oſſa habet duritie æqualia oſſibus alicujus animalis.

PIRATIA PVA Braſilienſibus: Piſcis hic ingentem adipiſcitur magnitudinem, ut *Capuripima*. Inferior mandibula paulo longior ſuperiori: dentes acuti in tota mandibula inferiori, in ſuperiori ſolum in medio, qui longiores, quemadmodum & medii in inferiori: os ampliare ampliſſime poteſt in rotundum foramen. Oculos obtinet non ita amplos pro corporis mole, pupilla cryſtallina: Branchias amplas, duras ſeu armatas. Corpore autem eſt oblongo, dorſo paulum incurvato verſus caput, & ventre mediocriter amplo. Pinnas habet ſeptem: Vnam à ſummitate dorſi (incipientem verſus capitis fere exortum) ad caudæ uſque initium



protenſam, quoad medietatem anteriorem ſpinis ſuffultam, quoad poſteriorem mollem ſine ſpinis, in medio autem ſui anguſtiorem, anterius latiorem, poſterius adhuc magis latam & quaſi circinatam in extremitate. In quolibet latere poſt branchias, unam latam & in extremitate circinatam, cætera quaſi quadratam: ſub his in infimo ventre duæ propinquæ ſunt oblongæ, haud latæ, firmis ſpinis nixæ: prope anum unam habet amplam ſatis, itidem circinata fimbria poſterius, uti ea quæ in dorſo. Corpus poſterius quadrate extenditur & continet ſeptimam pinnam pro cauda, quæ ampla eſt & figuræ pene quadratæ. Squamulis veſtitur parvulis, ita ut ad tactum glaber videatur, etiam ſi antrorſum mulceatur. Coloris eſt per totum corpus ex obſcuro aureo epatici, qui tamen obſcurior in dorſo & ſummo capite: huic autem colori per totum retis in modum cinerei coloris lituræ obtenduntur. Pinnæ omnes ejuſdem cum corpore coloris, laterales autem præterea fimbrias habent aureas, reliquæ epaticas.

Carne ſatis probata eſt, ſi junior ſit, nimirum ſex, ſeptem aut octo pondo; & aſſatus magis quam coctus, nam pinguis eſt: adultior vero ducentorum aut plurium pondo carnem habet pro bajulis, nec delicatiorem carne *Camarupim aſu*, nimirum lentam, tenacem ac difficilis coctionis. Capitur in mari.

IPERVQVIBA & PIRAQVIBA Braſilienſibus, Luſitanis *Piexe pogador* & *Piexe piolho*, noſtratibus **Suyger**, quia Tiburoni adhæret ſugens. Octodecim digitos lõgus, fere teres, quatuor



digitos craſſus, ubi craſſiſſimus, in poſtica parte attenuatur. Os habet triangulare, cujus pars ſuperior brevior inferiori: etiam linguam. Caput ſuperius ad dorſum uſque duos digitos longum, circiter planum & figuratum ut palatum alicujus piſcis ſtriis tranſverſis; hac parte Tiburoni firmiter adhæret in ventre & capto illo ſimul capitur. Oculi parvi, flavi, pupilla nigra, ſemicirculo flavo. Dentes nulli, ſed eorum loco multæ minutiſſimæ prominentiæ. Poſt branchias utrobique pinnam obtinet triangulatam, duos & ſemis digitos longam; ſubter in ventre duas junctas: à medietate corporis tam ſuperius quam inferius, etiam pinna extenditur anguſta uſque ad caudam, quæ pinna conſtat ſeſquidigitum longa. Cute tegitur per totum corpus cinerei coloris.

ANNOTATIO. Deſcribitur hic piſcis ab Aldrovando lib. III. cap. XXII. ſub nomine Remoræ,


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

moræ, & addit Iconem Imperati & ſuam; Auctoris noſtri Iconi ſimilem.

CVREMA Braſilienſibus, ſpecies Tainhæ grandis & craſſa. Piſcis marinus, in duorum pedum longitudinem excreſcens, corpore oblongo, fere cylindraceo; more Trutæ fluviatilis, craſſo & præpingui. Caput in conum obtuſum deſinit, ſuperius compreſſum & latum, durum, ſquamis duris tectum. Os pro mole corporis parvum, parabolicum, labio ſuperiori conſpicuo, mobili, inferius autem os triangulare, obtuſum diſcumbit, & paulo brevius eſt ſuperiori; edentulum. Oculi magni, rotundi, anterius poſiti, nigri, circulo argenteo. Duo narium foramina ſupra os. Branchiæ ſemilunares, haud amplæ. Pinnas habet ſeptem (octavam pro cauda, quæ in duo cornua deſinit) nimirum duas poſtbranchiales, triangulatas duas, magis verſus poſteriora in infimo ventre, junctas: in ſummo dorſo parvam, tribus ſuffultam duriuſculis ſpinis: poſt anum unam bicornem, & illi oppoſitam in dorſo ejuſdem fere magnitudinis. Tegitur ſquamis magnis clypeatis, planis: color totius piſcis in ſummitate capitis, dorſo & medietate laterum obſcure cinereus, cui hyalius tranſplendet: reliquum laterum, venter & caput inferius argentei ſplendentis coloris, uti & pinnæ ventris; reliquæ pinnæ cum cauda ejuſdem cum dorſo coloris.

Præpinguis eſt & coctus vel aſſatus ſine oleo vel butyro comedi poteſt. Salitus & in Sole ſiccatus adſervatur magna copia. Salitur quoque & in muria ſervatur. Optima illius pars venter.

PARATI Braſilienſibus, Luſitanis *Tainha*, Belgis **Harder**, piſcis eſt in longitudinem pedis excreſcens, figura corporis ut *Curema*, cui per omnia ſimilis eſt excepta magnitudine & quod circulum aureum habeat circa oculos. Carne eſt ſicciori & quæ inter coquendum pinguedinem flavam de ſe fundit. Magna copia ſaliti in ſole exſiccantur & reconduntur. Capiuntur retibus, ut & Curema, tranſiliunt autem retia eleganti ſpectaculo, quando illud trahitur: quando malacia eſt magno numero ex aquis exſiliunt.



ARAMACA Braſilienſibus, *Lingoada* & vulgo *Cubricunha* Luſitanis, Soleæ eſt ſpecies compreſſo corpore & figuram habens Soleæ quam Belgæ vocant **Tonge**. Os denticulis acutis prædıtum: caret lingua: oculos habet duos in uno latere (ubi lapidei eſt coloris) in altero nullum; piſi magnitudine, unum prope latus poſterius oris, alterum ſuperius & magis verſus poſteriora vergentem; pupilla lunata, cryſtallina, hyalino colore tranſplendente. Branchiæ ſatis amplæ; in quolibet autem latere poſt branchias eſt pinna una, duos digitos longa, anguſta, ſuperius in pilum tenuem deſinens; ad branchiarum finem in infimo corpore ſunt duæ parvæ pinnæ junctæ. Per totum autem corpus tam ſuperius quam inferius ſecundum longitudinem habet pinnam uſque ad caudam extenſam, tenuem, vix ſemidigitum latam; cauda fere quadrata conſtat pinna tenui. Veſtitur ſquamulis parvulis, & in toto ſiniſtro latere, ubi oculos habet, lapidei eſt coloris, in latere dextro albi; vivit in mari inter arenas. Edulis eſt & boni ſaporis.

TIBVRONIS ſpecies minor. Belgis **een Cruyshaye**, à figura. Convenit cum majore, ex-



cepto capite quod triangulare habet ſeu prout cor vulgo pingitur. Oculi parvi ad latera ipſius capitis. Os parvum, triangulare, longe infra poſitum, triplici ordine dentium minorum, unde ita nocere non poteſt, os quippe habens anguſtum. Caro melius ſapit quam majoris.

ICON PIRAMETARA quæ ſupra cap. VIII.
fuit omiſſa. Vide pag. 156.




CRUSTACEI PISCES.

CAP. XIX.


Guaja apara, Cancer maximus, & variæ aliæ Cancrorum ſpecies.

GUAIA APARA Braſilienſibus, Cancer maximus elegantiſſime variegatus. Corporis figura eſt Lunæ biſſectæ ſimilis, in latitudine habens tres digitos, in longitudine duos & ſemis (quamquam & majores reperiantur.) Teſta, ut dixi, lunata eſt, in utroque latere poſterius exſecta, & in acumina deſinens. Anterior pars teſtæ ultra medietatem coloris eſt obſcure brunni & variegata maculis ex albo flaveſcentibus, & quaſi ſolis punctulis conſtantibus, ac in ſui medio maculam brunnam habentibus: poſterior pars ex albo flaveſcit, ſtriis brunnis, ſecundum longitudinem ornata. Pedes habet octo; ſingulos quatuor internodiis conſtantes, ſubrotundos, ex albo flaveſcentes: brachia duo, quodlibet duos & ſemis digitos longum & ſeſquidigitum latum, quodlibet parva forcipe præditum, quibus non ita arcte comprehendere poteſt, ut alii cancri. Eſt autem quodlibet brachium ſuperius armatum & dentatum inſtar criſtæ galli, ita ut quando vivus brachia corpori applicatis ea componit, uti aptiſſime poteſt, criſtas duas galli ſibi invicem appoſitas eſſe appareat. Tenacula repræſentat roſtrum galli, brachium itaque totum roſtrum galli cum ſua criſta. Brachia autem etiam ex albo flaveſcunt & maculis brunnis ſunt variegata. In aquis natans per os aquam exſufflat, quaſi ex fonte exſiliret.



Geſnerus Gallum Marinum vocat & pro Cancro Heracleotico Bellonii habet.


GUAIA alia ſpecies. Corpus rotundum, paulo oblongum, juglandem cum ſuo viridi cortice æquat, octo habet pedes cancrinos: duo brachia, quodlibet fere duos & ſemis digitos longum, at exilia; in parte extrema corporis tres habet aculeos obtuſos, & oculos plane exiles. Color totius corporis, brachiorum & pedum eſt albus; ac tota teſta dorſi egregiis maculis brunnis ordinatim diſtincta, in ſummitate majoribus, at in lateribus, minoribus: Brachia parvulis maculis ex ruffo purpureis ſunt variegata: pedes albicant in totum, ut & venter.




GUAIA alia ſpecies quæ rarius capitur. Corpus ellypticæ figuræ, latum, tres digitos & totidem longum aut paulo minus; teſta tectus eſt ellyptica, in ambitu multis corniculis prædita, ſuperius autem convallibus: ocelli parvuli ut aliis: in quolibet latere pedes quatuor cum quatuor juncturis. Crura ſubhirſuta, & in extremitate unguem nigrum corniculi figura habentia. Anterius autem crus tres digitos longum, reliqua ſemper breviora unum altero. Brachiorum cum forcipibus, cujuſlibet longitudo trium digitorum, craſſities humani digiti, forcipe ſeſquidigitum longa & ſatis craſſa. Ipſæ extremitates forcipis paulo plus ſeſquidigitum longæ, roſtratæ & exterius verſus dentatæ, quaſi denticulis humanis, & ita apte ſibi invicem quadrantes complicatæ, quaſi quis roſtrum dentatum clauderet; in una tenacula forcipis, quæ movetur ſeor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tur ſeorſim, in medio etiam eſt dens albicans. Color totius cancri vivi ſaturate rubens, ut




pruna noſtratia majora eſſe ſolent, in medio corpore ſaturatior, reliquis partibus dilutior: extremitas tenicularum ruffi cum brunno mixti, ut ceraſa nigra tingere ſolent. Coctus retinet colorem.



GVAIA MIRI Braſilienſibus, cancerculus in ſalſis fluviis degens, numquam excedit pruni magnitudinem; teſta illius eſt ellyptica, anteriore parte in multos angulos deſinente: ocelli parvi, breves: brachia duo, dextrum paulo minus ſiniſtro: crura octo, quatuor internodiis conſtantia, & brevibus pilis hirta: color teſtæ ferrugineus: brachiorum & crurum obſcure violaceo-purpureus. Pili crurum pallidi; inferius forcipum latus albicat.

ARATVPEBA Braſilienſibus: Cancer marinus, corpore rotundo & figura pomi. Crura habet octo: duo brachiola exigua: oculos elatos. Totum corpus tegitur teſta, anteriori parte dentata, ex rubro, brunno, viridi, cæruleo, albo mire mixto colorata & punctulata, in cujus medio macula rubra, inſtar pyramidis fere & ad quodlibet latus globus ruber depictus. Crura & brachia flaveſcunt ex albo, multis ſtriis brunnis variegata. Oculi cæruleſcunt. Boni eſt ſaporis.




CIRI APOA Braſilienſibus: Cancer marinus, teſta quaſi ellyptica tectus, quæ in medietatis anterioris ora dentata, & in quolibet latere in acutum deſinit angulum; mediocris magnitudinis. Brachia habet duo mediocria, itidem dentata: ſex crura & ſeptimi & octavi loco poſterius duos remiges planos, quatuor internodiis, circumcirca piloſos, quibus utitur natans. Oculi longe à ſe invicem diſtantes, parvuli, cylindracei, craſſiuſculi, non tamen longi & ad quemlibet cirrhulus eminet inſtar pili. Totius teſtæ color fuſcus ſeu nigricans, in qua diverſo fuſco cordis figura, aliæque depictæ. Brachia fuſca, forcipes ex cæruleſcente albent. Crura ad medietatem internam viridi & albo mixta: medietates exteriores cæruleæ: remigum extrema pars, quæ lata eſt, cærulea, reliqua viridis & albo mixta. Corpus interius etiam cæruleſcit. Boni ſunt ſaporis. Ciri ordinarie


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ordinarie in fundo aquæ ſalſæ ambulant, interdum tamen ad littora prodeunt cum decremento maris, ſed rarius. Capiuntur maris refluxu.

CIRI OBI Braſilienſibus: ejuſdem cum præcedenti eſt figuræ, ſolo colore ex parte differens: teſta enim eſt obſcure cinerei coloris, maculis olivaceis: crurum extremitas cærulea, remiges cinnabrii coloris. Brachiorum & forcipum interiora latera dilute, tenaculæ forcipum inſigniter cæruleæ. Corpus inferius albicans cinnabrio mixtum.



MARACOANI Braſilienſibus; cancer parvus, in locis ambulans quæ refluxu maris ſicca evadunt, alio enim tempore è latibulo ſuo non prodit: corpore eſt fere quadrato, digitum longo & lato, anterius tamen paulo latiori: oculi prope ſibi invicem appoſiti, longi plus ſemidigito: tenues inſtar aciculæ craſſioris, quos erigere & apte in rima recondere poteſt. Os habet amplum & majus quam cæteri cancri: crura octo, quatuor internodiis. Brachium dextrum ipſi maximum, tres digitos longitudine ſuperans, ſatis craſſum, & ſe totum poſt illud poteſt abſcondere: forceps autem brachii latior, haud craſſus, referens forcipem ſartorum, extuberantiis haud acutis loco dentium præditus; ſuperficies brachii etiam parva tubercula habet: brachium ſiniſtrum minimum, minus uno è pedibus, forcipula minima inſtar ſcorpionis. Crura raros habent pilos fuſcos. Coloris eſt in teſta fulvi, ut & in pedibus & minore forcipe, atque in inferiori corpore: extremitates pedum magis rufeſcunt. Brachium dextrum è fulvo obſcure rufeſcit. Eſt edulis.




CARARA VNA Braſilienſibus: Cancer parvus, cujus corpus quadratum refert, cujus ſinguli anguli tranſverſim abſciſſi, cæterum compreſſum, magnitudine ſemi digiti. Oculi prominuli, haud longi, nigri, in angulis abſciſſis conſiſtentes. Brachia brevia, forcipibus obrotundis craſſiuſculis: crura octo haud craſſa, ſed compreſſa. Teſta cum cruribus epatici coloris, ſeu inſtar hepatis toſti: brachia itidem: forcipes brunni coloris, qualis ſuccus ceraſorum nigrorum. Crura minutulis pilis hinc inde veſtita, ejuſdem cum cruribus coloris.

AGVARA VCA Braſilienſibus: Cancer maritimus, qui mari refluente in littore diſcurrit, ambari gryſei, quod interdum ejicitur, admodum cupidus. Corpus quadratum, magnitudine juglandis: oculi prope invicem poſiti, craſſiuſculi, cylindracei, haud longi, paulum curvi, flavi, pupilla nigra. Crura octo, pro magnitudine illius longiuſcula, haud craſſa, ſed magis compreſſa, quorum medietas piloſa. Brachia parva, dextrum paulo minus ſiniſtro. Teſtæ dorſalis color cinereus & circumcirca pallide flavo umbratus: reliquum corpus, crura & brachia pallide flava: forcipes albi coloris; pili crurum pallide flavi.

CAP. XX.

Vca una cancer paluſtris: terreſtres aliquot. Potiquiquya. Tamaru guacu.

VCA VNA Braſilienſibus: cancer in paluſtribus degens: corpus ejus ellypticum, ſuperius convexum, juglandis cum ſuo cortice magnitudinem æquans vel etiam ſuperans. Crura habet octo, quatuor juncturis: anteriora longiora, poſteriora breviora: oculos haud longe diſtantes, cylindraceos, haud longos, quos erigit & recondit, coloris pallide flaveſcentis, pupilla hyalina. Brachium dextrum ipſi maximũ, interius multis tuberculis acuminatis præ-



ditum,


ditum, uti & forceps: ſiniſtrum parvum. Color teſtæ ſuperius olivaceus, flavo in extremitate intermixto. Corpus inferius pallide flaveſcit. Omnia crura & brachia caſtanei ſunt coloris, forcipes etiam ſuperius, cætera pallide flaveſcentia una cum tenaculis. Crura omnia inferius veſtita ſunt copioſis pilis longiuſculis obſcure caſtanei coloris. Carne ſunt bona.

UCA GUACU Braſilienſibus, figura & conformatione ſua plane convenit cum antecedente, excepta magnitudine & colore, hic enim longe eſt major.



CUNURU Braſilienſibus, fœmella eſt Uca una, figura & colore conveniens, ſolum magnitudine corporis & brachiorum differt, minor enim eſt quam mas & brachia habet parva, brachio maris ſiniſtro vix æqualia, ſiniſtrumque paulo grandius dextro; raros quoque habet pilos, cum Uca una tota ſit hirſuta.

GUANHUMI Braſilienſibus: Cancer terreſtris: corpus illi rotundum, ſed paulum compreſſum: magnitudine Auriaci mali. Pedes habet octo, quinque digitos longos, quatuor internodiis: crura longis pilis veſtita: os magnum & ad latera oris utrimque latitudine unius digiti hirſutum, ut & corpus: Brachia duo, dextrum magnum, ſiniſtrum parvum; magnum longum octo digitos, latum plus duobus; parvum vix quartam partem illius æquat. Oculi bini, quos inſtar parvæ pilæ erigit & iterum in longa cavitate abſcōdit: circa os quaſi duo brachiola quæ recondere poteſt & iterum depromere, & uſque ad oculos deducere. Celerrime currit, & quidem tranſverſim, ita ut oculos ad latus convertat & branchium majus elevatum geſtet. Maximo numero in ſilvis paludoſis oberrant. Carnem habent bonam.



ARATU & ARATU PINIMA Braſilienſibus: Cancer terreſtris, quadratæ figuræ, corpore haud magno, teſta multiplici colore picta, brunno, cœruleo, albo, rubro punctatim varie intermixtis. Oculi prominentes longe diſtantes, nigri, in angulis roſtri poſiti. Crura octo, quatuor internodiis, compreſſa, ruffa, ac per totum maculis purpureis, nigris ac albis diſtincta: Chelæ duæ non ita magnæ, æquales, ruffæ, in extremitate ex albo flaveſcentes. In ventre etiam flaveſcit. Crura raris pilis nigris veſtiuntur.



CIECIE ETE Braſilienſibus: *Cranguerſinho des Manges* Luſitanis: corpus ad quadratam figuram acccedit, & totum vix ſuperat majoris avellanæ magnitudinem: oculi prominentes longiuſculi, quos recondere poteſt. Crura octo: brachium ſiniſtrum ipſi maximum, non tamen craſſum, forcipis tenacula tenuia & longa, æqualia, ſine dentibus: dextrum brachium tenuiſſimum. Teſta coloris hepatici: reliquum totū corpus cum cruribus obſcure flavum ex pallido. Edulis eſt; & Braſiliani illo curant morbum quem vocant Mia.




CIECIE PANEMA Braſilienſibus, cancer præcedenti plane ſimilis, excepto quod forcipis tenaculum inferius brevius eſt ſuperiori.

POTIQUIQUIYA Braſilienſibus. Locuſta marina, Belgis **Zeekreeft**. Longitudo corporis à fronte ad exortum caudæ ſeptem digitorum; caudæ ſex: latitudo teſtæ dorſi ſeptem, ventris duorum & ſemis: totius corporis ambitus novem digitorum & ſemis; caudæ ambitus quinque, quæ conſtat ſex tabellis, ſeptem juncturis ſibi invicem appoſitis: & habet cauda ad quodlibet latus inferius quatuor pinnas, unum digitum longas: caudæ autem finis deſinit in quinque pinnas, ſeſquidigitum longas, unum latas: extremitates laterales cujuſque tabellæ deſinunt in cornu acutum: in quolibet latere quinque habet crura, quinque internodiis conſtantia; primum par crurum ſex digitos longum, alterum novem, tertium pedem, quartum ſeptem digitos, quintum quinque: Quodlibet autem unguem habet incurvum, acutum, pilis multis flaveſcentibus hirtum, inſtar penicilli pictorum: crus anterius craſſitie digitum æquat, reliqua graciliora. Teſta corporis varie tuberculata, frequentibus eminentiis inſtar


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

corniculorum rectorum, acutorum, anterius ſcatet. Oculi prominentes cylindracei, & poſt eos duo cornua ſurrecta antrorſum inclinata, digitum longa: ante oculos ſupra os qua-



tuor cirrhi exortum ſumunt, & primo duo magni pollicis humani craſſitie in exortu, ubi quatuor internodiis conſtant, longi ſeſquipedem & undique ſpinoſi; inter hos duo minores, quatuor internodiis, teretes ſine ſpinis, ac ultra medietatem biſecti, decem in totum digitos ſinguli longi.


POTIQVIQVYIXE Braſilienſibus, Squilla lata vocari poteſt. Vide Geſnerum.



TAMARV GVACV Braſilienſibus: *Camaron de Salgado* Luſitanis. Locuſtæ marinæ ſpecies, novem digitos longa, vel paulo plus. Capitis longitudo duorum digitorum: latitudo corporis prope caudam, ubi latiſſima, duorum digitorum; verſus caput magis magiſque anguſtatur. Corpus autem habet undecim quaſi juncturas, quemadmodum cauda in Gammaris: in poſtica parte corporis ad quodlibet latus duos habet proceſſus ſubhirſutos. Totum corpus tectum eſt cruſta cancrina, albicante, ſplendente inſtar cornu politi, ad juncturas autem ſubnigricat aut purpuraſcit; pedes in quolibet latere tres, nimirum ad tertiam, quartam & quintam junctu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

juncturam à collo numerando; exilia, duos circiter digitos longa. Caput triangulare, olivæ magnitudine ſub teſta albicante ſplendida latet, duos digitos longa. Pone caput ad quodlibet latus habet brachium unum, ſeptem digitos longum, quatuor juncturis conſtans, eſtque ex-



trema pars brachii ab ultima junctura incurvata inſtar falcis majoris & novem dentibus acutiſſimis prædita: his brachiis ferit, & qui vulnerati ſunt ægre ſanantur. Oculos habet prominentes, oblongos: barbam cancerinam octuplam: prope oculos duas prominentias retrorſum verſas, digitum longas, læves, at in extremitatibus hirſutas: infra caput adhuc octo prominentias, duos digitos longas, quæ in extremo lata tubercula gerunt. Verſus poſticam corporis partem inferius multas latas quaſi pinnas habet, quæ natationi haud dubio inſerviunt, & quaſi folia complicata ventri inferius adjacent. Non commeditur.

ANNOTATIO. Male meo judicio Auctor refert ad Locuſtas, cum potius ad Squillas ſit referenda, neque multum differt à ſquilla quæ μάντις dicitur, & à Rondoletio deſcribitur lib. XVIII. cap. XI. in eo tamen differt, quod in anteriori parte corporis pedes non habeat, & brachia illius non ſint interius ſerrata.

CAP. XXI.

Guari curu. Carara pinima. Potipema. Paranacare. Potiatinga. Potiguacu.

GUARICURU Braſilienſibus, Gammarus vulgo Camaraon; quatuor digitos longus: crura habet ſex, tribus internodiis conſtantia, cum unguiculo in extremitate: anterius par crurum quaſi ſuras habet, craſſius reliquis & vicem brachiorum fungens; paulo plus duobus digitis longum: medium par ſeſquidigitum longum, ultimum paulo plus uno: omnia aculeata ſeu ſpinoſa. Cirrhos prope os prodeuntes habet ſex; duos longiſſimos, nimirum tres digitos ſingulos, verſus poſteriora reflexos; duos unum digitum, & duos ſemidigitum: ſub ore parva tenacula quatuor craſſiuſcula, & quatuor tenuiora, quibus cibum tenet. Oculi ſimiles reliquis. Color totius fuſcus. Cocti eduntur.



CARARA PINIMA Braſilienſibus; *Marinheiro* Luſitanis, quia arbores ſcandit. Cancer parvus, licet paulo major *Carara una*, arbores *manges* dictas aſcendens, acutiſſimos enim unguiculos habet, ſed breves. Figura pene eſt ut Maotia pebuna, ſed paulo major & longiori corpore atque compreſſo. Crura octo compreſſa latiora quam illius. Brachia eadem cum altera, ut & oculos. Differt colore. Teſta nigra multis punctulis flavis variegata, pectus circa os etiam nigrum, refert textum panni ſubtiliſſimi linei. Oculi nigri punctulis flavis variegati, haud longi. Crura pallide flaveſcentia, fimbriata circumcirca miniato colore, & minutiſſimis pilis fuſcis veſtita: brachia rufeſcunt & forcipes pilis nigris craſſis veſtiuntur.


POTIPEMA Braſilienſibus: Gammarus prælongis brachiis: corporis longitudo quatuor digitorum, eadem craſſities, ubi craſſiſſimus: cauda plus quatuor digitis longa; ſex conſtans juncturis. Crura ſex: brachia duo, novem digitos longa, ſubrotunda, circiter digitum humanum craſſa, quinque juncturis conſtantia, ſexta eſt tenaculum, pene duos digitos longum & aliquot minutulis dentibus munitum ex adverſo ſtantibus: Ante hæc brachia, adhuc duo paria brachiorum habet. Barba illi octupla, quælibet ſex pilis conſtans tenuibus & ternis ſibi invicem appoſitis, duabus autem ſingulatim poſitis, quarum quilibet pilus novem digitos

 longus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

longus, ſuntque duo craſſiores reliquis: inter oculos ſerrata eminentia eſt: dorſum autem planum, uti & cauda. Carnem habent bonam. Color totius teſtæ pallidus, craſſis ſtriis cinereis ſecundum longitudinem variegatus: brachia ſunt inferius cinerea, ſuperius obſoleti coloris inſtar ligni querni veteris. Oculi nigri; cirrhi albi.

PARANACARE Braſilienſibus: Gammarus in concha degens, haud edulis: tres digitos longus: brachia habet duo cum forcipibus: crura quatuor longiſſima, nimirum tres digitos longa & poſt hæc quatuor plane brevia; caudam ſeſquidigitum longam inſtar aliorum gammarorum; oculos longos & prominulos: duos cirrhos pro barba. Corpus tegitur teſta obſcure caſtanei coloris; ejuſdem coloris eſt & cauda, nigris ſtriis ſecundum longitudinem variegata, corpus inferius & exortus crurum & brachiorum interius cæruleſcunt, uti & oculi & barba; per totum corpus habet pilos ochræ coloris. Concha quam inhabitat ferme quatuor digitos longa, turbinata coloris pallide ſubflaveſcentis. Variæ autem magnitudinis reperiuntur: plane parvulæ, magnitudine minoris pruni, turbinatæ & variis tuberculis acuminatis præditæ, pallidæ, rufeſcentes, nigræ, ad littus prope fluvium Paraiba.



ANNOTATIO. Cancelli in variis teſtis habitant, de quibus vide Rondoletium libro XVIII. cap. XII.


POTI ATINGA Braſilienſibus; gammarus tres digitos longus, annularem digitum craſſus. Crura habet duodecim, brachiola plane exigua: duos cirrhos ipſo animali longiores: oculos nigros: cornu acutum & dentatum in capitis ſummitate. Color totius candicans & punctulis minimis hepatici coloris per totum variegatus. Comeduntur cocti. Capiuntur magna copia pluvioſis menſibus, nimirum Iunio, Iulio & Auguſto.

POTIGUACU Braſilienſibus eſt præcedenti plane ſimilis, excepto colore, qui in hoc eſt nigricans; brachia quoque eadem, verum tantum fili craſſioris craſſitie.

CAP. XXII.

Reri. Reri apiya & Zoophyta quædam.

RERI Braſilienſibus, ſunt oſtrea. Duæ autem hic reperiuntur ſpecies. *Reriete*, Luſitanis *oſtra dos mangues*; & *Reripija*, Luſitanis *oſtra de pedras* aut *do fundo d'agoa*. Maxime autem ac omniũ optimæ inveniuntur copioſiſſime in fluvio Senembi aut S. Michaelis, & guaritiba portu Fluminis S. Franciſci, utpote quas in quinque aut ſex partes ſcindere oportet antequam edantur. Potyipeba etiam habet, ſed mediocres: Itamaraca parvas ad Tapecima. Paraiba etiam parvas. Nhamdias ad R. Grande mediocres.




RERI APIYA Braſilienſibus, vulgo **Langhals**; Hydrum vocari poſſe puto. Oriuntur è pice navali ſubter naves immediate adhærentes tabulis innumera copia: corpus eſt autem unum aut duos digitos longum, teres, æqualiter craſſum, craſſitie dupla pennæ anſerinæ: huic annata eſt conchula figuræ ovalis, magnitudine olivæ, major aut minor, conſtatque quinque partibus, albi coloris, ſed ubi partes coaluerunt crocei, non dura ſed molliuſcula eſt conchula: in uno latere rimam habet, per quam capitulum ſuum exſerit, conſtans multis elegantibus quaſi tornatis filamentis, lunatis, ſemidigitum longis: color corporis eſt fuſcus ſeu nigricans, ut & filamenta capitis. Immediate autem pici inhærent, quaſi corpus abſciſſum eſſet & agglutinatum abſciſſa parte, nec unquam à navi ſe poſſunt ſolvere, niſi vi abſtrahantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

hantur. Multa millia ſæpe uni navi adhærent, præſertim proram verſus inferius, & navis curſum retardare dicuntur. Vivunt multas horas detracti extra aquam.

Reperitur & hic alia *Reri apiya* Braſilienſibus, *Craca de navios* Luſitanis. Navibus & aliis etiam conchis annaſcuntur variæ figuræ teſtæ duræ è gryſeo ſubrufeſcentes, in quarum qualibet latet informis maſſa alba, prominentias longas ſubflaveſcentes habens, inſtar cirrhorum cancrorum; ſuperius tegitur teſta triangulari pallida, quam ſecundum medietatem aperit, & cirrhi illi videntur, movet enim ſe.

STELLA Marina, Zoophyton eſt ſerpens in arena in fundo maris. Radiis novem erat hæc quatuor & ſemis digitos longis, ſemidigitum fere latis in exortu, in fine acuminatis: corpus rotundum pataci magnitudine: radii in ambitu brevibus & acutis aculeis cinguntur: totius color ſuperius cinereus & tuberculis quadratis albicantibus præditus, in lateribus radii ſunt ochræ coloris, inferius tota ſtella è flavo albeſcit. *Subſtantia illius nec caro nec* cartilago nec os, ſed cartilaginis æmula, frangitur tamen inſtar panis Maizii. In medio corporis inferius *ſeu in centro*, foraminulum habet rotundum piſi magnitudine, per quod nutrimentum ſuum attrahit, intus ubique cava & compoſita quaſi ſpinæ eſſent piſcium, ſed non ſunt. Vivebat adhuc quando piſcator afferebat.



Aliam quinquangularem habui ſtellam, cujus radius quilibet erat ſemipedem longus; ſuperius rotunda concha & quaſi in quinque tubera elata, inferius magnam habens cavitatem. Per totum tuberculis inſigniebatur elegantibus, quæ cuborum quaſi angulis ordine erant diſpoſita, & in tubercula elata linea, quaſi rete obductum fuiſſet.

ANNOTATIO. Hæc itaque fuerit *Stella reticulata* ſeu *Cancellata* Rondoletii; cujus & Geſnerus meminit; apud quos videre eſt accuratas icones.

ZOOPHYTON aliud hic reperitur (*Stella arboreſcens* Rondoletio & Geſnero) nautis vulgo **een Zeeſonne**. Ex centro, quod æquabat groſſum miſnicum & cavum erat, ac in ſui medio quinquangulare, habebat foramen inſtar Stellæ, tenuiſſimis quaſi denticulis donatum: quinque rami craſſi prodibant, qui deinde inſtar arboris in multos alios ramos minores diſpergebantur, varie inter ſe inflexos, omnes rotundi & quaſi coralliformes, ita ut orbem facerent; materia fragilis inſtar ſtellæ.

ZOOPHYTON aliud hic viſitur, quod *Ren marinus* poſſit vocari à figura, eſt enim figuræ ellypticæ, quinque digitos longum, compreſſum, interius canum, in exteriori ſuperficie fere æquale, niſi quod ſuperius punctulatim in aliquot angulos leviter faſtigiatur. Fragile eſt. In medio inferius foraminulum habet. Coloris eſt in totum oſſei caneſcentis.

ZOOPHYTON aliud, imperialis magnitudine, vel etiam duplo aut triplo majus, circinatum, groſſi miſnici craſſitie, fragili materia conſtans, albiſſimi coloris. In ſui medio ſtellam quinquangularem ſubtiliſſimam quaſi inſculptam monſtrat, & è regione quatuor extremitatum ſtellæ (non quinque) cylindricum eſt foramen pervium: quintum foramen non eſt è regione quinti anguli, ſed è regione inter duos angulos ſtellæ obtuſos.

ANNOTATIO. Animalia quæ hic ab Authore noſtro inter Zoophyta deſcribuntur, ab aliis Scriptoribus non inter Zoophyta, ſed inter cruſtata referuntur, illa enim non habent teſtas. Iconem autem ſtellæ arboreſcentis Auctoris noſtri non addidi, quia accuratiſſima extat apud Geſnerum.

GEORGI MARCGRAVI
HISTORIÆ NATVRALIS BRASILIÆ
LIBER QVINTUS,
Qui agit de Avibus.

Vix credo ullibi elegantiores Aves reperiri quam in Braſilia, ſi varietatem plumarum & colorum ſpectes; verum nulla fere ſuave canit, ita ut cantu longe à noſtratibus ſuperentur.

CAPUT PRIMUM.
Nhanduguacu. Iacana, variæ ejus ſpecies. Curicaca.

NHANDUGUACU Braſilienſibus, *Ema* Luſitanis; Struthio Avis. Ingentes hic reperiuntur, minores tamen aliquanto Africanis. Longa illi crura, inferiora ſeſquipedem, ſuperiora pedem circiter longa. Tres habent in pedibus digitos anterius verſos, unguibus nigris, craſſis, haud acutis præditos; poſterius unum digitum, ſed rotundum, groſſum, unde difficulter in area lævi aut tabulato poſſunt incedere, ſed facile labuntur. Collum geſtant incurvatum ut cignus vel ciconia; longitudine circiter duorum pedum: caput anſerinum, oculos nigros habent pulchros; roſtrum compreſſum, non admodum latum, duos & ſemis digitos longum. Alas habent parvas & ad volandum ineptas, quarum tamen unam inſtar veli erigentes citiſſime curſum promovent, ut vix ac ne vix quidem à cane venatico ſuperari poſſint. Plumas habet gryſeas per totum corpus ut grus, in dorſo longiores & elegantiores, & corpus plumis tectum fere rotundum apparet. Caudam non habet ejuſmodi criſtis præditam ut vulgo pingitur, ſed plumæ ſunt per dorſum expanſæ ad anum uſque. Teſſeras luſorias aliaque ferrementa lubenter deglutit, ſed non concoquit, at integra per anum reddit: veſcitur fructibus & carne. Frequens in Capitaniæ Serigippo campis, itemque in Capitania Rio Grande. In Pernambuco non viſitur. Caro illius bona ad commedendum.



IACANA Braſilienſibus, gallina aquatica, **Waterhun**, diverſæ reperiuntur illius ſpecies, colore differentes. Hæc elegantiſſima, magnitudine columbæ, ſed cruribus multo longioribus, flavi coloris cui viriditas immixta. Crura inferiora plus quam duos digitos longa, ſuperiora (maximam partem nuda ut aquaticis) paulo minus: quatuor habet in pedibus digitos, quorum medius è tribus antrorſum verſis, duos digitos longus, reliqui duo paulo breviores, quartus retrorſum verſus, pedem aut etiam amplius longus: omnes autem unguibus ſemidigitum longis & flavis armantur. Cauda brevis ut gallinæ ſilveſtris; pennæ in dorſo, alis & ventre ex viridi & nigro mixtæ, ſub cauda albæ; verſus collum & in toto collo & pectore ejuſdem coloris cum plumis quæ in collo pavonum aut columbarum quarundam viſuntur. Caput habet parvum, ut Gallina ſilveſtris, quod tegitur membranaceo quodam tegumento rotundo coloris ut gemma Turcois: roſtrum rectum gallinaceum, plus uno digito longum; ab initio ad medietatem egregii miniati coloris, reliqua pars eximii flavi, cui aliquid viriditatis admixtum. Frequentiſſima in

paluſtri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

paluſtribus Braſiliæ locis ubique. Caro illarum edulis, ſed haud magni pretii, ſunt enim plerumque macræ.

Alia ſpecies appellatur à Braſilienſibus *Aguapecaca*, priori figura & magnitudine par, verum colore diverſa & inferior. Pennæ illius ſunt ut in dorſo prioris, alæ magis bruneſcentes: Carent autem mitella, at in qualibet ala interius habent corniculum directum, quibus ſe defendunt.

Tertia ſpecies prioribus figura & magnitudine æqualis, colore autem differens, totum caput, collum, dorſum, cauda, nigri ſunt coloris, initium alarum brunni: reliqua viridis; extremitates remigum brunni: pectus & infimus venter itidem brunni coloris, uti & crurum ſuperiorum medietas ſuperior. Roſtrum rectum, crocei coloris, cum cuticula ruffa in exortu illius & parte capitis anteriori. Crura nuda, pedes cinerei. In qualibet autem ala, antica parte habet corniculum ſimile flavum.

Quarta ſpecies itidem figuræ eſt ut reliquæ. Roſtrum illi flavum, mitella cutacea in initio capitis prope roſtri exortum rubens, proceſſus habens ad latera extenſos more gallinarum numidicarum. Totum caput, collum, pectus & infimus venter plumis veſtiuntur nigri coloris; dorſum; cauda & initium alarum rufum ſeu dilute brunnum; remiges alarum pennæ thalaſſici coloris cum extremitatibus nigris. Sed hæ remiges teguntur ruffis illis in exortu alarum, nec videri poſſunt niſi cum avis volat: crura longa, digiti pedum longi, quilibet quatuor internodiis, cinerei coloris. Quælibet ala in anteriori parte habet corniculum acutiſſimum coloris crocei.



CURICACA Braſilienſibus à clamore dicta, *Maſarino* Luſitanis, avis Numerio, judicio Cluſii, ſimilis: magnitudo illi mediocris Anſeris: capitis autem magnitudo ut Anatis: collum ſex digitos longum, tres craſſum aut paulo plus: roſtrum ſex digitos longum, incurvum plane ut enſis Hungaricus, coloris ex igneo fuſci. Corporis longitudo à collo ad podicem undecim digitorum, craſſities unius pedis: longitudo alarum ſedecim digitorum, caudæ novem, deſinentis cum fine alarum. Crura octo digitos longa, pedes duos & ſemis; rubri inſtar anatis ſed non plani, quatuor digitis & unguibus nigris, tribus anterius uno poſterius verſo. Caput & collum habet plumas albas flavo mixtas, & in ſuperiore parte paulum oblongas: Oculi illi ſunt nigri, circulo ruffo. Circa oculos & ſub origine gutturis cutis nigra. Totum corpus nigris pennis veſtitum, excepto dorſo, capite & ventre, ubi cinereæ obſcuræ & in medio alarum albæ, cano mixtæ ut in ciconiis. Reliquæ pennæ corporis, initii & finis alarum, & totius caudæ nigræ. Tibiæ ſuperiores ad medietatem uſque carent pennis, nam aquatica eſt avis. Carnem bonam habet; quam ſæpe comedi coctam & frixam butyro.

Alia ſpecies reperitur huic ſimilis, ſed multo minor, & magnitudine fere gallinæ quæ vocatur *matui tui*.

Frequens eſt ad Flumen S[ti] Franciſci, in Itapuama & alibi.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. II.

Tijepiranga. Iacapu. Iambu. Gallina africana. Guirangeima. Iupujuba. Sayacu. Ani. Guira guainumbi.

TIIEPIRANGA Braſilienſibus, Avis alaudæ magnitudinem paululum ſuperat, & cantum paſſeris noſtratis æmulatur. Totum corpus, collum & caput egregie rubicundi ſeu ſanguinei eſt coloris: alæ vero & cauda ſplendide nigri; præterquam in initio alarum ubi aliquid rubicundi admixtum eſt. Crura nigra, inferiora quidem nuda, ſuperiora autem nigris pennis veſtita. Roſtrum inſtar paſſeris, ſuperiori parte nigrum, inferiori verſus acumen nigrum, reliqua verſus caput album. Pennæ in capite breviores, quas criſpare interdum ſolet more Paſſerum. Omnes pennæ totius corporis interius ſunt nigræ, exterius rubræ, ita tamen complicatæ ut exterius totæ rubræ appareant. Cauda longitudine ferme tres digitos æquat. Digiti pedum quatuor & ut in pleriſque avibus diſpoſiti.



Alia hujus ſpecies reperitur paſſeris magnitudine; quæ pennis per totum corpus veſtitur ex cinereo cæruleſcentibus; alæ tamen quodammodo ad thalaſſinum colorem accedunt. In ventre & inferiori parte colli ſeu gutture albicat vel potius argenteo colore nitet. Crura cinerei coloris, uti & roſtrum, quod ipſi ſimile Frigillæ. Digiti pedum quatuor ſecundum communem avium modum.

IACAPV Braſilienſibus; Avis magnitudine Alaudæ, cauda extenſa, alis brevioribus: cruribus brevibus & nigris; unguibus acutis ad quatuor digitos: roſtro paulum incurvato & nigro, ſemidigitum longo. Totum corpus veſtitur pennis nigris ſplendentibus; ſub gutture tamen nigredini illi maculæ coloris cinnabrii ſunt admixtæ.

IAMBV Braſilienſibus dicta avis eſt perdix, noſtratibus quidem, magnitudine par, uti & figura. Pennæ autem per totum corpus obſcure flaveſcentes, verum fuſco mixtæ atque maculatæ.

GALLINA Africana ex Inſula do Majo, magnitudine noſtratium gallinarum, figura corporis fere ut perdix: collum item coronatum portans & caudam perdicis habens inferius dimiſſam: pedes gallinaceos: roſtrum flavum: & in capite mitellam cutaceam fuſcam: ad latera porro capitis alba, ut & ad quodlibet latus prope roſtrum criſtam rubram ad latus protenſam. Totum corpus veſtitur pennis nigris, quæ elegantiſſimis maculis albis variegatæ ſunt, in alis quidem oblongis, in reliquis autem partibus rotundis; ſuntque in dorſo minores quam in reliquis partibus. Huic ſimiles vidi è Sierra Lyona advectas, ſed eorum collum circumligatum ſeu circumvolutum quaſi linteamine membranaceo coloris cinerei cæruleſcentis. Caput tegit criſta obrotunda, multiplex, conſtans pennis eleganter nigris. Punctula albicantia per totius corporis ambitum quaſi umbra thalaſſina variegantur.



Congenſibus hæc avis dicitur *Quetele*.

GVIRATANGEIMA Braſilienſibus; Avis paulo major Alauda, Picæ variæ æqualis. Corpus habet circiter tres digitos longum, collum ſeſquidigitum: caput parvum, roſtrum rectum, acutum, digitum longum, crura, pedeſque, ut reliquæ aves communiter: Caudam longam, rectam, quatuor digitos longam: Color roſtri niger, excepta inferiori parte, ubi inſeritur quæ aliquid fuſci habet: caput nigerrimum & collum uſque ad initium pectoris. Colli ſuperior pars à capite fere ad initium dorſi uranica eſt: per initium dorſi tranſverſam habet maculam nigram uſque ad alas extenſam: alæ au-



tem ſunt

tem ſunt nigerrimi coloris, verum in medio ſecundum longitudinem habent maculam albam ſeſquidigitum longam: Cauda quoque tota nigra: reliquum corpus coloris uranici: crura ſubcærulea. Oculorum pupilla ſubnigra, albo ſubflavo. Nidificat in altis arboribus *Acaya*, idque libenter prope ædes. Nidos egregios exſtruunt hæ aves, cylindraceæ figuræ, & appendunt magno numero extremitatibus ramorum; qui conſtant è virgultis. Clamant fere ut picæ variæ noſtrates.




IVPVIVBA ſeu IAPV Braſilienſibus, ejuſdem formæ cum præcedenti, & eodem modo in eadem arbore nidificans (una eſt fæmina alter mas) cauda paulum breviori. Corpus habet totum nigerrimis pennis veſtitum: in vtriuſque alæ medio maculam flavam digitum longam; in extremitate dorſi & prope anum tota eſt flava (vidi quoque totaliter nigras, dorſo ſanguinei coloris) cauda inferius ab exortu ad medietatem flava, reliqua medietas nigra, ſuperius nigra in totum, ſolum in ea ad latera utraque uſque ad medium pennam habens flavam. Crura nigra & pedes. Roſtrum ſulfurei coloris: oculi Sapphyrini, pupilla nigra: linguam cæruleam habet anterius fiſſam ſeu duplicatam. Prope ædes domini Ingenii *Tapucurai* arbor *Vti* ſita, in qua plus quam quadringenti nidi harum avium pendent, maximoque numero ſunt hæ aves, quæ ter quotannis ibi pullos excludunt: nidus autem quilibet ex arido gramine & pilis equinis aut ſuillis mixtis eſt compoſitus., coloris fuſci, figura cucurbitæ anguſtæ cum ſuo alembico, longus in totum ſeſquipedem circiter, & ab infimo ad unum pedem altus, cavus ut burſa, reliquum ſuperius ad ſemipedem ſimplum eſt & ſua extremitate pendet à ramulo extremo: omnes autem nidi ex ramulis minimis extremis arborum dependent.

SAYACV Braſilienſibus, Avis Fringillæ magnitudine: totum corpus veſtitur pennis coloris è cinereo & thalaſſino mixti; in alis autem & dorſo thalaſſinum admiſcetur ita ut Sole illuſtratæ egregie ſplendeant; roſtrillum nigrum, oculi quoque nigri in totum.



ANI Braſilienſibus; Avis Turdellæ magnitudine, totaliter nigra, pennis, roſtro, oculis, pedibus. Caudam longam erectam habet, ſex digitos longam: Roſtrum altum, latum, digitum aut paulo plus longum: inferior pars directa fere, ſuperior alta, lata, ſemilunaris figuræ & compreſſæ, ita ut acumen fere ſuperius habeat. Crura & pedes ſatis exiles, & in iis quatuor digiti, duo anterius, duo poſterius verſi more pſittacorū. Clamat elata voce *yiiiiy* uno tono, in medio elevatiori. Frequentes ſunt in ſilvis omnibus, verum cibo inutiles.



GVIRA GVAINVMBI Braſilienſibus Tupinambis; avis magnitudine columbæ ad viſum, quia plurimas plumas habet, ſed revera corpus non ſuperat magnitudinem Turdelæ. Caput paulo majus habet quam Turdela, roſtrum nigrum, duos circiter digitos longum, cujus ſuperior pars paulo longior inferiore. Eſt autem roſtrum ſuperius & inferius in utroque latere ſerratum inſtar ſerræ, inſervitque dentium loco. Crura habet brevia, haud multum digitum excedentia, nigra; quatuor in pedibus digitos, quorum unus retrorſum vergit, tres antrorſum, ſed primus verſus inte-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſus interiorem pedis partem brevior, medius longiſſimus, & tertius iterum brevis, ſed non æqualis cum reliquis exortus: primi enim exortus eſt ad pedem, ſecundi itidem, tertii vero prope tertium articulum medii; habetque primus tres, ſecundus quatuor, tertius itidem tres articulationes; qui retrorſum vergit duas. Vngues nigri deorſum incurvati. Cauda longiſſima, directa pennis paucis rectis, digitum circiter lata, ſed decem longa: & quidem duæ tantum pennæ extremam caudam conſtituunt, quæ ad duos digitos plumis carent, in extremitatibus autem rurſus plumas habent ad duos digitos. Corpus totum ſex circiter digitos longum eſt. Pennæ elegantiſſimæ: nimirum in capite quaſi mitram gerit ex pennis Sapphyrinis, quæ prope exortum roſtri Turcoidis colorem referunt: in medio autem hujus mitræ macula viſitur nigra magnitudine groſſi miſnici. Infra oculos (qui flavi ſunt, pupilla nigra) etiam nigras pennas habet Sapphyrinis mixtas: guttur inferius, totum pectus & totus venter obſcure luteum habet colorem; ſuperior colli pars, totum dorſum, alæ & cauda viridis ſeu graminei eſt coloris, ſed cui (præſertim in alis & cauda) thalaſſinus admixtus, ut in collis anatum & pavonum: à genibus ad ventrem crura ſuperiora pennis virentibus ſunt prædita. In medio collo inferius quaſi pro inſigni gerit tres vel quatuor pennulas nigras & circum eas Sapphyrinas, quæ maculam quandam ſeu notam conſtituunt.

CAP. III.


Jaguacati guacu. Mitu. Mituporanga. Ibijau.

IAGVACATI GVACV Braſilienſibus, *Papa peixe* Luſitanis, nam piſcibus victitat. Avis Turdelæ magnitudinem æquat; figura corporis ut Picus major. Roſtrum habet nigrum, rectum, & in extremitate acutum, tres ferme digitos longum: oculos nigros & crura breviſſima nigra; ſuperiora crura ex parte carent plumis; in pedibus digitos quatuor, (unum retrorſum) inęqualis longitudinis, duo enim verſus exteriora pedis breves ſunt, tertius interior longe breviſſimus & remotior. Vngues nigri. Cauda duos digitos longa, excedens alarum fines. Pennæ totius corporis ſuperiores, nimirum in capite, collo, alis, cauda



ſunt ferruginei coloris & ſplendentis: circa collum tranſverſim annulum habet ex albiſſimis plumis; guttur, inferius collum, pectus & totus venter pennis veſtiuntur albis, prope utrumque oculum etiam maculam habet ex albis pennis: in cauda autem albæ pennæ interſeruntur guttatim, ut & in alis, ſed quæ vix videntur, niſi cum alas explicant & volant.

MITV vel MVTV Braſilienſibus dicta avis ex Phaſianorum eſt genere, major gallo gallinaceo. Corporis longitudo à collo ad exortum caudæ eſt x. digitorum: colli longitudo ſex



digito-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

digitorum; totaliter nigris pennis eſt veſtita, excepto ventre & ſub ano, ubi brunni coloris eſt, fere ut perdix. Tenuiores ſunt pennæ ad collum, caput, & in pectore, & holoſericum villoſum nigrum pulchritudine æquant. In ſummo capite habet pennas nigras complicatas in planiſſimam quaſi mitellam, ut neſciens vix poſſit agnoſcere, quas iraſcens aut etiam alias in criſtam erigit. Roſtrum habet inſigne, non craſſum, incurvatum, ſeſquidigitum fere longum; inferior pars ejus parva, ſuperior ferme quadruplo major. Roſtrum autem coloris eſt egregii incarnati, verſus acumen tamen albicat. Crura habet gallinacea decem digitos longa, nimirum quatuor à pedibus ad genua, & ſex ſuperius, atque hæc veſtita pennis nigris: digitos item quatuor gallinaceos, qui in exortu uſque ad primam juncturam cuticula ſibi invicem annectuntur, ut in aliis quibuſdam avibus. Caudam habet pedem longam inſtar gallo-pavi, quam ſemper in latum movet, *Kit, Kit,* clamando, ut illi. Caput bene formatum, anſerini magnitudine: collum ſex circiter digitos longum: oculos habet magnos, egregios, nigros, & pone aures maculam cutaceam albeſcentem ut gallinæ. Manſueſcit facile. Lubenter in alto ſedet ut gallo-pavi, ſcanditque arbores, ut illi. Carnem denique habet admodum bonam.

Reperitur & alia ejuſdem ſpecies, quam *Mituporanga* vocant Braſilienſes, ſolo roſtro & pennis capitis differens; hæc roſtrum habet haud longum, ſatis craſſum, non tamen ita altum ut *Mitu* neque ſic lunatum: ejus extremitas utrobique nigra, reliquum totum crocea cute veſtitum: qualem & circa oculos habet. Oculi nigri egregii: collum & caput nigerrimas habet plumas inſtar holoſerici; & in ſummitate capitis criſpatas atque cochleatim tortas habet pennas uſque ad initium colli; has erigere in criſtam criſpam poteſt. Reliquum totius avis nigrum, cui nigredini hinc inde aliquid viridis tranſplendet. Circa anum albas obtinet pennas. Crura cinerea, figura ut Mitu: Cauda nigra, ſed extremitates illius pennarum albæ. Et hæc quoque avis optime manſueſcit.



IBIIAU Braſilienſibus, *Noitibo* Luſitanis: Avicula Hirundinis magnitudine: Caput habet latum & compreſſum: oculos magnos, elegantes, nigricantes, pupilla atra ſplendente ellypticæ figuræ, exterius autem oculos ambit circulus ex albo flaveſcens. Roſtrillum minimum habet quod non excedit craſſitiem dentis aranei, nec tam eſt longum: nares tamen patentes in roſtro: os ampliſſimum quod clauſum non poteſt videri, at quando roſtrillum aperit, os ad oculos diducere poteſt, ita ut digitum fere ſit amplum; linguam habet minimam. Crura alba, & ſecundum corporis molem parvula, vix ſemidigitum longa; quatuor in pedibus digitos, tres anterius, quartum retrorſum verſum, unguibus incurvatis nigricantibus. Secundum longitudinem in unguiculo digiti medii cujuſlibet pedis verſus interiora habet pinnã quaſi multipliciter ſectam ſeu dentatam, videturque unguiculus quaſi plumatus verſus interiora, ſed non ſunt plumæ, verum cutacea materia & aſpera. Caudam habet elegantem, quam in latum poteſt explicare, duos digitos longam, cum cujus extremitate etiam alæ deſinunt. Pennas in toto inferiori corpore habet ex albis & nigris mixtas ut Niſus: in capite, dorſo, alis & cauda nigricant, & albedo inſperſa grata varietate: nonnihil quoque flavedinis albedini admixtum:





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

albedini admixtum : uno verbo, nigra eſt & punctulata ſubtiliter hinc inde.

Reperitur & ſpecies hujus magnitudine Noctuæ, ejuſdem coloris & conformationis. Os quando aperit, pugnum humanum facile admittit.

CAP. IV.

Guainumbi variæ ſpecies.

GUAINUMBI quæ & *Guinambi*, item *Aratica* & *Aratarataguacu* vocatur à Braſilienſibus, à Luſitanis *Pegafrol*, à noſtratibus poteſt appellari **Bloemen-Specht**. Hujus autem multæ hic reperiuntur ſpecies.



Prima: Totius corporis aviculæ longitudo ab initio capitis (ubi roſtrum eſt inſertum) ad exortum caudæ, duorum digitorum: Capitis magnitudo una cum pennis magnitudinem ceraſi dulcis mediocris æquat; colli longitudo tres quartas partes digiti, corporis longitudo unius digiti eſt & quadrantis. Magnitudo autem corporis cum pennis olivā grandem vix æquat. Roſtellum habet ſeſquidigitum longum, ſubrotundum, æquale, tenue & valde acuminatum, rectum, paululum tamen verſus extremitatem deorſum verſum; color hujus niger, excepta inferiori parte prope exortum ubi ruſeſcit: linguam habet duplicatam ſeu biſectam, tenuiſſimam inſtar ſerici fili tenuiſſimi, albam, longam, ita ut illam longe extra roſtellum poſſit exſerere: Ocellos parvos nigros; crura & pedes minimos breveſque, nigri coloris; in pedibus quatuor digitos, tres anterius, unum poſterius verſum, longis, ſemilunaribus, acutiſſimiſque unguiculis nigris præditos. Caudam habet directam, digitum longam, quatuor ut plurimum pennis conſtantem. Alæ autem quæ duorum digitorum longitudinem habent ad extremitatem caudæ fere pertingunt, pennæ ſingulari arte à natura ſunt compoſitæ. Ab exortu enim alarum ad tres quartas partes digiti circiter duplex ordo pennarum eſt, unus longior altero, & ſuperpoſitæ ſunt ſibi invicem pennæ, quaſi alæ breves ſuper longas. Hinc poſt has pennas, alæ pennæ (quarum circiter decem ſunt) ſequens interior ſemper longior fit antecedente exteriore, ita ut intima ſit omnium longiſſima finem alæ definiens. His alis expanſis volare diu poteſt, ac in aëre quaſi pendula manere; inter volandum ſtrepitum edit inſtar bruchi ſeu rectius *hur, hur, hur*, inſtar rotæ lintcariorum quæ circumvolvitur: admodumque tenues apparent & tranſparentes pennæ alarum expanſarum. Color plumarum aviculæ per totum caput, collum ſuperius & ad latera, per dorſum totum & initio alarum eſt reſplendens mirifice nec à pictore bene exprimi poteſt; nam viriditati qualis in Pavonum & Anatum collo, aureus, igneus, flavus mire admixtus eſt, ita ut Sole illuſtrante mirifice ſplendeant. In gutture, inferiori collo, pectore & toto infimo ventre, cruribuſque ſuperioribus albæ ſunt pennæ, quibus in collo inferiori, eximii coloris ſimul ſparſim admixtæ, in ventre albis ſubjacent nigræ. Alarum initium miro colore conſtare dixi, reliqua pars tota brunna eſt ſeu ſpadicei coloris ſplendentis. Cauda pennis conſtat coloris inſtar chalybis politi cæruleſcentis. Victitat floribus ſolum, ideo capta viva detineri non poteſt, ſed moritur. Frequentes autem in floribus arboris quæ menſe Ianuario potiſſimum floret, & poteſt aliquis vel ſexaginta uno die ſclopeto figere: inveniuntur & ſuper aliis arboribus variis. Toto autem anno, magno numero in ſilvis inveniuntur & præſertim matutino tempore ingentem ſtrepitum excitant. Non autem canunt, ſed clamant *Screp, Screp, Screp*, uno ſono & continenter, fere ut paſſeres. Volantes velociter alas movent, & cum vix videantur & per longum temporis ſpaciū in aëre velut quietæ vel ſe moventes hærere poſſunt alarum ope. Flores roſtellis carpunt inter volandum. Nidum faciunt in ramis arborum ſolidi Hollandici magnitudine. Ova ponunt albiſſima teſta, duo ut plurimum, ovalis figuræ, piſo haud majora.

Secun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Secunda: pulchrior priori, ejuſdem magnitudinis & figuræ. Roſtellum tamen brevius, nimirum duas tertias partes digiti longum, ejuſdem figuræ & coloris cum priore; lingua eadem, ut & ocelli, crura, pedes, caudæ & alarum figura. Plumarum color in capite, collo ſuperiori, dorſo, alis, cauda ſimilis priori; at in gutture ſeu collo inferiore, toto pectore & infimo ventre uſque ad extremum corporis, tam eleganti & ſplendente viriditate cum aureo colore tranſplendente ſunt plumæ, ut mire reſplendeant. Prope anum macula eſt ſatis magna (reſpectu aviculæ) conſtans plumis candidiſſimis.

Tertia, minor reliquis omnibus. Ab initio capitis, ſeu exortu roſtri ad exortum caudæ duos & ſemis digitos longa; collum unum digitum fere longum: caput haud magnum; corpus ſeſquidigitum longum: roſtellum paulo plus digito longum, nigrum, ſubrotundum, acutum ac fere rectum. Crura & pedes ut reliquarum. Pennarum corporis & alarum etiam eadem diſpoſitio, ſed color diverſus. Caudam longiorem habet reliquis omnibus, paulo plus tribus digitis longam, pennis conſtantem, quarum ea quæ exortui ejus vicinior, brevior, ſecunda ſemper longior: eſtque cauda furcata, & avicula volans eam in duo ampliſſima cornua expandit, ita ut extremitates cornuum ſeſquidigitum à ſe invicem diſtent. Totum caput & collum hujus aviculæ ex nigro ſericeo colore elegantiſſime cæruleum tranſplendet, ut in collo Anatum. Totum dorſum & pectus viride aureum & thalaſſino tranſplendens ut in ſecunda ſpecie, atque etiam prope anum talis macula eſt è plumulis albis. Alarum color epaticus eſt. Cauda ex nigricante cœruleſcenti inſtar politi ferri cœruleo imbuti.

Quarta, paulo minor tertia: corporis figura & plumarum diſpoſitio eadem; ſed alio colore; nec non differens roſtro & crurum colore. Roſtellum ſeſquidigitum longum, deorſum incurvatum inſtar enſis Polonici; ſubrotundum, ubique æqualis craſſitiei & in extremitate acuminatum; ſuperior ejus pars nigra eſt, inferior flava, excepta extremitate quæ etiam nigricat. Caput ſuperius, collum ſuperiori parte, ut & alæ, colore ſunt ut prima ſpecies, guttur, collum inferius, totum pectus & infimus venter ex albo ruſeſcentis ſunt coloris. Caudam habet plus digito longam, deſinentem cum fine alarum, conſtatque pennis ex nigricante vireſcentibus, quæ in extremitatibus albæ. Crura eodem modo diſpoſita habet ut cæteræ ſpecies, ſed haud nigra, verum alba ſeu flaveſcentia, ſimilibus digitis, & unguiculis ſemilunaribus acutis & nigris.

Quinta, magnitudine par tertiæ ſpeciei: Roſtello nigro, paulo plus quam digitum longo, & paulum deorſum incurvato, ocellis nigris, uti & cruribus & pedibus. Guttur, collum inferius & totus venter nigris holoſericis veſtiuntur pennis; cui nigredini quaſi paulum cœrulei tranſplendet: prope anum macula eſt albis plumulis. Extremitates autem nigri, nimirum ad latera colli, pectoris & ventris mire thalaſſino, aureo & viridi mixti reſplendent. Totum caput ſuperius, collum ſuperius & totum dorſum ornantur pennis, aureo, igneo & viridi mixtis, ut & initium alarum. Reliquum alarum ferreum eſt ſeu fuſcum. Cauda paulo plus digito longa, eleganter brunnis, cui cœruleus tranſplendet, pennis conſtat, circa oras autem pennæ illæ habent colorem qualem chalybs politus cœruleſcens.

Sexta, quintæ magnitudine par. Roſtellum habet paulum curvatum, digitum longum, inferius album, ſuperius nigrum. Totum caput, collum, dorſum & venter ac initium alarum inſignis coloris reſplendentis pennis veſtiuntur, nimirum plurimo aureo, dimidio fere igneo & minimo viridi mixto. In ſumma ſplendet ut Sol. In ventre pennæ albæ paucæ mixtæ. Crura nigra ſunt. Alæ nigricantes. Cauda ſeſquidigitum ferme longa, elegans & lata, conſtans pennis quibuſdam inſignis illius coloris, quo reliquum corpus, quædam ex viridi & aureo mixti coloris & per oras albæ, quædam in uno latere ſeu medietate albæ, altero virides cui tranſplendet aureus.

Septima, paulo minor quinta & ſexta ſpecie. Roſtellum habet non omnino digitum longum, coloris per totum corpus cinerei fere ut paſſer, cui hinc inde mire reſplendens rubrum inſtar Rubini perlucet.

Octava: omnium elegantiſſima. Roſtellum rectum, nigrum habet, ſemidigitum longum; linguam longam duplicatam: magnitudo & conformatio eſt ut ſecundæ ſpeciei. Totum caput ſuperius & collum ſuperius miro rubini colore fulgent ac ſi rubinus radiis ſolis illuſtraretur; Guttur autem & collum inferius merum aurum Hungaricum politum & radiis ſolis illuſtratum exhibent, ita ut impoſſibile ſit perfecte ſimilitudinem horum colorum reddere, multo minus à pictore repræſentari. Initium dorſi holoſerica nigredine tectum eſt, reliquum fuſcis pennis, quibus tamen aliquid obſcuræ viriditatis admixtum. Totus infimus venter ejuſdem cum dorſo coloris pennis veſtitur; alæ fuſco ut in reliquis ſpeciebus: prope anum maculam habet albam. Crura exilia nigra. Cauda digitum & paulo plus longa pennis conſtat brunnis ruſeſcentibus *(feulemort)* quæ in extremitatibus per oras fuſceſcunt. Cauda lata, quam inter volandum egregie explicat. Alarum extremitas cum cauda deſinit.

Nona, figura & magnitudine ut prima. Roſtellum ſuperius nigrum, ſubtus ruffum. To-

tum corpus exceptis alis, inſigni illa ſplendet viriditate cum aureo tranſplendente quali ſecunda ſpecies in ventre. Alæ fuſcæ. Cauda digitum longa, latiuſcula, pennis conſtans coloris ut ferrum politum cæruleſcens.

Annotatio. Mentionem feci hujus aviculæ in deſcriptione Americæ l.v.c.17. ubi & iconem illius addidi qualem dederat Car. Cluſius. itemque lib. xv. cap. 7. Sortitur autem varia apud Braſilienſes nomina præter generale *Guajnumbi*, ut *Guaracyaba*, id eſt, radius Solis, & *Guaracigaba*, id eſt, capillus Solis. Fr. Ximenes ſcribit à Mexicanis appellari *Huitzitzil*. Avicula eſt, inquit, quæ habet plumas pictas variis coloribus, è quibus mixtis & compoſitis cum artificio & admirabili induſtria faciunt barbari imagines ſanctorum & aliarum rerum, atque ita conjungunt ut optime ſimilitudinem repræſentent. Hujus aviculæ ea natura eſt & proprietas, quod non diutius vivat, quam flores plantarum durant, cujus melle victitat, quibus decidentibus, roſtello ſuo ſe affigit arborum truncis, & ſex menſibus ita immota manet, donec flores renaſcantur: quod tam multis teſtimoniis confirmatur ut de eo dubitari non debeat. Ajunt pulverem hujus aviculæ hauſtum curare arthritidem coralloïdem. Hæc ille. Vidimus plures ejuſmodi icones artificioſe ex hujus aviculæ plumis concinnatas ita dextrè ut coloribus pictæ viderentur; ſi autem Soli obvertas mirabiliter ſplendent.

CAP. V.

Iacupema. Iacamacaij. Iacurutu. Soco. Matuitui.

IACV-PEMA Braſilienſibus: Phaſiani eſt ſpecies; paulo major gallina minore domeſtica noſtrate. Caput illi gallinaceum haud magnum; roſtrum gallinaceum: oculi nigreſcentes, collum ſeptem circiter digitos longum; corporis autem longitudo ab exortu colli ad exortum caudæ novem circiter digitorum. Caudam habet longam & latam, longam nimirum pedem. Crura longa, ſuperiora plumis veſtita & quinque digitos longa, inferiora tres aut paulo plus: In pedibus quatuor digitos gallinaceos, quorum medius è tribus anterioribus duos digitos longus. Plumis tota avis veſtitur nigris, quibus brunni aliquid admixtum. Ac capitis quidem plumas in criſtam erigere poteſt. Cinguntur que illæ nigræ plumæ aliis albis in ambitu. Guttur ſub capite & ad ſeſquidigiti longitudinem in collo plumis nudum eſt & rubra cute tectum. Collum totum inferius plumulis albis in nigris diſperſis eſt variegatum, ut & totus infimus venter ac alarum medietas poſterior: ſuperiora crura & cauda ſolis nigris conſtant, cui aliquid brunni mixtum. Crura inferiora & pedes elegantis rubri coloris. Cicurantur. Carnem habent bonam. Hæc avis à clamore ſuo nomen accepit, clamat enim *Iacu, Iacu, Iacu.*



IAMACAII Braſilienſibus, Avicula Alaudæ magnitudine. Corpus tres digitos longum, collum plus digito, crura duos digitos, cauda fere quatuor. Caput habet parvum: roſtrum digitum longum, directum, paulum deorſum inclinatum, acutum, nigrum quidem, at inferius prope exortum paululum cæruleſcens. Caput nigris veſtitur pennis, uti & collum inferius, ſuperius luteis: totum dorſum, pectus & infimus venter luteis, alæ nigris, in quorum medietate albæ inſertæ, quæ maculas albas faciunt, in qualibet ala unam: ad exortum alarum tranverſim per dorſum tendit nigra macula: Cauda etiam nigra. Crura & pedes fuſci. Elegans eſt avis.



IACV-

IACVRV̂TV Braſilienſibus, *Bufo* Luſitanis, Noctua eſt: magnitudine æquat Anſeres: caput habet rotundum inſtar felis: roſtrum aduncum, nigrum, ſuperiori parte longius: oculos magnos, elatos, rotundos, & ſplendentes inſtar cryſtalli; in quibus interius circulus flavus verſus extrema apparet: Latitudo oculorum aliquanto major groſſo Miſnico. Prope aurium foramina plumas habet duos digitos longas, quæ inſtar aurium in acutum deſinunt & attolluntur. Cauda lata eſt; neque alæ pertingunt ad illius extremitatem. Crura pennis veſtita uſque ad pedes: in quibus quatuor digiti, tres anterius, unus poſterius verſus, atque in quolibet unguis incurvatus niger, plus quam digitum longus, & acutiſſimus.



Pennæ totius corporis variegatæ è flavo, albo & nigricante pereleganter.

ANNOTATIO. Habes duas treſve Icones ejuſmodi noctuarum, ut ita dicam, auritarum, & ſatis eleganter expreſſas, majori mole, Ornitologiæ lib. VIII. cap. 2. pagina 509. Itaque deſcriptiones conferre haud difficile eſt futurum.

SOCO Braſilienſibus, avis aquatica, cujus multæ hic obſervari poſſent ſpecies; hæc cujus Iconem addimus, magnitudinem habebat Ardeæ minoris. Roſtrum obtinet rectum, nigrum, & in extremitate acutum, duos & ſemis digitos craſſum, ubi craſſiſſimum. Caput illi inſtar Ardeæ, uti & collum pedem ongum: oculi nigri circulo aureo: alæ & cauda ſimul deſinunt: cauda enim brevis, nec ſupra quinque digitos longa: crura ſatis longa: ſuperiora quippe quatuor & inferiora totidem digitos: in pedibus porro quatuor digitos, videlicet tres anterius, unum poſterius verſum. Crura autem ſuperiora ad medietatem ſunt nuda pennis: cætera fuſca cute tecta. Caput & collum brunnis quidem pennis, ſed quæ punctulis nigris variegatæ ſunt, veſtiuntur. Per totum collum inferius ad pectus uſque tendit linea plumis albis, nigris & brunnis mixta. Dorſum & alæ nigris quidem, ſed quæ minutiſſimis punctulis flaveſcentibus variegatæ ſunt, veſtiuntur; venter quoque ad eundem modum: ſub alis denique nigræ & albo maculatæ ſunt pennæ.



MATVITVI Braſilienſibus, Avis Alaudæ magnitudine. Roſtrum habet rectum, nigrum quidem, at in exortu inferius croceum: oculos elegantes nigros. Totum caput ſuperius, collum, dorſum, alæ & cauda ſuperius coloris ſunt obſcure gryſei, & remiges alarum nigricantes. Caput inferius, guttur, pectus & infimus venter albicant, ut & crura ſuperiora, quæ mediam partem pennis veſtita, more avium aquaticarum. Supra exortũ roſtri in fronte maculam habet albam, & annulum albũ circa collum, & inferius ſemiannulum obſcure gryſeũ, huic contiguum: nam guttur totum album eſt, collum ſuperius totum obſcure gryſeum. Crura ſunt ſubluteola; digiti autem pedum aliquid fuſci admixtum habent. Tres ſolummodo digitos habet in pedibus, omnes anterius verſos, qui in exortu cute ex parte junguntur: unguiculi nigri.



Avis hæc ad littora maris & ripas ſalſorum fluminum diſcurrit.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. VI.

Iabiru. Iabiru guacu. Manucodiata.

IABIRV Braſilienſibus, Belgis vulgo *Negro*. Avis hæc magnitudine ſuperat Cignum. Corpus illius quatuordecim digitos longum: collum totidem, & brachii humani habens craſſitiem. Caput ſatis magnum, oculi nigri, roſtrum nigrum directe extenſum, & ſuperius verſus extremitatem paulum incurvatum; undecim digitos longum, duos & ſemis latum, ver-



ſus exteriora acuminatum; eſtque ſuperior roſtri pars paulo altior & major inferiori. Caret lingua & ſub gutture ingluviem habet mediocris magnitudinis. Crura longiſſima, duos nimirum pedes: ſuperiora enim unum pedem & digitum longa, & mediam partem pennis nuda; inferiora undecim digitos. Sunt autem crura recta, nigricantia, & quaſi ſquamata, digitum medium craſſa. In pedibus digiti quatuor, tres anterius, unus poſterius verſus; quorum medius quatuor digitos longus, cæteri paulo breviores. Tota avis veſtitur albis pennis inſtar cigni aut anſeris. Collum fere totum, nimirum octo digitorum, longitudine à capite numerando, caret pennis; ac hujus medietas cum capite tegitur nigra cute, reliqua alba cute. Sed puto in cute hæſiſſe pinnulas albas, & fuiſſe abreptas. Cauda lata deſinit cum extremitate alarum.

IABIRV GVACV Petiguaribus, *Nhandu apoa* Tupinambis: Belgis **Scurvogel**, Roſtrum habet magnum, ſeptem & ſemis digitos longum, in extremitate teres & inferius incurvatum; caret lingua & roſtrum inferius canum eſt. In ſummitate capitis mitram oſſeam coloris albi & cinerei mixti gerit. Oculi nigri & pone eos aurium foramina ampla. Collum decem digitos longum, cujus medietas, uti & caput, plumis, at cute ſquamoſa cinerea eſt tecta, cujus ſquamæ albicant. Corpore æquat Ciconiam; caudam habet brevem & nigram, cum qua alæ deſinunt. Crura ſuperiora ex parte albis veſtita pennis, cætera tota cinerea, & quidem ſuperiora crura longa ſunt digitos octo, inferiora ſex aut paulo plus: digiti pedum quatuor ut in priore. Totum corpus & collum albis veſtitur pennis & à collo longiuſculæ pennæ propendent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

pendent & circum. Alæ albæ, remiges illarum pennæ nigræ, rubini colore tranſplendente in nigro. Pellis detrahitur huic avi ac caro ejus cocta comeditur; pinguis eſt & ſicca, boni ſaporis, præſertim ſi cocta butyro frixetur. Comedi ſæpiſſime.



MANUCODIATA, & quidem Rex creditus; ad aſpectum columbam, ſed revera hirundinem æquabat. Caput habet parvum, oculos parvos, roſtrum rectum, ſatis craſſum, acuminatum, ſeſquidigitum longum: collum digitum longum; corporis autem longitudo à collo ad caudæ exortum vix trium digitorum & ſemis. Alæ ſupra ſeptem longæ; cauda lata & ſex digitos longa. Crura duo habet, quodlibet inferius duos digitos longum; quatuor digitos in pedibus, tres antrorſum, unum retrorſum verſum more communi; medius anteriorum paulo longior cæteris; poſterior etiam ſatis longus; quilibet ungue lunato ſeu adunco accipitrino forti præditus. Suntque crura & pedes ſatis craſſi ac ad rapinam comparati. Alæ & cauda pennas habent latas & fortes digiti latitudine. Totum dorſum, infimus venter, alæ, cauda elegantis ſunt brunni coloris; ſuperius ad roſtrum pennulas habet holoſericum leve referentes, viridi & fuſco mixtas; inferius ad roſtrum ſimiles nigri coloris. Collum ſuperius flavi ſeu aurei eſt coloris, inferius viridis cum aureo tranſplendente. Pectus ſaturate brunnum; ſub alis in lateribus inter alas & crura, exoriuntur multæ pennæ, pedem plus vel minus longæ, elegantis ſtructuræ, quæ ſupra caudam longe extenduntur: ſunt autem prope exortum flavi ſeu aurei coloris, reliqua ex albo flaveſcentes, brunno umbratæ ſeu dilute intermixtæ: inter has pennas duo quaſi fila extenduntur, quodlibet longum duos pedes & amplius, ac verſus extremum incurvata, obſcure brunni coloris. Crura fuſca ſunt, unguibus magis albicantibus. Roſtrum coloris eſt ex viridi & cæruleo mixti, verſus acumen tamen albicans. *Hæc eſt illa avis quam alii Paradiſeam vocant: cujus aliquot reperiuntur ſpecies.*

CAP. VII.

Guirapunga utraque. Guiraquerea. Jacamaciri. Cariama.

GUIRAPUNGA Braſilienſibus; Avis cujus ſonus longe auditur; Turdelæ majoris magnitudinem ſuperat & columbæ fere æquat. Roſtrum habet digitum longum & latum, anterius acutum, cujus ſuperior pars paulum prominet ſuper inferiorem, ac deorſum eſt incurvatum, nigrum, naribus patentibus. Os illi amplum quod aperire poteſt uſque ſub oculos, ita ut oris apertura cum roſtro triangulum formet. Linguam habet brevem: oculos è nigro cœruleſcentes. Sub gutture autem, quod latum habet, & in collo inferiori, multas digitum longas propendentes particulas carneas nigras habet, figura ſpiculi haſtæ, vel quaſi ligulæ. Caput obſcure brunnis pennis veſtitur. Totum collum, pectus, venter, dorſum & crura ſuperiora leucopæis teguntur pennis, quibus (potiſſimum in dorſo) nigricantes admixtæ, ac verſus caudam etiam vireſcentes. Caudam habet tres digitos longam, leucopæis ac nigricantibus pennis pauca viriditate admixta. Alæ (non multum poſt exortum caudæ deſinentes) in initio ſunt nigræ, reliquam partem nigricantes, quibus obſcure vireſcentes pennæ admiſcentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Crura inferiora nigricant, ſuntque plus digito longa; digitos quatuor habet cum cæteris communes, nigris unguibus. Pectus bifidum eſt, ſeu convallem habet per medium ſecundum longitudinem; tracheam amplam, unde etiam fortem clamorem poteſt edere. Duplicem autem ſonum edit promiſcue, una vice quaſi quis ſecuri percuteret cuneum ferreum in ſilva *(cock, cick,)* altera autem quaſi quis campanam fiſſam tangeret *Kur, Kur, Kur,* &c. Clamat autem ſolum media æſtate, Decembris & Ianuarii initio per quinque aut ſex ſeptimanas, reliquis menſibus non auditur; unde Luſitanis *Ave de verano* vocatur.



GVIRA PVNGA fœmina; Turdelæ noſtræ majoris magnitudine eſt & figura & eodem modo carnoſa. Caput habet latiuſculum, roſtrum quoque latum, haud longum, oris hiatus amplus quando aperitur. Roſtrum nigrum. Oculi ſatis magni. Cauda tres digitos aut paulo plus longa, nec alæ ad illius finem pertingunt. Tota avis veſtitur pennis nigricantibus, quibus fuſcæ & dilute virentes ſunt mixtæ: magis tamen fuſcus eſt in dorſo color, in gutture, pectore, & ventre magis dilute virens & mixtus ut noſtræ turdelæ. Avis eſt pinguis & copioſæ carnis. Crura & pedes nigricant, cætera nihil differunt à communi norma.



GVIRAQVEREA Braſilienſibus; Avis Alaudæ magnitudine, ſed quia longas alas & caudam habet multo longiorem, videtur major. Caput latum, compreſſum ac ſatis magnum habet, oculos magnos & nigricantes; roſtellum parvum, triangulare, compreſſum & ſuperiore parte aduncum: os amplum, longe amplius roſtro, quod apertum triangulum efformat. Ad utramque autem extremitatem roſtri ſuperioris ad latera digiti fere longitudine, in quolibet decem aut duodecim circiter ſetas craſſas ſuillas habet protenſas anterius & ad latus. Corpus haud longum, ſed rotundum fere eſt. Pedes quatuor digitis more communi conſtant, quorum medius longior reliquis; & unguiculo ſuo (quos omnes habet nigros) pectine corneo ſubtiliter ſerrato dotatus eſt. Alas longas habet, nimirum ſemipedem. Cauda octo digitos longa, conſtans in extremitate duabus pennis longioribus reliquis. Tota avis ex fuſco cinerei coloris cum maculis obſcure flavis aut albicantibus mixtis more Niſi. Circa totum collum autem pone caput annulum habet obſcure aureum. Crura cinerea ſeu fuſca. Digiti exigua pellicula connectuntur, non ita lata ut in anatibus, nam non eſt avis aquatica.



JACAMACIRI Braſilienſibus, Avis Alaudæ magnitudine. Roſtrum rectum, acutum, nigrum habet, duos digitos fere longum: linguam brevem: oculos cœruleos: Alas breves quæ paulo poſt exortum caudæ deſinunt. Cauda autem tres & ſemis digitos fere longa, recta, ſeptem aut octo pennis conſtans. Crura ſuperiora pennis veſtita, inferiora nuda, cute flava & viridi mixta. Pedes itidem. In quolibet pede quatuor habet digitos, duos anterius, duos poſterius verſos; eſtque uterque interior, tam anterius, quam poſterius, dimidiam tantum partem longus præ exterioribus: Unguiculi nigri.



To-

Totum caput, collum ſuperius, totum dorſum, alæ, cauda ſuperius coloris ſunt viridis cum aureo & igneo mixti, ita ut mirifice reſplendeat; ejuſdem coloris annulus etiam circumdat collum. Sub gutture autem, in pectore & infimo ventre & ſub cauda obſcure flavi coloris eſt, ut cera vetuſta.

CARIAMA Braſilienſibus, Avis Ardeæ majoris magnitudine; ex aquaticarum eſt genere: in capite ſuper exortu roſtri criſtam plumatam gerit nigram cinereo mixtam, erectam. Roſtrum breve, ſuperius paulo aduncum, ex obſcuro flavo fuſcum. Oculos habet elegantes aureos, pupilla nigra, longis ſuperciliis nigris. Alæ deſinunt paulo poſt exortum caudæ. Crura habet longa, ſuperius mediam partem pennis veſtita, cætera nuda & obſcure flava: digitos tres in pedibus, medium longiſſimum, exteriorem breviorem, interiorem adhuc breviorem. Suntque digiti ad partem cute connexi. In poſtica parte pedis digitum parvum habet, altiori loco poſitum, & calcaneum rotundum more Struthionis. Ungues digitorum breviuſculi, lunati, fuſci. Totum corpus pennis veſtitur gryſeis ſeu cinereis fuſco undatis, ut in falconibus, & obſcure flavo mixto: extremitas alarum & caudæ fuſca eſt, obſcure flavo & gryſeo undata: in pectore & inferiore ventre plus habet gryſei. Caudam demiſſam, collum erectum gerit. Clamor ejus inſtar gallo-pavi fæminæ & longe auditur. Carne eſt valde probata.



CAP. VIII.

Guara. Urutaurana. Maguari. Guarauna. Ajaia. Picui pinima. Pica cureba. Tuidara. Guacu guacu. Tapera.

GUARA Braſilienſibus (in Marahoon frequentiſſima & Rio de Ieneiro) avis eſt aquatica & terreſtris, Albardeolæ magnitudine. Roſtrum habet enſis polonici figura, longum, ex albo ſubcineraſcens: oculos nigros. Collum & corpus inſtar Albardeolæ. Alæ deſinunt cum cauda, quæ brevis & demiſſa. Crura longa, quorum ſuperior medietas pennis veſtita, reliqua nuda: digiti pedum quatuor communi modo, longiuſculi, brevibus unguibus, prope exortum cute inter ſe connexi: crura autem nuda cum pedibus coloris ex albo gryſei, uti & roſtrum.



Tota avis veſtitur pennis elegantis coloris coccinei; remiges tantum alarum nigras habent extremitates. Hæc avis primum excluſa coloris eſt nigricantis, hinc evadit cinerei, deinceps albi, ſenſim autem rubeſcere incipit & ſecundo ætatis anno coloris eſt in totum, quem *Columbin* vocant, quoque magis ſeneſcit elegantiſſimum illum colorem coccineum acquirit. Victitat piſcibus, carne, adjuncta ſemper aqua.

Braſiliani è plumis hujus avis varia componunt corporis ornamenta.

URUTAURANA Braſilienſibus, & *Urutavi cuquichu Caririri*, Avis Aquilæ magnitudine. Roſtrum habet nigrum, cujus ſuperior pars adunca, prope exortum tamen flavum; oculos elegantes aureos, pupilla nigra; quos cuticula cinerea obducere poteſt, licet palpebras non claudat. Caput aquilinum quidem, ſed ſuperius compreſſum ſeu planum, in cujus ſummitate duas habent pennas nigras, duos circiter digitos longas, cum duabus parvulis ad latus quodlibet: illas autem quando vult in altum ſurrigit, atque iterum componit. Alæ paulo poſt exortum caudæ deſinunt. Cauda ei lata inſtar Aquilæ.

Caput ſuperius fuſcis tegitur pennis, quarum oræ ſubflaveſcunt: totum collum ſuperius & ad latera brunnis (ut perdix:) totum guttur cum collo inferiori eſt album, ita tamen ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

albedo ad latera pennis nigris ſit variegata. Totum pectus & infimus venter, crura ſuperiora & inferiora uſque ad pedes pennis veſtiuntur albis, quibus nigræ ſquamatim admixtæ ſunt. Alæ & cauda fuſci ſunt coloris cum umbra mixti, atque oras habent ſubtiles albicantes. Remiges alarum pennæ ſunt fuſcæ & nigris undis variegatæ. In pedibus digitos habet quatuor flavos, unguibus lunatis fuſcis. Clamat *Geb, Geb*, ut pullus gallinaceus qui matrem perdidit. Rapax avis, crudam comedens carnem. Projectam ſibi avem ſive vivam ſive mortuam unguibus arripit & roſtro egregie deplumat, dein dilacerat & carnem oſſaque deglutit; unam harum diu vivam alui in munimento Mauritii ad Flumen S. Franciſci.



ANNOTATIO. Icon hujus avis haud male convenit cum Icone Nycticoracis (quam dat Geſnerus; non tamen Nycticoracis veterum, ſed vulgo ſic dicti circa Argentinam & alibi circa Rhenum, avis piſcatoriæ) niſi quod in capite tres pennas habeat.

MAGUARI Braſilienſibus; Avis Ciconiæ ſimilis figura & magnitudine, atque etiam ex parte colore. Collum habet pedem longum; Roſtrum rectum, acutum, novem digitos longum; crura longa & nuda ut Ciconia; caudam brevem, cum qua alæ deſinunt. Roſtrum in exortu ad medietatem uſque ex viridi flaveſcens, reliqua medietas extrema ex cœruleo cinerea. Oculos habet parvos, argenteos, pupilla nigra & circa eos cutem cinnabriam, ac ſimilem etiam inferius prope exortum roſtri, ſeu inter roſtrum & guttur: quam more *Senembi*, iraſcens dependere ſinit ſub gutture.

Totum caput, collum, & totum corpus albiſſimis veſtitur plumis; ac inferiori parte colli pennæ albæ illæ ſunt longiuſculæ. Cauda autem quoque alba, at ſuperius nigris aliquot pennis tegitur. Alæ in exortu albis teguntur pennis, ſed prope dorſum nigris: nigredini autem perſplendet viriditas. Crura ſunt rubra ut & pedes, quos cum Ciconia communes habet. Roſtro crepitat, ut Ciconia noſtras. Caro illius edulis.

GUARAUNA Braſilienſibus, Ruſticola aquatica, magnitudine *Iacu*. Roſtrum habet teres, paulo deorſum inclinatum, flavum, at in extremitate fuſcum, quatuor & ſemis digitos longum; corporis autem illius longitudo eſt totidem. Crura ſuperiora mediam partem pennis veſtita, ſex digitos longa: digiti pedum quatuor ita diſpoſiti ut communiter; quorum medius tres digitos longus, cæteri breviores.



Tota avis pennis veſtitur fuſcis, multa umbra mixtis. Caput autem & Collum totum ejuſdem coloris, & præterea albo punctulatum, ut in Jacu.

Carnem habet ſatis bonam, quam ſæpius comedi.

AIAIA Braſilienſibus, *Colherado* Luſitanis, Belgis Lepelaer: Avis figura conveniens cum Europæis, ſolo colore differens. Anſeris magnitudine. Roſtro inſtar cochlearis lato, albo: collo longo, pedibus latis. Tota alba eſt, ſed in dorſo & alis dilute incarnati coloris perſplendentis. Caro illius edulis, & ſæpe comedi. Frequens eſt ad Flumen S^ti^ Franciſci, & alibi paſſim in locis paluſtribus.

PICUIPINIMA Braſilienſibus; columbæ ſilveſtris ſpecies, paulo major Alauda. Roſtellum habet columbinum, fuſcum: ocellos nigros, circello aureo. Totum caput, collum ſuperius & ad latera, dorſum & alæ pennas habent obſcure cinereas ſeu lividas, oris nigricantibus lunatis. Longiores autem alarum pennæ ſeu remiges, quæ inter volandum videntur, ruffi ſunt coloris, uno latere nigricantes, ut & in extremitatibus. Cauda longiuſcula ex pennis conſtat è cinereo fuſcis, quarum & quædam nigræ & medietate exteriore albæ. Venter albas pennas habet oris lunatis fuſcis. Crura & pedes columbini albeſcentes. Carnem habent bonam, & ſunt admodum pingues.

PICACUROBA Braſilienſibus, quoque columbæ ſilveſtris eſt ſpecies, coloris cinerei cum ruffo mixti; pedibus & cruribus rubris.

Avicu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Avicula *(cujus nomen Auctor non prodit)* paſſeris magnitudine & figura, tota nigra, capite tamen albo, & cauda ex multo nigro & gryſeo colore mixta. Clamat *Zip, Zip*.

TUIDARA Braſilienſibus; Ululæ eſt ſpecies; Germanis *Schleiereule*, Belgis **Kerckuyle**. Capite rotundo, naſo elato, & plumis compexis conſtrato; ſub naſo roſtrum habet aduncum, album: oculos autem nigros. Tota avis faciei ſuperficies, cordis, uti pingitur, habet figuram, plumulis obſcure ex albo flavis, cum pauco nigro mixtis, quaſi fimbria circumdata eſſent. Plumæ totius avis mixtæ albo & pallide flavo ac gryſeo: alæ undatæ uti & cauda. Corpus ſubtiliter punctatum cum fuſco. Deſcribitur & à Geſnero.

GUACAGUACU Braſilienſibus, Luſitanis *Gaivota*, Belgis **Meeuwe**: Avis gallinæ vulgaris magnitudine, roſtro recto, longo, craſſo, flavo. Caput ſuperius nigris tegitur pennis, ut & ultima medietas alarum & cauda. Guttur, totum collum, pectus & infimus venter, ac initium alarum ſunt alba. Ova ponit in arena, gallinaceis figura, magnitudine & colore ſimilia: quæ quidem boni ſunt ſaporis, ſed caro avis nullius eſt pretii.

TAPERA Braſilienſibus, *Andorinha* Luſitanis, Hirundinis ſpecies, noſtratibus ſimilis, ejuſdem magnitudinis & eodem modo circumvolitans. Roſtrum breve, latiuſculum habet & nigrum: os amplum, quod aperire ultra oculorum regionem poteſt, ut Ibiau junior: oculos elegantes, nigros: alas longas, deſinentes cum fine caudæ; quæ latiuſcula eſt. Crura & pedes ut noſtratibus. Totum caput ſuperius, collum, dorſum, alæ & cauda pennas habent coloris ex fuſco cum gryſeo mixti; remiges alarum & extremitas caudæ paulo magis fuſceſcunt reliquis partibus. Sub gutture & in pectore gryſei eſt coloris, cum albo mixti; venter eſt albus, uti & ſub cauda albet. Crura & pedes fuſci.

CAP. XI.

Pſittacorum majorum & minorum variæ ſpecies.

PSITTACORUM in Braſilia maxima eſt copia & ſumma varietas; quos Braſilienſes communi nomine vocant AIURU. Ariſtoteles lib. IV. Hiſtor. Animal. cap. x. ſcribit; *ea quæ ova pariunt, an ſomnient incertum eſt, manifeſtum vero ea dormire*. Ego utrumque adfirmo cum Jul. Scaligero in Commentar. & quod ille de ſuo Turdo refert & Accipitribus, ego de meo Pſittaco, quem Lauram vocabam, nam ſæpius de nocte ſeipſum expergiſcens ſemiſomnus ſublocutus eſt. Idem lib. VIII, cap. x. ſcribit, Pſittacum à Græcis etiam ἀνθρωπόγλοττον vocari. Pſittaci nidificant in cavis arboribus, ubi foramen extra rotundum faciunt, ac ova duo aut tria columbinis ſimilia imponunt ſine nido aliquo ficto. Ova ſi tangas, nihilominus excluduntur, nec Pſittacus ea deſerit. Pullos excludunt medio Junio & fine: plumati autem pulli inveniuntur apti ad eximendum fine Julii & medietate Auguſti. Pſittaci juniores primum excluſi vermes craſſiuſculos habent, in quolibet narium foramine unum, ac præterea in ſummitate capitis tuberculum in quo itidem vermis craſſus latet. Omnes autem vermes brevi ſponte excidunt, ac locus per ſe ſanatur. Fiunt varii coloris Pſittaci à Tapuyis, deplumando juniores & cutem variis coloribus inficiendo, Luſitani vocant *Papagios contrefeitos*. Nullus Pſittacorum Braſilienſium præter Curicos ſe manibus tangi in corpore permittit.

Prima ſpecies AIURUCURAU elegantiſſima eſt. Supra roſtrum in capite mitellam habet eleganter cœruleam: guttur, latera capitis & ſuperior illius pars eleganti flavo veſtiuntur, totum corpus læto viridi. In alarum extremitatibus pennæ una medietate nigræ, altera croceæ, partim etiam in extremitate cœruleæ, partim hinc inde virides. In ſumma eleganter variegatæ. Cauda viridis, ſed quando illam explicat, fimbriata nigro, rubro, cœruleo. Crura & pedes cinerei coloris. Roſtrum ex cinereo fuſcum. Oculi nigricantes, circulo aureo. Lingua omnibus lata & craſſa.

Secunda ſpecies, priori ſimilis, paululum aliter variegatur coloribus, nimirum in ſummo capite mitella flava cui albedo mixta, ſuper oculos & in gutture clare flavo. Circa roſtrum ſuperius macula eſt thalaſſina.

Tertia ſpecies; AIURUCURUCA. Mitram habet in capite ex cœruleo & pauco nigro mixtam, in medio mitræ maculam flavam. Infra oculos flava, & in gutture cœrulea eſt macula. Viriditas in pectore, alis & dorſo paulo ſaturatior, in extremitatibus alarum & cauda dilutior. Extremitates pennarum alæ flavæ & rubræ & Indico colore mixtæ. Cauda inferius ex flavo & viridi mixta, ſuperius dilute viridis. Crura è cinereo cœruleſcentia. Roſtrum ſuperius cinereum, in extremitatibus nigrum, ungues pedum nigri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

TVI vulgo *Perroquet*.

PRima ſpecies : magnitudine Hirundinis : in totum viridis coloris : cauda longiſſima roſtro nigro adunco.

Secunda : Tui aputejuba, viridis in totum & quidem dilutius in reliquo corpore, in ventre flaveſcens, in alis obſcure viridis. Cauda longiſſima : magnitudinis ejuſdem cum priori; oculis magnis, ſubnigris, circello ex pennis circa oculos luteo, & ſupra roſtrum, quod nigrum & aduncum, in capite maculam habet magnam ex pennis Auraici coloris.

Tertia TVITIRICA, paulo majores ſunt Guineenſibus, in totum viridis coloris, qui tamen in dorſo & alis plerumque ſaturatior, in reliquis partibus dilutior: roſtro incurvato incarnati coloris: oculis nigris; pedibus cæruleſcentibus; cauda paulum ultra extremitatem alarum protenſa. Admodum hi manſueſcunt, & cibum ex alicujus ore capiunt & manibus ſe tractari ſinunt. Item inſtar Pſittacorum garritum addiſcunt.

Quarta : magnitudine ſturni, ejuſdem coloris cum ſecunda ſpecie, ſed breviori cauda.


Quinta IENDAYA : ſunt magnitudine merulæ aut minoris Turdelæ; roſtro & cruribus nigris, oculis nigricantibus, circulo aureo, exterius albo : dorſum, alæ, & cauda, ut & anus, viridibus pennis veſtiuntur quibus thalaſſinus mixtus : extremitas alarum quodammodo nigreſcit. Totum caput, collum & pectus flavi coloris ſunt, cui luteus intermixtus.

Sexta TVIETE, magnitudine Alaudæ, in totum dilute viridis coloris. At initium alarum egregie cæruleum eſt, & omnium pennarum in alis oræ cæruleæ, ita ut complicatæ, quando quieſcit avis, maculam longam cæruleam prope oram lateralem alæ oſtentent. In dorſo ad exortum caudæ uſque etiam macula cærulea eſt. Cauda brevis. Roſtellum incurvatum, incarnati coloris. Crura & pedes cinerei.

Septima : TVIPARA Tupinambis, magnitudine Alaudæ, in totum dilute viridis coloris, cauda brevior, ita ut cum alis deſinat : Roſtro incarnato; cruribus gryſeis. Prope roſtri exortum in fronte, maculam habet ſemilunarem miniatam, quaſi coronam; quæ & inferius eſt, in cujuſlibet alæ medio lutei ſeu vranici coloris. Nidificant in cumulis à formicis relictis, qui in arboribus reperiuntur.

Pſittaci & Tui ſemper catervatim volant, nimirum bini ac bini juxta ſe invicem : Sylvæ his plenæ ſunt, & ſæpe quadringenti & quingenti ſimul volant, ſtrepitum magnum clamore excitantes. Conſident in altiſſimis arboribus : nidificant potiſſimum in mediterrancis. Caro boni ſaporis ſi aſſetur, maxime *Perroquet*.

ARARACANGA Braſilienſibus, Pſittacus maximus; majores ſunt corvis noſtratibus. Caput magnum, ſuperius planum & latum habet, oculos pulchros, cæſios, pupilla nigricante : oculos autem exterius ambit membrana alba, ut & maxillas & roſtrum inferius: hæc ſubter oculos ſemilunari forma eſt producta. Roſtrum incurvum, magnum, ſuperius albicans, inferius nigrum: linguam habet ut Pſittacus & eodem modo edit. Voces etiam quaſdam ſonare diſcit. Roſtrum ſuperius tres circiter digitos longum, altum ſeu latum: Crura & pedes ut Pſittacus habet nigros. Totum caput, collum, pectus, venter, crura ſuperiora & cauda inferius, ut & initium alarum ſuperius elegantibus rubris pennis veſtiuntur, per medietatem autem alæ tectæ ſunt viridibus, extrema autem medietas alarum uſque ad finem cœruleis ornatur. Extremitas dorſi prope anum ſuperius & cauda cœruleis conſtant, quibus aliquot brunni coloris admiſcentur. Cauda longa eſt decem circiter digitos & longe prominent ultra finem alarum.



ARARAVNA Braſilienſibus. Figura alteri ſimilis, ſed alterius coloris. Roſtrum nigrum, oculi cæſii, pupilla nigra. Cutis circa oculos alba nigris pennulis variegatur

quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

quaſi acu picta eſſet. Crura & pedes fuſci coloris. Caput anterius ſupra roſtrum mitellam habet viridibus pennis: ſub roſtro inferiori ambiunt guttur pennæ nigræ: Colli autem latera, reliquum guttur, totum pectus & infimum ventrem tegunt pennæ flavi coloris: Extremum caput, collum poſterius verſus, totum dorſum & alas exterius cœrulei. Extremitatibus alarum plumæ flavæ ſunt admixtæ: cauda conſtat longis pennis cœruleis, quibus aliquot flavæ immiſcentur. In genere autem cœruleæ pennæ interius ſunt nigræ & quodammodo etiam nigredinem ad latera de ſe ſpargunt.

ANACA Braſilienſibus: Perroquet, magnitudine Alaudæ. Roſtrum fuſcum, aduncum. In capitis ſummitate epatici coloris pennæ, ad latera circa oculos brunni; guttur cinereum; collum ſuperius & latera viridia. Venter habet pennas ex brunno ruſeſcentes. Dorſum viride maculam habet dilute brunnam. Cauda quoque dilute brunna. In alarum initio ſanguinea macula ſive fimbria eſt: reliquum alarum viride; extremitas thalaſſini coloris. Crura ſuperius viridibus veſtita pennis, inferius cute cinerea, unguibus nigricantibus. Elegans plane avis.

MARACANA Braſilienſibus, avis Pſittaco plane ſimilis (cujus & ſpecies) ſed major, plumæ totius ex gryſeo ſubcœruleſcunt, clamat ut Pſittacus. Fructus amat, Murucuja imprimis.

MARACANA Braſilienſibus, itidem Araræ ſpecies minor; magnitudine Pſittaci, figura Araræ, cauda longa tali, roſtro, & cute circa oculos. Roſtrum nigrum, cutis circa oculos alba, punctulata plumulis nigris. Oculi flaveſcentes, pupilla nigra. Totum caput, collum & alæ ſaturate viridis coloris, uti in Amurucurica; ſummitas capitis dilutior & quodammodo cœruleſcit. Cauda ſuperius viridibus & in extremitate cœruleſcentibus, inferius ſaturate rubris conſtat pennis. Alæ interius etiam rubræ, exterius virides & extremitates cœruleæ obſcure. In exortu cujuſlibet alæ maculam habet miniatam. Super roſtri exortum, ſuperius maculam habet parvam fuſcam. Crura & pedes fuſci. Clamat *Oe, Oe, Oe*.

QVIIVBATVI flavus eſt totus, magnitudine Tuiapara; roſtro incurvato gryſeo, oculis nigris. Extremitas alarum obſcure viridis eſt: cauda longa flava. Crura coloris incarnati. Facile & valde manſueſcit.

PARAGVA Pſittacus eſt niger, magnitudine Aiurucariu, pectore, dorſo & ventre medietate anteriore inſigniter rubro. Oculis nigris, circello rubro. Roſtro fuſco ſeu obſcure cinereo. Cruribus & pedibus obſcure cinereis.

TARABE Braſilienſibus, Pſittacus eſt viridis, major quam Paragua, capite rubro & pectore atque initio alarum. Roſtro & pedibus obſcure cinereis.

AIVRVCATINGA Braſilienſibus, Pſittacus magnitudine pulli gallinacei mediocris, totus viridis; oculis rubris & circa oculos cute alba. Roſtro albo & cruribus albis. Caudam habet longam, viridem.

AIVRVAPARA Braſilienſibus, in totum convenit cum præcedenti, ſed minor eſt.

CAP. X.

Ipecu. Urubu. Tamatia utraque. Guirajemoja. Gurraru nheengeta.

IPECV Braſilienſibus, *Corta pao* Luſitanis, Avis magnitudine columbæ. Colli longitudo duorum digitorum, corporis autem quatuor, & caudæ item quatuor, crurum fere ſeſquidigiti; in pedibus quatuor habet digitos, duos antrorſum, duos retrorſum verſos ut in Pſittacis. Caput veſtitur pennis cinnabrii coloris, in quo & criſtam habet inſtar Columbæ: collum ad roſtrum uſque inferius nigrum, ut & ſuperius; in utroque autem latere linea eſt alba, craſſa, quæ diviſim ad dorſum protenditur. Alæ exterius totæ nigræ, interius albæ; cauda nigra; in ventre & cruribus ſuperioribus pennæ ſunt nigræ & albæ. Roſtrum illius rectum, acutum, ſeſquidigitum longum, quo arborum cortices exſcindit ut Picus.



URUBU Braſilienſibus, vulgo **een Menſcheneter**; Avis rapax, magnitudine Milvii aut Niſi, pedibus gallinaceis ſubalbicantibus, cauda longa, & alis ea longioribus. Pennæ totius corporis ſunt nigræ cum pauxillo ravi coloris hinc inde mixtæ. Caput habet parvum, figura pene gallinarum Indicarum, cute tectum paululum rugoſa. In ſummitate autem capitis ſecundum longitudinem quaſi dividitur cutis, & in ſiniſtro latere capitis infra oculum crocei eſt coloris, ſupra oculum cœrulei, in ſummitate item, reliqua parte ex ruf-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ex ruffo ſubbrunni. In dextro latere capitis circa oculum ſuperne & inferne crocei coloris, in ſummitate itidem, reliqua parte ex croceo albicantis.



Roſtrum habet ſatis longum, exterius aduncum, acutum, & ad medietatem uſque à capite cute obtectum ex croceo cœruleſcente. In medietate roſtri ſuperius narium foramen unum amplum tranſverſim poſitum; extremitas roſtri, quæ cute caret, eſt alba. Oculos habet elegantes rubini fere colore, pupilla rotunda nigra: palpebræ ſunt croceæ: linguam carinatam, in ambitu denticulis acutis præditam. Fætet ejus caro inſtar cadaveris: nam & cadaveribus veſcuntur, & in maxima copia ſtatim advolant in Capitania Sirigippo & Flumine S. Franciſci, quando quis beſtiam aliquam mactat. Fœda avis, ſemper macra, numquam ſatura.

ANNOTATIO. Fr. Ximenes hanc eandem avem ita deſcribit: Avis, quam Mexcani vocant *Tzopilotl*, ab aliis nationibus appellatur *Aura*; magnitudine eſt aquilæ mediocris, aut corvi, cujus ſpecies videtur eſſe; ungues habet curvos & nigros, crura parda, roſtrum Pſittaci, & ad eundem modum factum, frontem pardum & ſine plumis, cum pilis pexis & nigris ſimilibus eis qui naſcuntur in capitibus Nigritarum. Veſcuntur carnibus mortuis & ſtercore humano: Ignotum hactenus ubi nidificent, aut pullos excludant, licet frequentiſſima ſit avis in Nova Hiſpania; volat ſemper valde alte, & fundit de ſe gravem & horribilem fætorem inſtar corvorum: volant ſemper catervatim, & inſident arboribus, & junctim cadavera depaſcuntur ſine ullo certamine, atque ita ſe ingurgitant ut vix ſe levare poſſint ad volandum, & facile hinc capiantur; & quando cæteræ vident aliquam non poſſe ſe movere, adjuvant quantum poſſunt & ducunt ad aquam, nam ablutæ recuperant vires ad volandum. Ajunt plumas hujus avis crematas & in cinerem redactas, pilos ita tollere ut non renaſcantur, quod & ſtercori formicarum tribuitur & ſanguini veſpertilionum: cutis earum ſemiuſta, ſanat vulnera ſi applicetur, & ſimul caro comedatur; quæ etiam ſolet prodeſſe iis qui lue venerea laborant, uti affirmant multi Hiſpani, qui illas comederunt conſilio Mexicanorum, & ſanati ſunt, quod aliis remediis fruſtra tentaverant. Cor ſiccatum ad Solem olet muſcum. Stercus illius ſiccatus & hauſtus, pondere unius dragmæ multum prodeſt melancholicis. Dicunt Barbari, ubi ova poſuerint nidum circumdare certis lapillis, qui tranſpirabiles faciunt: ſed veriſimilior eſt opinio, pullos excludere ſub terra, & eximere paſcendos, & rurſus terra operire.

TAMATIA Braſilienſibus; Avis Alaudæ magnitudine ſeu Pici. Tota punctulata, & variegata maculis ut Turdus minor, Germanis vulgo *Ein Troſtel:* in ventre albas habet pennas, maculis fuſcis: ſub gutture autem flaveſcit uti & circa collum.



Roſtrum habet longum rubrum, ſuperius paululum fuſcum; cujus ſuperior pars paulo longior quam inferior. Supra nares ſubtiles aliquot extant pennulæ inſtar pilorum.

In pedibus quatuor habet digitos unguibus aduncis. Caret cauda. Caput illius majus quam porportio corporis requirat, uti & roſtrum.

TAMATIA itidem Braſilienſibus dicta, avis aquatica, forſan gallina. Niſi roſtrum obtinet, magnitudine yaſſana aſu: dorſo incurvato incedens & collo incurvato. Caput habet magnum, oculos magnos nigros, prope exortum roſtri exiſtentes: Roſtrum duos digitos longum, plus uno latum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſtar anatis quidem, ſed anterius acuminatum: eſtque ſuperior ejus pars nigra, inferior flaveſcens. Crura ſuperiora pennis nuda, ſatis autem longa: digiti in pedibus quatuor, quorum tres anterius, unus poſterius verſus, more gallinarum, ſuntque longi ut in **Waterhoen**. Crura & digiti coloris ex vireſcenti flavi. Cauda breviſſima & non longior quam in Yaſſana. Caput nigris pennis veſtitum, reliquum corpus brunnis; in ventre autem albicantes pennæ intermiſcentur.



GVIRAIENOIA Braſilienſibus, Avicula magnitudine Fringillæ. Roſtellum habet vix ſemidigitum longum & nigricans, ocellos nigros. Totum caput, collum inferius, pectus, infimus venter & dorſi medietas extima pennis veſtiuntur cœruleis: collum ſuperius & dorſi medietas anterior nigris: alæ quoque nigræ, ſed quibus in initio illarum inſperſæ cœruleæ; reliquæ nigræ ſunt, ſed oras habent cœruleas. Cauda ſeſquidigitum fere longa & itidem nigra, deſinuntque alæ paulo poſt initium caudæ. Crura fuſca; in pedibus quatuor digiti vulgari modo.



GVIRARV NHEENGETA Braſilienſibus; merulæ aquaticæ magnitudine aut paulo major. Roſtrum habet rectum, compreſſum, nigrum, plus dimidio digito longum: oculos Sapphyrinos, pupilla nigra. Crura, quæ ſuperius veſtita ſunt pennis cinereis, inferius nigra cute teguntur, uti & pedes, in quibus more vulgari quatuor ſunt digiti, unguibus acutis nigris.



Totum caput, collum, pectus & infimus venter pennis veſtiuntur albis ad gryſeum dilutum accedentibus, dorſum autem leucopæis ſive cinereis. A roſtro in utroque latere per oculum uſque ad finem laterum capitis, macula oblonga tendit nigra. Alæ nigræ, non tamen obſcure. Cauda nigerrimas habet pennas, quarum tamen extremitates ſunt albæ, & ſuperius quoque aliquot albis teguntur.

CAP. XI.

Cocoi Ardeæ ſpecies: alia ſpecies. Guiratinga. Ardeola. Iacarini. Guiratirica. Guiranheemgatu.

COCOI Braſilienſibus, Ardeæ ſpecies eſt elegans: Ciconiæ ferme magnitudine. Roſtrum habet rectum, acutum, ſex circiter digitos longum, quod in exortu ex flavo vireſcit: Oculos cryſtallinos, circello aureo: circum oculos cutem cineream. Colli longitudo quindecim digitorum; corporis decem, caudæ quinque, cum qua alæ deſinunt. Crura ſuperiora mediam partem plumata, octo digitos longa, inferiora ſex & ſemis, cute tecta cinerea; digitos in pedibus quatuor, vulgari modo: quorum medius digitum longus, cæteri breviores omnes unguibus lunaribus, fuſcis. Guttur & totum collum ſunt alba, ſummitas capitis & latera nigri coloris cum cinereo mixti. Ejuſdem coloris criſtam elegantem gerit erectam; atque ab ea duæ elegantes plumæ deorſum poſterius dependent, coloris ex nigro ſubcinerei, quælibet quinque digitos & ſemis longa. Anterius collum ſecundum longitudinem maculatum eſt plumis è nigro & cinereo mixtis. In colli parte anteriori & inferiori, elegantes habet plumas longas, albas, ſubtiles propendentes, quas in pileis geſtare ſolemus. Totum dorſum, alæ & cauda cinerei ſunt coloris diluti cum pauxillo albo mixti; ſuperior medietas crurum ſuperio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

rum albis veſtitur pennis. Per dorſi autem longitudinem cinereæ plumæ extenduntur ſubtiles, elegantes, figura ſimiles illis in collo.

Caro illius bona eſt, & ſæpius comedi.



Reperitur hic & alia ARDEÆ ſpecies, Anatis domeſticæ magnitudine aut paulo major. Roſtrum habet rectum, acutum, medietate anteriore, tam ſuperius quam inferius, dupliciter ſerratum, quatuor & ſemis digitos longum. Caput & collum habet Ardeæ; oculos nigros, circulo aureo; collum pedem longum, corpus quinque digitos & ſemis, caudam quatuor cum qua deſinunt alæ. Crura tota novem & ſemis digitos longa, ſuperiora mediam partem pennis veſtita: quatuor digiti in pedibus vulgari modo. Roſtrum ſuperius eſt fuſcum, prope exortum autem vireſcit è flavo. Totum caput & collum ſuperius pennas habent longiuſculas, pallide flavas, nigro undatas; ſub gutture albicat: Collum inferius, pectus & infimus venter plumas habent albas fuſco undatas, quod in ambitu flavo eſt fimbriatum. Totum dorſum & alæ teguntur pennis fuſcis flavo undatis, & remiges alarum pennæ ſunt è nigro & cinereo, æquali parte, mixtæ, extremitatibus albis. Cauda conſtat ejuſmodi pennis qualibus extremitas alarum, ſed tranſverſim albo lineatis. Crura & pedes ſunt obſcure gryſei coloris, ungues fuſci. Caro comeditur, ſapit ut aliarum Ardearum.

GVIRATINGA Braſilienſibus, *Garza* Luſitanis, Ardeæ ſpecies, Alberdeolæ magnitudine & corporis figura. Erecte incedit, collo longo, roſtro extenſo, recto, acuto, flavo, quatuor digitos longo, cujus pars ſuperior nigra, inferior alba. Crura alta, ut Ardeæ, ſex circiter digitos longa, pedum digiti ad vulgarem modum: crura exterius (ut & digiti) ſunt flava, interius ex viridi & fuſco mixta. Per totum corpus albiſſimis veſtitur pennis: In collo elegantiſſimis plumulis albis, quæ ſubtiliores ſunt plumis Sthrutionum.

Aquatica eſt avis. Crura ſuperiora ſine pennis.

ARDEOLA columbæ magnitudine vix par: collum habet longiſſimum: Roſtrum rectum, acutum, ſuperius fuſcum, inferius ex albo flaveſcens, duos & S. digitos longum, linguam brevem, acutam. Oculos mediocres, circello aureo, pupilla nigra: Caput parvum, collum tenue, at ſeptem digitos longum, cum corporis longitudo vix ſit quatuor. Crura longa, quodlibet quinque digitos; ſuperior medietas mediam partem nuda: in pedibus digitos quatuor communi modo diſpoſitos, unguibus lunatis acutis. Color talis eſt: prope oculos ubi roſtrum inſeritur cutis melini coloris eſt: Caput ſuperius veſtitur pennis chalybei coloris pallide fuſcis inſperſis: totum collum cum pectore & infimo ventre plumas habet albas leucopæis mixtas & pallidis, ut variegatus appareat: dorſum nigrum eſt, ex parte chalybeo-fuſcum cum cerei coloris pennis mixtum. Alarum pennæ longæ virentes, in extremitate maculam habent albam, reliqua ſuperficie ex fuſco, chalybeo, cereo & leucopæo eleganter variegata. Cauda duos digitos longa, quam tegunt alarum extremitates, quæ cum illa deſinunt. Crura ſuperius leucopæo & cereo mixta. Nuda pars & pedes cute melina tecta ſunt. Vngues leucopæi. Erecta incedit avis & decenter.



IACARINI Braſilienſibus, Avis Carduelis magnitudine. Roſtellum habet craſſum, cinereum. Crura & pedes cinereos, cum quatuor digitis more vulgari. Totum corpus nigris veſtitur pennis, ſed in quibus reſplendet color inſtar chalybis politi. Alæ interius albicant. Oculi cœrulei & pone illos amplum foramen loco aurium.

GVIRA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GVIRATIRICA Braſilienſibus, avis Alaudæ magnitudine. Roſtrum habet craſſum, rectum, ſuperius fuſcum, inferius album & paululum incarnatum. Crura cinerea cum quatuor digitis more vulgari. Totum caput cum gutture & colli inferiore & media parte egregie ſanguinei ſunt coloris: oculi cœruleſcunt; aurium foramina ampla. Latera colli, totum pectus & infimus venter albis veſtiuntur pennis. Collum ſuperius habet nigricantes, quibus paucæ albæ mixtæ. Dorſum gryſeum eſt (inſperſis nigris paucis) ut & initia alarum; reliquum alarum nigrum, ut & cauda, quæ tres circiter digitos longa: oræ laterales in alis ſunt albæ.


GVIRANHEEMGATV Tupinambis; Avis paſſeris magnitudine. Caput ſuperius luteum, & guttur: collum, pectus, & infimus venter flavi coloris: alæ ex vireſcenti & flavo mixtæ ac fuſco diſtinctæ, uti & cauda, ocelli & roſtrum ſunt nigra. Crura fuſca; hic mas egregie canens ut Frigilla, vulgo **Vincke**.

Fœmina ejuſdem magnitudinis plumis paſſerinis veſtitur, nec ita canit ſed clamat *'tſchrip, 'tſchrip*, ut paſſer.

CAP. XII.

Curucui. Caracara. Tijeguacu. Teitei. Guiraguacu beraba. Guiracoereba. Guiraperea. Iapacani. Cabure. Andira aca.

CURUCUI Braſilienſibus; Elegantiſſima avis, fere magnitudine Picæ. Roſtrum habet breve, latiuſculum, coloris ſulfurei. Os amplum, & quando aperit triangulatum. Oculos pulchros cœruleos circulo aureo; & ſub quolibet oculo maculam cutaceam albam ut gallinæ: in palpebris ſuperius & inferius pilos nigros duriuſculos: Collum haud longum: Crura brevia & ad pedes fere plumata pennis nigris. Caudam habet quinque & ſemis digitos longam, latiuſculam. Sub roſtro inferiori in medio & ad utrumque latus quaſi barbam ſetis compoſitam nigris, ſed in quibus tranſplendet cæruleus ut in Anatum collo: ſub gutture autem plumæ tantum nigræ. Totum pectus & infimus venter egregie miniati ſunt coloris; totum dorſu & cauda ſuperius ex cœruleo & igneo ſplendide vireſcunt. Extremitas caudæ oram habet nigram: inferius autem cauda pennas habet albas, nigro tranſverſim eleganter ſtriatas. Initium alarum etiam inſigni illa viriditate ſplendet, media pars caneſcit, nimirum plumis nigricantibus, minutiſſimis punctulis canis conſparſis, ut anates mares eſſe ſolent. Vltima pars, ſcilicet longæ alarum pennæ ex fuſco nigreſcunt. Crura, uti dixi, fere tota veſtita nigris pennis, cætera cum pedibus fuſca ſunt è cinereo. Digitos habet diſpoſitos ut Pſittacus. Pennæ ſubter alas ſunt canæ.





CARACARA Braſilienſibus, *Gaviaon* Luſitanis, Niſi ſpecies, Avis magnitudine Milvii: caudam habet longam novem digitos; alarum longitudo quatuordecim digitorum, quæ tamen nondum ad finem caudæ pertingunt. Color pennarum totus eſt ravi coloris cum albis & flavis punctulis: cauda albo & fuſco eſt variegata. Caput accipitrinum, roſtro adunco, mediocriter magno, nigro. Crura habet lutea, pedibus accipitrinis, unguibus ſemilunaribus nigris acutiſſimis & longis. Avis gallinis valde infeſta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


Habui aliam ejuſdem magnitudinis, & colore pennarum ut præcedens, ſed pectus & venter erant alba. Oculi aurei, & cutis circum eos flava. Crura lutea.



TIIEGUACU Braſilienſibus, Avicula paſſeris magnitudine, aut paulo major. Roſtellum habet breve, triangulare, latiuſculum, nigrum: ocellos ſapphyrinos: Crura & pedes cerei coloris, unguiculis fuſcis, digiti diſpoſiti more vulgari. Tota avicula veſtitur pennis coracinis: at in ſummitate capitis maculam habet clypeiformem ſplendentis ſanguinei coloris. Totum dorſum autem fere & utramque alam ſuperius ad partem obtendit macula nigro-cærulea. Cauda brevis & nigra.

TEITEI Braſilienſibus; quam etiam vocant *Guiranhemgeta* & *Guraundi*. Avicula rubeculæ magnitudine. Aviario includitur pro canora ave, ſed pipit tantum ut Rubrica, Germanis *Gimpel*. Veſcitur paco & mamao. Roſtrum habet breve, craſſiuſculum, nigrum. Caput, collum ſuperius, alæ & totum dorſum & cauda nigris veſtiuntur pennis, quibus aliquid cœrulei admixtum, ita ut ſplendeant inſtar chalybis politi. Guttur, collum inferius, pectus, totus infimus venter & crura ſuperiora ſunt lutea: ad exortum roſtri ſuperioris poſt nares maculam habet è pennis luteis. Crura & pedes fuſci ſunt coloris; & hic eſt mas.

Fœmina proportione & magnitudine plane reſpondet mari, eodem roſtro & iiſdem cruribus; ſed color plurimum differt; eſt enim viridis ut Acanthis. German. *Zyſchen*. Alæ ac caput cum collo ſuperius paulum fuſceſcunt & cœruleſcunt mixtim. Delectantur hæ aviculæ quinque aut ſex conjunctim Aviario includi.



GUIRAGUACUBERABA Braſilienſibus: Avis carduelis magnitudine. Collum inferius, dorſum & ventris extremitas lutei ſeu aurei eſt coloris; caput ſuperius & collum, dorſi medietas anterior, alæ & cauda dilute viridis. In alarum extremo fuſcæ pennæ mixtæ ſunt. Sub gutture ad oculos uſque maculam habet magnam, nigram. Roſtellum habet rectum, acutum, flavum, ſuperna parte paulum nigricans. Crura & pedes fuſci coloris.

GUIRACOEREBA Braſilienſibus, Avis Fringillæ magnitudine. Roſtellum habet nigrum, tres quartas partes digiti longum, acutum & paululum deorſum flexum: oculos nigros, linguam multipliciter fiſſam: in capite ſuperius mitellam thalaſſinis pennis; reliquum caput, guttur & totum collum inferius, pectus & totus infimus venter, cum dorſi medietate poſteriori cœruleis veſtiuntur pennis, lacteſcentibus, & à pectore per initia alarum ad dorſum, ubi incipit cœruleus color, linea lata cœrulea tranſit tranſverſim per exortum alarum: totum autem collum ſuperius cum medietate dorſi anteriore profunde nigris ſubtilibus holoſericis veſtitur plumis. Cauda ſeſquidigitum longa eſt & nigra. Alæ magnæ, quæ ad medietates laterales flaveſcunt. Flavedo autem illa tegitur nec videri poteſt quando avis conſidet, quando vero volat alæ ex nigro & flavo eleganter ſtriatæ videntur; interius alæ ferme totaliter flavæ ſunt. Crura ſuperiora pennis nigricant, & cœrulea quodammodo ſunt, inferiora nuda & cinnabrii coloris una cum pedibus, unguiculi in pedibus nigri. Habent autem pedes digitos quatuor vulgari modo diſpoſitos.

GUIRAPEREA Braſilienſibus; Avis Alaudæ magnitudine. Roſtrum habet breve, craſſiuſculum, nigricans. Caput ſuperius & collum, totum dorſum & infimus venter, pennas habent obſcure flavi coloris, ut cera citrina: caput inferius, guttur & collum inferius cum pectore nigras; quales & paucæ in ventre flavis ſunt intermixtæ. Cauda duos digitos longa & præterit alas: Conſtat autem cauda & alæ pennis fuſcis & nigricantibus, quarum quælibet cum laterali extremitate thalaſſina, ita ut fuſcæ alæ thalaſſino videantur ſtriatæ. Cauda itidem. Crura ſuperiora etiam cerei coloris; inferiora cum pedibus obſcure cinerei; digiti quatuor modo vulgari, unguibus nigricantibus.

JAPACANI Braſilienſibus, Avis magnitudine *Bemtere* aut *Schanepue*. Roſtrum habet nigrum, oblongum, acuminatum & paulum deorſum incurvatum; oculos aureos, pupilla nigra. Caput veſtitur pennis nigricantibus, collum ſuperius, dorſum, alæ ex umbra & nigro mixtis. Cauda ſuperius nigricans, inferius albo maculata eſt: Pectus & totus infimus venter ac crura ſuperiora ex albo & flavo mixta, ac lineis ſeu ſtriis tranſverſis nigricantibus intertexta. Crura fuſca. Digiti in pedibus quatuor vulgari modo, unguibus acutis & nigris.

CABURE Braſilienſibus; Noctuæ ſpecies: avis magnitudine Turdelæ. Caput habet rotundum,

dum, roſtrum breve, aduncum, flaveſcens, duo foramina narium; oculos pulchros, magnos, rotundos, flavos, pupilla nigra: ſub oculis & ad latera roſtri multos habet pilos, longiuſculos, fuſcos. Crura brevia, totaliter pennis veſtita, flava, uti & pedes: in iis autem quatuor digitos more vulgari, unguibus ſemilunaribus, acutis, nigris: caudam latam, prope cujus exortum alæ deſinunt. In toto capite, dorſo, alis, cauda, coloris eſt umbræ dilute: ac in capite & collo minimis, in alis majoribus maculis albis variegatur. Cauda vero albo eſt undata. Pectus & infimus venter albicant & maculis umbræ dilutæ variegantur. Facile manſueſcit. Collum ita circumagere poteſt, ut roſtri acies exacte dorſi medietatem oſtendat. Ludit cum hominibus inſtar ſimiæ & varios mimos facit adſpectu ſuo, & crepitus roſtello; præterea pennas ad latera capitis erigere poteſt ut cornicula ſeu auriculas repræſentent. Victitat carne cruda.


ANDIRA ACA Braſilienſibus, Veſpertilio cornutus. Multi hic reperiuntur in Palmis nuciferis degentes; paulo majores noſtratibus, præpingues, cinerei coloris, mollibus & longioribus pilis, auribus latis: in ſingulis pedibus habent quinque digitos, acutis unguibus armatos. Dentes candidi, & ſupra naſum corpuſculum, ejuſdem cum auribus longitudinis, ſatis grande ex materia qualis illius rictus, flexile ſeu mobile. Alarum longitudo æquat ſemipedem Rhynlandicum.

ANNOTATIO. Vide Car. Cluſium, Exoticor. lib. v. cap. I. Ejuſdem autem generis cum hoc noſtro ſunt de quibus ſcribit Oviedus, in inſula D. Joannis valde pingues reperiri, quibus aquæ ferventi immerſis & excoriatis incolæ veſcantur; nam paſſeribus non minus albos eſſe, nec minus, ut aſſerunt, boni ſaporis.

CAP. XIII.

Macucagua. Columbæ ſilveſtris ſpecies. Anas ſilveſtris. Urubitinga. Mareca utraque. Tiieguacu paroara. Tangara utraque.

MACVCAGVA Braſilienſibus: Gallinæ ſilveſtris ſpecies, magnitudine Gallinæ noſtratis vel etiam major. Roſtrum habet nigrum, plus ſeſquidigito longum, anterius paulo incurvum ut perdicis: in roſtri medietate duo narium foramina ampla; oculos nigros, poſt eos aliquanto ſpacio aures more Gallinarum: corpus craſſum, Alæ cum eo deſinunt, nullam enim habet caudam. Crura inferiora nuda, duos & ſemis digitos longa; in pedibus tres habet digitos antrorſũ verſos, craſſiuſculos, unguibus brevibus, obtuſis. Calcaneus rotundus ut in Struthione, & paulum ſupra illum breviuſculus digitus verſus interiora, ungue obtuſo. Totum caput & collum punctulatum eſt obſcure flavo & nigro, ſub gutture albicat. Pectus, venter & dorſum obſcure cinerei ſunt coloris. Alæ umbræ coloris per totum undatæ nigro, præter remiges pennas, quæ totaliter nigræ. Crura ſuperiora pennis veſtita uti



venter, inferiora cæruleſcunt cum pedibus, ungues gryſei. Carnoſa admodum eſt avis, & tantum carnis habet quantum duæ Gallinæ domeſticæ vix habeant; eſtque boni ſaporis. Sub cute craſſa & pingui cuticulam habet aliam qua caro tegitur. Victitat variis fructibus qui ex arboribus ſilveſtribus decidunt. In ventriculo illius inveni fabas ſilveſtres, ſemina Araticu. Humi currit, nam pedes inepti ad arbores ſcandendum. Ova ponit Gallinaceis paulo majora, coloris cæruleo-viridis.

COLVMBÆ Silveſtris ſpecies ex inſula S. Thomæ allata, noſtratum magnitudine & figura: ſed roſtro ſuperius adunco & coloris in medietate anteriori tota cærulei, cum albo & pauco flavo mixti, in poſteriore medietate tota ſanguinei: oculi nigri circulo cæruleo: pennis teguntur per totum viridibus ut Pſittacus: remiges alarum ex viridi fuſceſcunt; ut & extremitas caudæ: ſub ano flavas habet pennas. Crura & pedes eleganter crocei coloris, ungues autem fuſci.

ANAS Silveſtris, magnitudine anſeris, Roſtrum habet nigrum, crura fuſca uti & pedes. Tota nigra eſt, exceptis principiis alarum, quæ alba; nigredini tamen illi viridis color tranſplendet. Criſtam in capite gerit nigris plumis conſtantem, & maſſam carnoſam corrugatam, rubram ſupra roſtri ſuperioris exortum. Cutem quoque habet rubram circum oculos. Caro bo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

na & copioſa. Figuntur plerumque in altis arboribus conſidentes; nam poſt lotionem in aqua frigida altas ſubeunt arbores, captandi aëris & Solis cauſa.


VRUBITINGA Braſilienſibus; (ſed dubito adhuc de hoc nomine, nam nobilior eſt hæc avis quam Urubitinga) avis aquilæ ſimilis, anſeris ſemeſtris magnitudine. Roſtrum habet craſſum, aduncum, nigrum; & circa nares cutem flaveſcentem: oculos magnos, ſplendide aquilinos: Caput groſſum; crura & pedes luteos; in pedibus quatuor digitos vulgari modo diſpoſitos; unguibus lunatis, longis, nigris: Alas amplas: caudam latam. Tota veſtitur plumis fuſcis & nigricantibus; per alas autem undatim quaſi cinereus miſcetur. Cauda novem digitos longa, ad ſex alba, in extremitate ad tres nigricans, in extremitate tamen rurſus minimum eſt albi. Egregiæ ſtaturæ eſt avis.



MARECA itidem anatis ſilveſtris ſpecies, ſed parva. Roſtrum habet anatinum fuſcum, ad cujus exortum in utroque latere macula rubra. Caput ſuperius eſt leporini gryſei coloris, latera capitis ſub oculis tota alba; totum pectus & infimus venter ligni querni ſecti colorem obſcure æmulatur, variegati præterea punctulis nigris. Crura & pedes nigri. Cauda gryſea. Alæ elegantes, in exortu ex gryſeo ſubfuſceſcentis coloris, remiges autem ſunt in uno latere prioris coloris, tota autem medietas extrema dilute bruneſcentis, qualis in pedibus eſſe ſolet, in medio autem coloris viridis tranſplendentis, cum fimbria nigra, qualis in anatum collis. Caro valde bona.

MARECA alia ſpecies, ejuſdem cum antecedente magnitudinis & figuræ. Roſtrum habet nigrum ſplendens: ſummitas capitis, collum ſuperius, totum dorſum umbræ coloris cum fuſco mixti. Sub gutture albicat. Oculi nigri & ante quemlibet macula parva rotunda, plumis ex albo flaveſcentibus. Totum pectus & infimus venter obſcure gryſei coloris cum aureo mixti. Cauda nigra. Alarum pennæ fuſcæ quibus viride tranſplendet: & mediæ pennæ alarum eximia viriditate & cæruleo in fuſco tranſplendent, hic & undam nigram habent, extremitas autem remigum tota eſt alba. Crura & pedes inſigniter rubri ſeu miniati coloris. Aſſata avis pedibus apprehenſa manus & linteamina tingit colore miniato ſanguineo. Boni ſaporis habent carnem, ſed paulum amaricantem.

TIIEGUACUPAROARA Braſilienſibus; Avis Alaudæ magnitudine. Roſtrũ habet breve, craſſum, ſuperius fuſcum, inferius albicans. Caput ſuperius, latera ejus & guttur ac collum inferius habent pennas flavas, ſanguinei coloris pennis punctulatas (& hæc fœmina quidem, mas enim hæc tota habet ſanguinea.) Collum ſuperius & totum dorſum cinereas, umbra aliquatenus mixtas: Alæ fuſcas oris albeſcentibus præditas, ut & cauda; ſed alæ teguntur cinereis, dorſum maximam partem exceptis extremitatibus. Latera colli, pectus & totus venter & crura ſuperius albis teguntur pennis. Crura inferiora & pedes fuſci ſunt coloris; quatuor digiti more vulgari poſiti. Ocellos habet nigros.



TANGARA Braſilienſibus; (reperiuntur ejus aliquot ſpecies colore variantes.)

Prima elegans, magnitudine Fringillæ. Roſtrum habet rectum, craſſiuſculum, nigrum: oculos nigros: crura & pedes ex cinereo fuſcos: ſupra roſtri exortum ſuperne maculam è pennis nigris. Totum caput & collum ſplendentibus viridibus ſeu thalaſſinis pennis veſtiuntur. Initium dorſi inſtar collaris ambiunt nigerrimæ pennæ: dorſum autem ſub alis uſque ad exortum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

exortum caudæ veſtitur plumis luteis. Totus infimus venter egregie cæruleſcit. Alæ nigræ ſunt & earum extremitates laterales cœruleæ, ita ut totaliter cœruleæ appareant complicatæ & ſola extremitas nigra videatur. Initium alarum exterius etiam thalaſſinis pennis nitet, & cuique alæ ſuperius in dorſo ſeu in extremitate ſuperiori laterali flavæ pennæ ſunt mixtæ. Caudam habet latam, ſeſquidigitum circiter longam, nigram pennis, ſed quarum extremitates laterales cœruleæ ſunt: extremitas caudæ eſt nigra. Includitur caveæ & clamat *zip, zip*, ſeu ut Rubrica Germanis *Gympel*, Veſcitur farina & pane.



Secunda ſpecies: figura & magnitudine paſſeris noſtratis. Roſtellum habet ex flavo fuſcum, latiuſculum, in extremitate acutum, cujus inferior pars multo brevior ſuperiore: ocellos nigros. Totum caput, egregie miniatis tegitur pennis, totum reliquum corpus cum alis & cauda ſplendide nigris. Crura ſuperiora albis pennis & in latere exteriori maculam oblongam miniatam habent, quaſi ſanguine maculata. Crura inferiora & pedes cinerei ſunt; in pedibus digiti quatuor more vulgari. Cauda brevis digitum longa, & alæ prope illius exortum deſinunt.

CAP. XIV.

Anhima. Pitangua guacu. Atingacu camucu. Guira acangatara.

ANHIMA Braſilienſibus: Avis aquatica ex rapacium genere, major Cigno. Caput habet haud magnum, Gallinaceo ſimile & roſtro nigro: cujus ſuperior pars paulo longior inferiori & in extremitate deorſum incurvatum: oculos pulchros aureos, pupilla nigra & exterius nigro circulo. In capite prope exortũ roſtri cornu gerit erectum, extremitate ſua antrorſum verſus incurvatum, paulo plus quam duos digitos longum, craſſitiei chordæ majoris in viola majore, rotundum quaſi tornatum eſſet, coloris albicantis ſeu oſſei: circũ cornu plumellæ ſubtiles breves eriguntur albæ & nigræ. Collũ habet plus ſeptem digitis longum, reliquum corpus ad caudæ exortum fere ſeſquipedem: Alas ampliſſimas, utpote quarum plumarum longitudo ſeſquipedem ſuperet. In cujuſque alæ antica parte duo cornua recta triangulata ex ipſo oſſe alæ enata obtinet, craſſa minimi digiti apicem & conicæ triangulatæ figuræ. Eſt autem quodque anteriorum digitum longum, poſteriora paulo breviora coloris fuſci. Caudam habet decem digitos longam, inſtar anſerinæ latam. Crura ſuperiora quatuor digitos longa & quoad medietatem inferiorem pennis nuda: inferiora quinque digitos longa: fere duos craſſa. In quolibet pede quatuor digitos obtinet more Gallinarum diſpoſitos, quorum medius trium anteriorum quatuor & ſemis digitos longus, reliqui duo tres & ſemis: poſterior autem fere duos: quilibet unguem habet corniculatum nigrum, digitum longum & in poſterioribus digitis paulo longiorem. Cute fuſca & ſquamoſa teguntur & digiti & crura nuda. Capitis vertex plumulis variegatus eſt albis & nigris: ad latera, in gutture & colli medietate ſuperiori nigricat, inferior medietas colli & pectus variegantur albis, cinereis & nigris pennis. Venter inferior albas in totum habet pennas, ad latera ſub alis & in dorſo ſunt nigræ, ſed quibus albæ hinc inde permiſcentur. Cauda eſt nigra; alæ etiam nigræ exceptis oris extremis (prope oſſa) ubi ex albo flaveſcentibus pennis variegatæ ſunt. Terribilem clamorem edit *vyhu, vyhu*, vociferando. Numquam ſola invenitur,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tur, ſemper par mas & fœmina junctim incedunt & una mortua altera à ſepultura numquam diſcedit. Cornu quod in capite gerit remedium eſt contra venenum ſi in vino per noctem infundatur. Idem remedium eſt contra ſuffocationem uteri & in difficili partu. Hæc quam deſcripſi fœmina eſt: mas duplæ magnitudinis. Nidum ſuum facit è luto ad caudices arborum ſuper terram, figura furni.

PITANGVA GVACV Braſilienſibus, *Bemtere* Luſitanis, magnitudine æquat ſturnum. Roſtrum habet craſſum, latum, pyramidale, paulo plus digito longum, exterius acuminatum; caput compreſſum ac latiuſculum; collum breve quod ſedens contrahit: corpus fere duos & ſemis digitos longum: caudam latiuſculam, tres digitos longam, crura & pedes fuſcos; quatuor digitos more vulgari. Caput, collum ſuperius, totum dorſum, alæ & cauda coloris ſunt è fuſco nigricantis, pauxillo viridi admixto. Collum inferius, pectus & infimus venter habent flavas pennas: ſuperius autem juxta caput corollam (quaſi monachicam) albi coloris. Sub gutture ad exortum roſtri albicat. Clamat alta voce. Belgæ dicunt **Grietjen-buyr**.



Quædam harum avium in ſummitate capitis maculam habent flavam, quædam ex parte luteam; vocatur à Braſilienſibus Cuiriri, alias per omnia Pitanguaguacu ſimilis.

ATINGACVCAMVCV Braſilienſibus, Avis Turdelæ fere magnitudine. Caput habet ſatis groſſum, collum mediocriter longum; corpus tres digitos longum: Roſtrum paulutum aduncũ, coloris ex viridi & flavo mixti: oculos ſanguineos, pupilla nigra. Crura cinerea mediocris longitudinis, ſuperius pennis veſtita: in pedibus digitos quatuor, vulgari modo: caudam longiſſimam nimirũ novem digitos longam, decẽ circiter pennis conſtantem, quarum quædam inferiores ſunt breviores ſuperioribus. Totum caput, collum, dorſum, alæ & cauda pennas habent brunnas ſeu fuligineas, quæ in cauda paulo ſaturatiores ſunt reliquis; extremitas cujuſlibet pennæ caudæ ſemidigitum longa, alba eſt & inter album & ruffum nigro umbrata: guttur, pectus & infimus venter ac ſuperiora crura cinereis pennis veſtiuntur. In capite longiuſculas habet pennas, quas inſtar duorum cornuum poteſt ſurrigere. Elegans avis ob longitudinem caudæ.



GVIRAACANGATARA Braſilienſibus. Avis Picæ variæ magnitudine. Roſtrum habet digitum longum, cujus ſuperior pars paulum adunca, totum autem obſcure flaveſcit: oculos cryſtallinos, circulo fuſco: collum duos digitos longum, corpus tres. Cauda longiſſima, nimirum octo digitos, conſtans octo pennis rectis. Crura ſuperiora pennis veſtita & ſeſquidigitum longa, ut & inferiora: in pedibus digiti quatuor, more pſittacorum, & quidem verſus interiora ſunt duo breviores, verſus exteriora duo longiores in quolibet pede. Totum caput pennis veſtitur quæ in medio ſecundum longitudinem (proxime ſcapum) fuſcæ, in lateribus flaveſcentes, ut criſta. Collum & alæ è contrario pennas habent in medio flaveſcentes, & ad latera fuſcas; extremitas alarum fere plane fuſceſcit. Totus venter, dorſum (exceptis alis) crura ſuperiora & exortus alarum, ad trium & ſemis digitorum longitudinem pennis conſtant ex albo pallide flaveſcentibus, reliquum caudæ fuſceſcit, extremitas autem albas oras habet. Crura inferiora & pedes thalaſſini ſunt coloris. In capite longiores pennæ in criſtam eriguntur. Ingentem in ſilvis excitat clamorem.




CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XV.

Matuitui. Aracari. Tucana. Anhinga. Ipecati apoa. Pullus gallinaceus monſtroſus. Innominatæ tres.

MATUITUI Braſilienſibus, avis ſturni magnitudine. Brevi collo, pectore forti, cruribus brevibus, cauda duos & ſemis digitos longa. Roſtrum habet rectum, forte, cujus ſuperior pars paulum prominet acumine inclinato, cinnabrii coloris. Totum caput, collum ſuperius, dorſum, alæ & cauda conſtat pennis fuſcis pallide flavo maculatis; apparentibus partim punctulatis ut in Niſo. Sub gutture flavas habet pennas. Pectus & venter albis veſtiuntur, quæ fuſco ſunt punctulatæ. Crura obſcure cinereſcunt.



ARACARI Braſilienſibus: avis magnitudine picæ martiæ. Roſtrum habet quatuor digitos longum, ſeſqui latum ſeu altum, tres & ſemis craſſum, ubi craſſiſſimum, paulum deorſum incurvatum, inſtar gladii Turcici & in extremitate acutum inſtar pſittacini; eſtque ſuperior pars paulo longior inferiori. Roſtrum ſuperius & inferius plus mediam partem ab extremitate numerando ſerratum dentibus: ſuperior pars roſtri major inferiore; eſt autem roſtrum canum, leviſſimum, levius ſpongia, ſuperius album, linea in ſummitate craſſa nigra ſecundum longitudinem diſtinctum: inferior tota eſt nigra; totum inſeritur in caput triangulatim, & ubi inſertio eſt linea triangulatim alba circumſcriptum. Linguam habet quatuor digitos longam, leviſſimam, aſpectu plane pennam referentem, aut etiam plumata eſt & nigra (ſi pennam habere lingua dici poſſit.) Caput non ita magnum habet, latum, compreſſum: oculos magnos, pupilla nigra, circulo flavo, reliquas extremitates nigras. Collum haud longius pſittacino. Corpus à colli exortu ad caudam uſque quinque circiter digitos longum: Cauda inſtar picæ latiuſcula & ſex digitos vel paulo plus longa. Crura & pedes nigricantes ex viridi, Pſittacorum ſimiles, duos digitos habent anterius, quorum unus longior altero, duos retro, itidem inæqualis longitudinis; ungues incurvati, fuſci ſeu nigri. Crurum ſuperiorum longitudo duorum digitorum, inferiorum ſeſqui. Totum caput & collum uſque ad initium pectoris nigras habet plumas, & ubi deſinunt, circulariter finiuntur: Pectus vero & infimus venter totus eleganter flavis veſtiuntur pennis, cum pavonino mixtis: per pectus autem tranſverſim linea digitum lata ſanguinei coloris ducta eſt ab uno latere uſque ad alterum. Totum dorſum, alæ: cauda & crura ſuperiora veſtiuntur pennis ex nigro viridicantibus, uti in noſtratibus picis color eſſe ſolet: extremitas dorſi ante initium caudæ etiam ſanguinei coloris, plus uno imperiali in circumferentia. Alæ deſinunt ad exortum caudæ & interius è cinereo ſunt ſubfuſci coloris. Roſtrum interius eſt nigrum. Avis hæc quaſi ſuum nomen profert, clamando acuto ſono ſed non admodum clangoſo *Aracari*.



TUCANA ſive *Toucan* Braſilienſibus: avis picæ aut palumbi magnitudine. Ingluviem habet ſub pectore, tres aut quatuor digitos tranſverſos latam, crocei coloris & miniatis plumis circum oras diſtincta: pectus flavum, reliquum corpus nigrum. Roſtrum habet ingens & nonnumquam palmum longum, exterius flavum, interius læte rubens. Cicuratur ita ut ſub tecto pullos ſuos excludat. Mirum autem videri poſſit; quomodo tantilla avis tam grande roſtrum ferat, ſed leviſſimum eſt & valde tenerum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ANNOTATIO. Hanc avem deſcripſi ex Auctore Luſitano; Americæ deſcript. lib. xv. cap. 7. Vnde hæc Auctor noſter hauſit pene ad verbum; ſed prætermiſit pennarum colorem; eſt enim flavo pectore, reliquo corpore pene nigro: quanquam habui plures illius exuvias, in quibus egregie miniatæ plumulæ intermixtæ erant. Habeo & roſtrum avis itidem leviſſimum & magnæ molis, quod ſuperiori parte eminens cornu habet è ſuperiori parte roſtri enatum, & cavum, coloris incarnati, uti & roſtrum: non poſſum autem affirmare utrum è Braſilia an vero India Orientis ſit allatum: & noſtri qui in Braſilia vixerunt non meminerunt ſe ibidem vidiſſe: Tucana autem ibidem frequentiſſima eſt, præſertim verſus meridiem & Flumen de Ienetro.

ANHINGA Braſilienſibus Tupinamb. Mergi aquatici ſpecies elegans; corpus excepto collo, anatis domeſticæ Europeæ habet magnitudine: roſtrum rectum, haud craſſum, acutiſſimum, tres digitos longum, & per roſtri medietatem anteriorem tam ſuperius quam inferius duplicem ordinem acutiſſimorum hamulorum retro verſorum: caput parvum, longiuſculum, ſerpentini æmulum, paulo plus ſeſquidigito longum: Ocellos nigros, circulo aureo: collum tenue, teres, pedem longum, corpus autem tantum ſeptem digitos: crura brevia, ſuperiora duos digitos longa, pennata, inferiora vix ſeſquidigitum; quatuor digitos, tres anterius verſus, membranis junctos more anatum aut corvi aquatici, quartus digitus brevior ad latus inferius extenditur, itidem membrana reliquis connexus; unguibus lunatis omnes acutiſſimis: Caudam latam, decem digitos longam, duodecim pennis conſtantem; alæ circa medietatem caudæ deſinunt.



Roſtrum gryſeum eſt & poſt exortum paulum flaveſcit. Caput totum & collum plumulis ſubtiliſſimis tegitur ad tactum holoſericum referentibus; coloris in capite & collo ſuperius ex gryſeo ſubflaveſcentis: ſub gutture & in collo inferius gryſei coloris, ut pelles illæ (*verhfelle* vocant) ex quibus mitræ fiunt muliebres, & ad tactum & adſpectum illius pellis pilos refert. Totum pectus & infimus venter & crura ſuperiora plumis mollibus veſtiuntur coloris argentei: initium dorſi pennis fuſcis, ſed quarum quælibet in ſui medio maculam habet oblongam ex albo pallide flavam, ita ut punctulatim appareat: reliquum dorſi nigras habet pennas. Alas obtinet longas, quarum initium totum ejuſmodi brevibus pennis tegitur uti initium dorſi, ſequitur ordo mediam partem, id eſt, uno latere canarum, altero nigrarum: remiges autem nigræ ſunt. Cauda nigris ſplendentibus pennis conſtat, quarum extremitas gryſea. Crura & pedes ex obſcure flaveſcente gryſei ſunt coloris. Solertiſſima in capiendis piſcibus: nam more ſerpentum contracto prius collo ejaculatur roſtrum in piſces, ac unguibus eos prehendit. Carnem illius comedi, ſed haud multo melior eſt quam caro Lari.

IPECATI APOA Braſilienſibus: *Pata* Luſitanis, id eſt, Anſer, nobis Anas ſilveſtris, magnitudine anſeris octo vel novem menſium, figura plane ut noſtrates anates. Venter & interior pars caudæ, collum totum cum capite pennas habet albas, dorſum uſque ad collum, alæ & ſummitas capitis nigras, cui viriditas mixta ut in noſtrarum anatum collis. In collo & ventre albis pennis nigræ paſſim ſunt inſparſæ. In his differt à noſtratibus, quod ſit primo major: ſecundo roſtrum anatum quidem, ſed nigrum & in extremitate aduncum. Tertio ſuper roſtrum criſtam gerit carneam, craſſam, latam & rotundam fere, nigram, albis maculis inſignitam. Criſtæ altitudo eadem; inter criſtam & roſtrum (in ſummitate nimirum roſtri) foramen tranſverſum magnitudine piſi eſt, ab utroque latere conſpicuum, quod narium vice fungitur. Quarto pedum & crurum color non ruber ſed è cinereo fuſcus.



Carnem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Carnem multam & bonam habet, nam ſæpiſſime comedi. Reperitur paſſim ad fluvios.

Alium habui per omnia ſimilem priori, excepto quod longiores illæ pennæ in alis inſigni brunno ſplendebant colore. Puto marem hunc eſſe, alteram fœminam.

ANNOTATIO. Geſnerus pene ſimilem dedit iconem ſub nomine Anatis Indicæ cujus picturam ſe à Cardano accepiſſe memorat. Sed color pennarum nonnihil differt ab Auctoris noſtri deſcriptione.

PULLUS gallinaceus monſtroſus, magnitudine pulli recens excluſi. Caput habebat anaticum, ſuperius tamen magis in acumen deſinens; roſtrum anaticum latum, cujus ſuperior extremitas deorſum inflexa: ocellos parvos, collum breve: alas parvulas juxta priora crura poſitas: quatuor crura gallinacea: carebat pectore, quippe eo loco quo pectus eſſe debebat duo crura habens, quodlibet ſuperius tres quadrantes digiti longum, inferius quadrantem; & in ſingulis quatuor digitos gallinaceos. Poſteriora duo crura ejuſdem figuræ & longitudinis cum anterioribus mire poſita erant, ſiniſtrum quidem more naturali, dextrum vero in exortu ſuo ſiniſtro erat adnatum & quaſi ſurſum vergebat, eo modo quaſi duo ſiniſtra crura fuiſſent, & unum dextrum loco ſiniſtri in exortu fuiſſet adglutinatum: atque ideo urypigio carebat, quia nullum intervallum inter crura hæc poſteriora, & caudæ loco ipſi ſiniſtro cruri exterius longiuſculi pili caneſcentes erant adnati. Pedes habebat gallinaceos & digitos eodem modo



diſpoſitos: ſed quilibet pes totus inverſo ordine poſitus erat, ita ut inferior pars eſſet ſuperior & ſuperior inferior, unguiculique etiam ſurſum non deorſum vergebant. Totum caput, collum, venter, alæ, dorſum & ſuperiora crura non veſtiebantur pennis, ſed pilis nigris ſemidigitum longis, qui ſub ventre & gutture paululum caneſcebant. In ſumma plane monſtroſus pullus. Crura inferiora & pedes fuſci coloris, uti & roſtrum, vitalia viſcera habebat gallinanacea, ſed inordinate diſpoſita. Cor magnum. Vivebat cum excluderetur.

Avis *(cui Auctor nomen non adſcripſit)* magnitudine Alaudæ, figura Matuituy. Roſtellum habet rectum, nigrum; oculos nigros; crura communia fuſca: caudam latiuſculam, & alis longiorem. Totum caput ſuperius, collum ſuperius, dorſum, alæ & cauda, rufeſcentis ſunt coloris, ex rubro, umbra & albo mixti. Guttur, collum inferius & infimus venter albi ſunt coloris. Per oculum utrumque à roſtro tranſverſim maculam habet oblongam fuſcam. Clamat *Gip*, *Gip*, ut junior gallo-pavus fere.

Avis *(cujus nomen Auctor non prodit)* magnitudine Patæ, & ejuſdem figuræ. Roſtro nigro, craſſiuſculo; capite nigro, pectore & ventre cano; dorſo, alis & cauda fuſceſcentibus: cruribus fuſcis: Clamat *Zip*, *Zip*, ut paſſer.

Avis *(quam Auctor non nominat, ſed tantum admonet eſſe ſpeciem Curucui, de qua cap. 12.)* magnitudine Picæ fere. Roſtrum habet breve, craſſiuſculum, paulum deorſum incurvatum, gryſeum ſeu cinereum: oculos nigros, circulo croceo; caput, collum, dorſum ſuperius & cauda ſuperius coloris nigri cum viridi cæruleo perſplendente, ut in chalybe polito: Alæ fuſcæ; totum pectus & infimus venter egregii coloris miniati: cauda inferius albas habet pennas, tranſverſim nigro ordine undatas. Crura brevia, fuſca ſunt; digitis quatuor more Pſittacorum diſpoſitis.

Supra deſcripſit Auctor Manucodiatam quam Regem appellat, dedit & alterius deſcriptionem, quam ibi inconſulto omiſſam hic ſubjiciendam putavi, Iconem tamen omitto quia paſſim obvia eſt apud Auctores qui de avibus ſcripſerunt & imprimis Aldrovandum qui diligentiſſime de illa commentatus eſt.

MANUCODIATA ſeu avis Paradiſi, magnitudine hirundinem fere ſuperabat. Caput habet parvum, ſuperius paulum compreſſum, duas trientes digiti longum, in craſſitie ſeu ambitu vix duos digitos continens: oculos plane exiguos grani milii ſeu Sinapis magnitudine: Roſtrum ſatis robuſtum, ſupra digitum longum, rectum (nonnihil tamen ſuperius verſus exortum exaltatur) acutum, coloris ex cæruleo & viridi mixti, cum macula oblonga, alba verſus acumen in parte roſtri ſuperioris: & nares patentes. Collum paulo plus duabus tertiis digiti longum, æqualis cum capite craſſitudinis, rectum eſt. Corporis à fine colli uſque ad exortum caudæ longitudo vix quatuor digitorum, craſſities fere trium: nam multis pennis tegitur, quas hic ſeparo. Alarum longitudo quinque digitorum. Superius in capite ad exortum roſtri brevi-

bus pennulis nigerrimis ſericeum ſtamen ſeu holoſericum plane referentibus eſt ornatum; eodem etiam modo prope exortum roſtri inferioris, ſed latius quam ſuperna parte. In toto gutture & collo inferius & ad genas uſque ad oculos itidem holoſericis pennulis ad tactum paulo durioribus, quam ſunt illæ nigerrimæ veſtitur, elegantiſſimi ex viridi aurei coloris, ut in pavonum & anatum collo eſſe ſolent. Per totum autem caput ſuperius uſque ad elegantem illum ſericeum amictum, itidem ſerico ſed duriſſimo ad tactum amicitur obſcure lutei coloris. Totum collum cingunt plumæ haud longæ, villoſum ſericum referentes, aurei coloris ſplendentis è luteo. Totum dorſum tegunt plumæ ex flavo aureæ ſplendentes, ad tactum capillos referentes, multipliciter ſibi invicem incumbentes, quæ inferius dilute ex albo brunni ſunt coloris. Alarum autem pennarum quævis longior eſt alia. Cauda paucis conſtans plumis ejuſmodi brunnis paulum ultra alarum fines protenditur, eſtque ſupra tres & ſemis digitos longa. In ipſo autem exortu alarum & quidem extra alas, in quovis latere multæ plumæ elegantiſſimæ oriuntur, pennulis albis ſuſtentatæ; harum quædam ſex digitos, quædam pedem, longiſſimæ autem & mediæ ſeſquipedem ſunt longæ, albæ. Sunt autem omnes hæ plumæ elegantiſſimæ & ſubtiliſſimæ & ſubtilis ſtructuræ. Plumarum numerus ex utroque latere prodeuntium, in quolibet latere circiter ad quinquaginta accedit, inter quas ſunt quadraginta, ſingulæ ſeſquipedem longæ. Carebat carnibus, ideo de illis nihil. Errat Cluſius & alii qui longas illas plumas pro cauda reputant, non enim ſunt caudæ plumæ.

ANNOTATIO. Vide Car. Cluſium in Auctario ad Exotica. Vbi merito reprehendit alios qui apodes crediderunt; nam & ipſe duas habeo diverſæ ſpeciei, & plurimas alias vidi, quæ omnes pedes habebant & quidem pro mole corporis ſatis grandes & robuſta admodum crura.

Reperitur hic & alia ARDEÆ ſpecies; tota alba, roſtro croceo, recto, acuto: oculis nigris, circulo aureo; cruribus & pedibus nigris. Roſtrum habet quinque digitos longum, collum longiſſimum, nimirum quinque digitos ſupra pedem: corpus ſeptem digitos longum, caudam quinque, cum qua alæ deſinunt. Crura ſuperiora octo digitos longa & ex parte pennis veſtita, inferiora ſex digitos. Digiti pedum communi modo ſe habent, quorum medius anteriorum quatuor digitos longus, reliqui breviores, omnes unguibus lunatis præditi nigris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GEORGI MARCGRAVI

HISTORIÆ RERVM NATVRALIVM

LIBER SEXTVS,

Qui agit de Quadrupedibus, & Serpentibus.

CAPVT PRIMVM.

Ai ſive Ignavus.

AI Braſilienſibus, Luſitanis *Priguiza*, Noſtratibus **Lupaert**/ id eſt, Ignavus: animal magnitudine mediocris Vulpis noſtratis: longitudo corporis à collo ad caudam eſt unius pedis aut paulo plus, craſſitudo æqualis: collum habet breve, duos aut tres ad ſummum digitos longum: anteriora crura ſeptem digitos longa ad pedes uſque; poſteriora ſex: pedes anteriores duos aut duos & ſemis, poſteriores totidem fere, à flexura crurum ad ungues uſque, quorum in ſingulis pedibus habet tres, in anterioribus duos & ſemis digitos longos, in poſterioribus duos: quorum medius paulo longior cæteris; (in quibuſdam ſunt etiam æquales;) ex albo flaveſcentes; & deorſum incurvati; ſuperius quidem arcuati, inferius excavati ſeu carinati. Caput habet parvum, tres circiter digitos longũ & ſubrotundum: os turbinatum, non amplum: dentes haud magnos, inſtar agni, nec acutos: naſum glabrum, elatum, nigrũ: oculos parvos, nigros, ſomniculoſos; os abundat ſemper ſaliva: auriculis caret: cauda ſeſquidigitum eſt longa, & obtuſa, figura panis ſacchari. Totum corpus prolixis & duos digitos pene longis pilis eſt veſtitum cinerei coloris, Taxi ſimilibus, ſed mollioribus & cum albedine mixtis. In dorſo pili magis albeſcunt, & per medium dorſi tendit linea fuſca. A capite per colli longitudinem pili jubæ modo ad latera explicantur, paulo longiores quam in reliquo corpore. Animal eſt ignaviſſimum & ad inceſſum plane ineptum: in arboribus lentiſſime rependo progreditur, ibi habitat, foliis arborum veſcens: numquam bibit; vocem rariſſime edit *iiiii*, fere ut felis junior: arctiſſime, quæcunque unguibus apprehendit, tenere poteſt. Quando ſcandit caput elevatum lentiſſime movendo geſtat. Pluviam etiam levem admodum metuit. Secui fœmellam vivam, habentem in ſe fœtum omnibus modis perfectum: & obſervavi hæc: Cor motum ſuum validiſſime retinebat poſtquam exemtum erat è corpore per ſemihorium: placenta uterina conſtabat multis particulis carneis inſtar ſubſtantiæ renum, rubicundis, magnitudinis variæ inſtar fabarum; in illas autem particulas carneas (quæ per tenues membranulas connexæ erant) per multos ramulos vaſa umbilicalia inſerta



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

erant; Fætus amnioni includebatur, more aliorum animalium, habebat pilos, dentes, ungues, imo totus erat perfectus. Vaſa umbelicalia inſtar funis erant contorta, ut in reliquis animantibus. Cor fœmellæ duas inſignes habebat auriculas, cavas. In ventriculo os ſuperius duos digitos tranſverſos à pyloro ſeu inferiore ore: eratque in altera parte ventriculi ubi alias communiter ſuperius os eſſe ſolet proceſſus inſtar inteſtini ſpithamæ longitudine, ſed nullum exitum habens. In ventriculo plane viridis materia foliorum arboris comeſtorum inveniebatur. Papillas duas in pectore habebat, eodem modo & fœtus; mammæ igitur ibi. Corium illius ſolidiſſimum & tenax. Animal ſine dubio vivax. Inteſtinis omnibus exemtis adhuc ſe movebat & pedes contrahebat ut vivum ſolet, quando pendens ad ſomnum ſe componit. A junctura pedis cum tibia tres nervi ſolidiſſimi, ad quemlibet unguem unus intenſus tendit, quibus ungues incurvare & validiſſime ſe ſuſtentare poteſt.

ANNOTATIO. Vidi hoc animal vivum è Braſilia allatum, figura cum Icone ſatis bene conveniebat: præterquam quod collum non erat ita longum quam dedi in deſcript. Americæ pag. 618. ſub nomine *Vnau*. Quemadmodum & ſub nomine *Hay*. lib. xv. cap. v. ſed monendum duco, poſteriorem figuram à Theveto acceptam minime quadrare; quanquam eandem Geſnerus expreſſerit: ſiquidem non eſt ventre tam pendulo, & unguibus magis incurvis, & caudam habet breviorem. De ſumma tarditate ſatis convenit, quam in vivo cum admiratione obſervavi: brevi autem interiit, antequam plura poſſem obſervare. Male autem Geſnerus ipſi Arctopitheci nomen indidit, nihil enim commune habet cum Simiis.

CAP. II.

Carigueya. Tajibi.

CARIGUEYA Braſilienſibus, aliquibus IUPATIIMA, Petiguaribus Taibi (Lerio *Sarigoy*. Ximeni in N. Hiſpania *Tlaquatzin*) animal eſt catuli ſeu mediocris felis magnitudine:



caput vulpinum habet, ore acuminato, eſtque inferior pars oris paulo brevior ſuperiore: linguam longam, quam tamen os aperiens & morſum minitans non exſerit, quamvis poſſet, ſed verſus poſteriora attollit: dentes inſtar felis ſeu vulpis, anterius nimirum tam ſuperius quam inferius parvulos, hinc quatuor longos caninos, ſuperiores quidem longiores, inferiores breviores, hinc iterum ſex alios & dein molares: nimirum ſedecim molares, duodecim intermedios, quatuor caninos, & inciſores parvulos in inferiori mandibula octo, in ſuperiori decem, nam duos majuſculos in medio habet more leporis. Nares habet patentes; oculos pulchros, rotundos, nigros: aures pro mole corporis amplas, longas, latas, vulpinas, quas erectas gerit, ſed conſtant tenui membrana glabra, tranſlucente, albitudine tranſlucente, cui fuſci aliquid admixtum. Barbam habet felinam pilis nigris, ſub mento autem ſunt breves, in ſuperiore parte oris longiores, ſupra oculos aliqui & itidem in utraque gena. Caput tres digitos aut paulo plus longum; aurium quælibet duos digitos longa, ſeſqui fere lata. Collum breve nec ſupra digitum longum: reliquum corpus ſeptem digitos uſque ad caudæ exortum: cauda pedem longa quam curvatam geſtat, nam ea ſe arborum ramis more ſimiæ adpendet. Pectus latiuſculum. Crura duo anteriora breviora, nimirum quodlibet tres digitos longum, poſteriora paulo plus quatuor. Pedes anteriores quinque digitis inſtar manus conſtant, unguibus albis inſtar avium curvis: poſteriores longiores, uti in cercopithecis eſſe ſolent, item quinque digitis ut manus. Pilis veſtitur longis, ſed qui in capite, collo, infimo ventre & cruribus breviores: pili autem capitis, colli inferius cum fine ventris & caudæ inferius prope exortum ſunt flavi: ſecundum longitudinem autem capitis per oculos & medium capitis tendit ampla nigra ſtria; collo ſuperius etiam nigri pili admiſcentur. Per totum autem dorſum, latera, & caudam ſuperius prope exortum maximam partem nigra eſt, ſed leucopæis pilis admixtis. Cauda ab exortu ſuo tantum ad quatuor digitos piloſa eſt, reliqua parte nuda, ubi cute veſtitur ad quatuor digitos nigra, quatuor digitos ultra albicante, fuſco colore intermixto. Cauda

rotunda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

rotunda eſt, & ſenſim attenuatur. Mirum autem animal: nam in infimo ventre prope crura poſteriora pellis ejus dupla eſt & exterior rima ſciſſa duos & ſemis digitos longa, facitque quaſi burſam, quam Braſiliani vocant *Tambejo*, pomi aurantii majoris capacem: eſt autem burſa hæc intus piloſa & continet mammas in interiore pelle ad ventrem, octo papillis: burſæ autem os arcte clauditur ut non appareat, niſi duobus digitis ab invicem diſtendatur.

Hæc burſa ipſe uterus eſt animalis, nam alium non habet, uti ex ſectione illius comperi: in hac ſemen concipitur & catuli formantur: & hæc ipſa quam deſcribo, beſtia ſex catulos vivos & omnibus membris abſolutos, ſed ſine pilis in hac burſa habebat, qui etiam hinc inde in ea movebantur; quilibet catulus duos digitos erat longus: in ea tamdiu retinentur donec ipſi ſibi victum quærere poſſunt: interea tamen interdum progrediuntur foras & iterum ingrediuntur. Teſtes ſub ano habebat animal interius jacentes. Pellis ejus facile detrahi poteſt ut vulpina aut leporina, modo in ventre incidatur: fœtet animal inſtar vulpis aut Martis: mordax eſt; veſcitur libenter gallinis, quas rapit ut vulpes, & arbores ſcandendo avibus inſidiatur: veſcitur quoque ſacchari cannis; quibus ſuſtentavi per quatuor ſeptimanas in cubiculo meo; tandem funi cui alligatum erat ſe implicans ex compreſſione obiit: mortuum ſecavi & pellem tomento repletam ſervavi. Mas fœminæ per omnia ſimilis, bene teſticulatus, in burſa pendulas teſtes more Gati gerens.

Annotatio. Dedi hujus animalis deſcriptionem è Fr. Ximene, in deſcript. Americæ lib. v. cap. iv. è qua huc tantum acceſſo: Cauda hujus animalis eſt ſingulare & mirabile remedium contra nephritidem, nam ſi comminuatur & ex aqua haurienda detur quantitate unius dragmæ, aliquot vicibus jejunis, mirifice mundat ureteres: expellitque calculos, aliaquæ illos oppilant: excitat venerem, & generat lac; medetur colicis doloribus; prodeſt parientibus & accelerat partum; promovet menſes: & ſi maſticatam imponas partibus quibus ſpinæ infixæ extrahit illas; ſolvit alvum: & credo in tota Nova Hiſpania non reperiri aliud remedium ad tam multa utile; vivit in locis calidioribus & victitat carnibus & fructibus, herbis & pane; adeoque à multis animi gratia domi nutritur.

Tai-ibi Braſilienſibus, Luſitanis *Cachorro do mato*, Belgis **een Boſchratte:** animal corpore tereti & oblongo. Totius corporis cum collo longitudo ab occipitio ad caudæ initium quatuordecim digitorum, craſſities decem. Caput habet vulpino æmulum, ore acuto, barba felina: oculos conſpicuos & prominentes, nigros: aures ſubrotundas, molles, graciles, albas, teneras ut charta mollis. Crura, pedes & digitos cum unguibus habet ut fœmella jam deſcripta, uti & caudam. Totum corpus veſtitum eſt pilis albis ſplendentibus, qui in extremitatibus nigricant, & magis quidem in dorſo, maxime tamen in cruribus: circa anum & initium caudæ pene nigricant. Os & aures albicant. Cauda in exortu ad quinque digitorum longitudinem pilis veſtitur albis in extremitate nigricantibus, reliqua pars major ad finem uſque cincta eſt corio tenui ſquamoſo albicante inſtar exuviarum ſerpentis. Fætet graviter, caro tamen illius comeditur. Victitat libenter gallinis, ut vulpes. Pili inſerti ſunt tenui cuticulæ, quæ detrahi poteſt ſalvo manente corio craſſiori. Teſticulos propendentes habet ut felis mas.

Cap. III.

Cuniculorum Braſilienſium variæ ſpecies.


Aperea Braſilienſibus, Belgis **Veldratte** vel **Boſchratte**/ Cuniculi eſt ſpecies; corpore oblongo circiter unum pedem; craſſitie ſeptem digitorum: facile manſueſcit. Pili totius corporis leporinis noſtratibus reſpondent; in ventre autem albicant, in reliquis ſunt prædicti coloris. Labium quoque habet fiſſum & quatuor dentes, duos ſuperius duos inferius: barbam quoque leporinam, & tales pilos prope oculos, inter os nimirum & aures: ſed has diſſimiles habet leporinis, breves, ſubrotundas, nam minimum digitum tranſverſum longitudine haud excedunt: priora illius crura, tres circiter digitos longa, poſteriora paulo longiora: in prioribus pedibus quatuor ſunt digiti, nigra cute & unguibus parvis non prominentibus; in poſterioribus tantum tres, quorum medius longior reliquis. Incedit ut lepus ita ut poſteriora crura ad juncturam ſeu ſuffraginem uſque callo ſint obducta, quemadmodum pedes. Caret cauda. Caput paulo acutius leporino. Carnem habet cuniculorum. Vivit eodem modo ut illi, & ſimili domicilio utitur.



Tapeti Braſilienſibus, item eſt Cuniculi ſpecies, major quam Aperea, & dupla magnitudine gliris, figura ut noſtrates; pilis & colore ut Lepus ſed paulo fuſciore: auribus longis ut noſtrates

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ut noſtrates Cuniculi: in fronte rufeſcit paulum, ſub gutture nonnihil albicat & circulum album habet circa collum; quidam tamen illo carent & tantum ſub gutture, pectore & ventre parum albicant; nullam habet caudam; barbam ut noſtrates cuniculi; oculos nigros. Caro comeditur.




Cavia Cobaya Braſilienſibus, Cuniculi itidem ſpecies, diverſicolore pelle: noſtratis cuniculi junioris magnitudinem æquat; capite autem eſt gliribus ſimillimo; oculos habet nigros; aures ſubrotundas: os ſimile *Aguti*: crura breviora & pedes quatuor digitis præditos: pili hujus ſunt molles & pellis variegata diverſimode maculis albis nigris & ruffis. Manſueſcunt ita ut grunniendo cibum petant.



Caro illorum edulis. Cavia autem Braſilienſibus nomen eſt commune omnibus ſilveſtribus *Ratos do mato*, ut Luſitani appellant.

Annotatio. Meminit Geſnerus hujus animalis, & dat illius Iconem haud abſimilem huic noſtræ. Cuniculus, inquit, Indus, ante paucos annos primum in Europam invectus è N. Orbe: nunc ubique frequens; eſt enim fœcundiſſimum animal, cum octonos vel plures uno partu edat. Magnitudine fere cuniculi noſtri, at minor plerumque & corpore breviore. Crura ei brevia: digiti ſeni anterius, quini poſterius. Dentes ut in muribus. Caudæ veſtigium nullum, &c.

Paca Braſilienſibus, Cuniculi etiam eſt ſpecies: magnitudine porcelli, pingui & craſſo corpore, & circiter decem digitos longo: Capite inſtar Cuniculorum noſtrorum craſſo, auribus pilis nudis & paulum acutis. Nares habet amplas; os inferius brevius ſuperiori: rimam inſtar leporis, non tamen fiſſuram, barbam felinam ſeu leporinam prolixam, & poſt oculos pone aures iterum tales pilos. Crura priora paulo breviora poſterioribus: in pedibus digiti quatuor. Cauda breviſſima ut Aguti. Pili corporis ſunt Vmbræ coloris, breves & ad tactum duri. In lateribus autem ſecundum longitudinem maculas habet cinereas, in ventre albicat. Cibum oblatum pedibus non tenet ut Aguti, ſed in terra poſitum devorat, inſtar ſuis, atque ad eundem pene modum grunnit. Carnem habet eximiam & pinguem ita ut non habeat opus lardo quando aſſatur; unde Luſitanis *Caca real* vocatur illorum venatio. Capiuntur opera caniculæ, nam ab illa loco habitationis demonſtrato, venator ab utraque parte fodit, & cuniculum actum ab utroque latere obturat & demum in locum quo conſidere autumat longum cultrum infigit, ut ita transfigat animal ſub terra latitans; alias ſi exeat, actum eſt, nec capi poteſt, vehementer enim mordet; poſſunt tamen & vivi capi.





Agvti, vel Acvti Braſilienſibus; vulgo corrupte *Cotia* vocatur; alia cuniculi ſpecies, magnitudine noſtratium, pilis ex ruffo & brunno mixtis, cum pauxillo nigro. Pili autem illius craſſi ut in porcis junioribus, & ſplendentes; in ventre autem magis flaveſcentes. Aures habet rotundas, non ut noſtrates. Caput tamen & barbam ut noſtri. Inferior mandibula ei brevior ſuperiori, ut in ſuibus: labium ſuperius fiſſum inſtar leporis, os tamen acutius noſtratibus cuniculis. Crura anteriora breviora, quatuor digitis, poſteriora longiora ſex prædita. Sed pedibus directe extenſis incedit anterius, non repit: ungues habet acutos: crura glabra ſunt & ſine pilis fere,

dentes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Cauda breviſſima glabra. Oculos habet nigros. In ore ſuperius & inferius duos dentes ut Lepus. Grunnit ut porcelli ſolent. Voraciſſimum eſt animal; cibum, anterioribus pedibus arripit ut Sciurus, tenet & devorat quam ociſſime: quod reliquum eſt recondit ſtudioſe & fodiendo occultat. Delectatur admodum lambere cutem hominis. Currit velociſſime. Quum ad iracundiam movetur, dorſi extremi pilos in altum ſurrigit & poſterioribus cruribus fortiter pavimentum ſeu terram pulſat, more noſtratium cuniculorum.

CAP. IV.

Tamandua guacu. Tamandua-î.

TAMANDVA-GVACV Braſilienſibus, Congenſibus (ubi & frequens eſt) *Vmbulu*; Belgæ appellant **de Groote Miereneter**: Animal magnitudine canis Lanionum: Capite tereti, promuſcide longiſſima, & ore acuminato, edentulo; lingua tereti & longa inſtar ſubulæ: longitudo linguæ plerumque viginti quinque aut ſeptem digitorum; imo inveni interdum duos pedes & ſemis longam: hanc in ore gerit duplicatam & quando formicis vult veſci, exſerit illam, & formicarum tumulo tam diu imponit, donec plena ſit formicis, quas deglutit. Oculos habet parvos, nigros. Aures ſubrotundas: Caudam hirtam inſtar muſcarii, qua diducta ſe totum poteſt tegere. Capitis cum promuſcide longitudo unius pedis, vel etiam ma-



jor: craſſitudo promuſcidis in medio (nam magis magiſque attenuatur) plus quatuor digitorum. Colli longitudo quinque digitorum, craſſities circiter novem. Corporis longitudo ad initium caudæ, duorum pedum & trium digitorum: craſſities unius pedis & novem digitorum: caudæ longitudo duorum & ſemis pedum. Crurum anteriorum longitudo unius pedis & digiti; poſteriorum unius pedis. Sunt autem crura teretia; & pedes anteriores quatuor habent ungues recurvos, duos in medio maximos, duos & ſemis digitos longos, & ad utrumque latus minores: volam pedis rotundam; poſteriores pedes quinque habent digitos, pene figura manus, totidem unguibus præditos. Unguibus autem effodit formicas quibus veſcitur, licet & manſuefacti carne veſcantur, ſed in minutiſſimas partes conciſa. *Pilis per caput & dorſum* veſtitur nigris, quibus cani admixti; capitis & colli pili breviores & antrorſum verſi, quemadmodum in lateribus deorſum; in reliquis partibus & dorſo retrorſum. Per dorſum præterea à fine colli ad initium caudæ uſque ſemipedem longos habebat quaſi aries: longos etiam pilos in ventre. Anteriora crura canis ſeu albis veſtiuntur pilis & in quolibet verſus pedem maculam obtinet è nigris pilis. Per pectus autem ad latera uſque & mediam longitudinem corporis macula grandis nigris pilis; quam alba linea deſuper attingit continue. Crura poſteriora ſunt nigra. Cauda lata ſetis conſtat equinis nigris, unius pedis ferme latitudine, quibus cani in exortu miſcentur. Ad tactum omnes pili corporis aridi deprehenduntur.

Animal haud agile, ſed tardum in currendo, ita ut ab homine manibus in campo prehendi poſſit.

ANNOTATIO. Hoc animal deſcripſi lib. Americ. XV. cap. V. è commentariis cujuſdam Luſitani: qui & hoc obſervat, os illius eſſe rotundum & non valde patulum: quod & ex exuviis quas vidi deprehendi. Itemque lib. XVI. cap. 15. ſub nomine *Tamandova* è commentariis Abbevillani, qui equi illi molem tribuit, neſcio an bona fide.

TAMANDVA-I Braſilienſibus, Belgis **Kleyn Miereneter**. Animal vulpeculæ Ameri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

canæ magnitudine, vel paulo major. Longitudo corporis unius pedis: colli duorum: capitis quinque; caudæ decem. Crurum quodlibet quatuor digitos longum, pedeſque magnitudi-



ne Cercopitheci. In prioribus pedibus quatuor habet ungues incurvos; duos magnos craſſos in medio, & duos ad latera minores, cum craſſa & rotunda Vola: in poſterioribus quinque digitos parvos fere æquales, cum ſuis unguibus. Caput acuminatum habet & rotundum, conum acutum repræſentans; paulum infra incurvatum: os nigrum, anguſtiſſimum, edentulum: oculos parvos nigros: aures erectas unum circiter digitum longas. Cauda longioribus pilis prædita eſt, quam dorſum: extremitas illius calva, & poteſt ſe illa ſuſpendere ex ramis arborum. Color pilorum totius corporis ex albo flaveſcens, ſuntque pili ad tactum duri & ſplendent. Per dorſum autem uſque ad caudæ piloſitatem majorem & ad crura poſteriora, ut & in infimo ventre maxima pars nigricantibus pilis eſt permixta; quemadmodum & duæ lineæ craſſæ nigræ, utrimque ad latera à collo ſupra ſcapulas tendunt ad dorſum & in fine illius coëunt. Linguam habet teretem inſtar ſubulæ, octo digitos longam, quæ quaſi canali incumbit inter inferiores genas. Ferox animal, ſed quod mordere non poteſt, unguibus prioribus fortiter apprehendit & baculo tactum poſterioribus cruribus inſidet ut Urſus, naribus ſtertit & baculum apprehendit. Tota die dormit, capite ſub collo & anterioribus cruribus abſcondito; noctu evagatur. Quando bibit pars per nares iterum exſilit.

Quum mactarem hoc animal, maximam partem excoriatum adhuc vivebat, quamvis octiduum inediam toleraſſet. In rene ſiniſtro ſuperius proceſſum triangularem inſignem inveni, per duplicem tenuem membranam reni adnexum: In inteſtinis multos teretes lumbricos: valvulas cordis inſignes: veſicam fellis magnam. Caro Vulpinam olet & non comeditur. Corium eſt craſſum.

CAP. V.

Guariba; Cagui major & minor. Cercopitheci varii.

GVARIBA Braſilienſibus, Cercopitheci ſpecies, magnitudine vulpis noſtratis: facie elata, oculis nigris, ſplendentibus: auribus brevibus ſubrotundis: cauda longa & verſus extremitatem nuda, quam ſemper torquet & ubicunque eſt firmiter adhæret. Pili totius corporis nigri ſunt, longi & ſplendentes atque ita ſibi incumbunt, ut animal læve appareat: ſub mento & gutture ſunt longiores & in barbam caprinam & rotundam deſinunt: manuum & pedum pili ſunt brunni coloris, ut & dimidia cauda exterior. Fœmella erat quam hic deſcribo; mares paulo majores



ſed ejuſdem coloris. Maximo numero in ſilvis inveniuntur, ibique horribilem clamorem excitant, ut longe audiri poſſint. Unus autem interdum ſolus clamat, reliqui magno numero circumſident & quaſi concionem audiunt, clamor tamen putatur centum ſi longius abſis: hic autem ordinarius eorum mos, ut ſæpe obſervavi. Singulis diebus ante & poſt meridiem ſemel atque iterum conveniunt; unus eorum minor in medio & altiori loco reſidet, reliqui paulo inferius circumſident, tunc præcinit ſuperior alta voce & ſigno manu dato, reliqui omnes accinunt, tamdiu cantiones prorogantes, donec ſuperior iterum manu ſignum det, tunc omnes uno momento ſilent & ſuperior grandi voce cantionem finit. Catulos ſuos in dorſo geſtant in ramis arborum diſcurrentes. Catuli ambiunt corpus eorum poſterius, ubi tenuius, pedibus ſuis. Mordax animal, nec domari poteſt.

Dantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Dantur & alii nigri ingentes, qui longam barbam & villoſam habent nigram: ipſi quoque nigri; qui nigritam mulierem ſolam offendentes vi ſtuprare ſolent: vera dico & exempla ſcio.

CAGVI Braſilienſibus, Congenſibus *Pongi*, reperiuntur hic majores & minores: Cagui major, magnitudinem obtinet cercopitheci *Cay*, cui & aliquo modo eſt ſimilis. Pilos habet cineraſcentis coloris cum pauco tamen nigro mixtos & longiores paulo quam Cagui minor.



Facies illi ſubrotunda, leonina; aures fere rotundæ, nigræ & pilis nudæ; os nigrum: pili frontis itidem nigri, verum cum cinereo mixti: os haud acutum ſed ut leoninum: oculi nigri. Caret pilis albis circa aures; quos Cagui minor habet. Caudam habet unum pedem & quatuor digitos longam, & pilis ruffis veſtitam.

CAGVI minor, tenerum animalculum & parvum, Leonem quoque facie referens: totius corporis longitudo circiter ſex digitorum eſt, caudæ autem decem, capitulum habet parvulum, quod vix pomum minus æquat: naſum exiguum, elatum: oculos teneros, os parvum cum dentibus acutiſſimis: crura manus habent inſtar Cercopithecorum, quinque digitis teneris prædita: aures ſubrotundas, quas circumſtant pili albi, ordine & cumulatim poſiti & quaſi eleganter eſſent pexi. Pili autem totius corporis interius & in exortu rufeſcunt, exterius ſunt ex albo & fuſco mixti; cauda autem quaſi ex albo & fuſco annulata eſt. Acutiſſimum edit ſonum voce ſua. Velociſſimum eſt animalculum in ſaliendo: frigoris impatientiſſimum. Veſcitur pane, farina Mandiocæ atque aliis.

ANNOTATIO. Dedit & Geſnerus hujus animalis Iconem à Petro Coudenbergio doctiſſimo celeberrimoque Antwerpiæ pharmacopæo acceptam; & opinabatur è ſimia parva & muſtela procreatam; ſed animal eſt ſui generis, quanquam ad Simiarum claſſem haud male forte referri poſſit. Adferuntur ad nos interdum è Braſilia, ſed cum animal ſit tenerrimum & frigoris impatientiſſimum difficulter hic vivum conſervatur.



CAITAIA Braſilienſibus, itidem Cercopithecus: pilo longiori ex albido flaveſcente. Caput habet ſubrotundum, frontem haud elatam aut pene nullam: naſum parvum & compreſſum. Caudam geſtat arcuatam: redolet moſchum. Hæc unica ipſi ineſt gratia. Mite tractari debet, alias altiſſima voce clamat; & facile ad iram concitari poteſt.

Alius ejuſdem ſpeciei, ſed major & pilo magis fuſco inſtar Zebellinorum, etiam moſchum redolet.

CERCOPITHECVS Angolenſis major; in Congo vocatur Macaquo. Color pilorum totius corporis ut Lupi: nares habet bifidas, elatas; caput urſino ſimile, nates calvos quibus inſidet: caudam ſemper portat arcuatam. Longitudo corporis à capite ad caudam unius pedis & ſupra: capitis longitudo ſex digitorum; caudæ pedalis: crura quatuor æqualis longitudinis decem digitorum in prioribus cruribus: manus tres & ſemis digit. longas, quinque digitis præditas, in poſterioribus longas manus quinque digitos. Craſſities corporis ubi maxima unius pedis & novem digitorum: clamat *hah*, *hah*. Dentes habet albiſſimos. Mire geſticulatur: penem habet humano ſimilem inſtar pueri.

Angolenſis alius. Totus niger at inſparſo cano nigredini per totum corpus. Naſus albus. Magnitudine ut prior. Caudæ longitudo duorum pedum & quatuor digitorum. Figura ut ſequens, ſed fronte non capillata.

CERCOPITHECVS barbatus Guineenſis: in Congo vocatur *Exquima*. Pilos habet fu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſcos, ſed per totum dorſum quaſi aduſtos ſeu ferrugineos: fuſcis autem punctulatim inſparſus color albus. Venter albicat & mentum inferius: Barbam quoque egregie albam habet, conſtan-



tem capillis, duos digitos longis & amplius, paſſis, quaſi ordinatim pexa fuiſſet. Quando hæc ſpecies iraſcitur, os ample diducendo & mandibulas celeriter movendo, exagitat hominem. Egregie ſaltant; varios fructus hi omnes comedunt, extreme tamen *Paco* delectantur.

Alius Guineenſis priori magnitudine par: color pilorum maxima parte corporis nigricans, cui umbra admixta; in ventre autem ſubcœruleſcens è cinereo: caudæ medietas ulterior ex ruffo flaveſcens; os cœruleſcit. In gena utraque magnam copiam tenet pilorum longorum ex albo flaveſcentium (inſtar magnæ barbæ hircinæ) uti & ad utramque aurem. Crura & pedes nigri. Ludit & clamat ut alter.

Guineenſis alius, minor eſt priori; pilo ex umbra gryſeo, fuſco & flavo admixto, fere ut in dorſo leporino: caput huic parvum, cauda longa: caret barba.

CAP. VI.

Coati. Tapijerete. Mures varii.

COATI Braſilienſibus, eſt vulpes, magnitudine felis; cruribus brevibus & manibus Cercopithecorum; nam & eorum more arbores velociter conſcendunt & currunt uſque ad ramorum extremitates. Victitant fructibus, lubentiſſime autē ovis & gallinis. pedes poſteriores majores prioribus: in ſingulis pedibus digitos habent quinque acutis unguibus: Caput acuminatū vulpinum; aures breves ſubrotundas ut felis: oris pars inferior brevior ſuperiore: habet promuſcidem longā acuminatam, nareſque amplas quaſi fiſſuras: oculos nigros. Pili totius corporis obſcure ochræ coloris, longi. Caudam habet longiorem toto ſuo corpore, quam ſuperius erectam geſtat & incurvatam, cujus pali annulatim variegati cum umbra & ochra. Quando comedit, more canis, anterioribus pedibus tenet cibum.




Multi etiam Coati reperiuntur coloris ex brunno nigricantis, ſeu interius flavi, exterius nigricantis, ſub gutture & pectore flaveſcentis. Hæc ſpecies appellatur à Braſilienſibus *Coatimondi*.

ANNOTATIO. Habui aliquandiu ejuſmodi animal circuratum & valde domeſticum & mihi amicum, ita ut ad os meum eniteretur, & ex illo cibum caperet: ſed cum caudam ſuam prærodere cœpiſſet, non potuit ab ea abſtineri, ita ut illam tandem pene totam conſumeret, & moreretur; quod vitium & in ſimiis obſervatur.

TAPI-

TAPIIERETE Braſilienſibus, Luſitanis *Anta*, animal quadrupes, magnitudine juvenci ſemeſtris: figura corporis quodammodo ad porcum accedens, capite etiam tali, verum craſſiori, oblongo, ſuperius in acumen deſinente, promuſcide ſuper os præeminente, quam validiſſimo nervo contrahere & extendere poteſt: in promuſcide autem ſunt fiſſuræ oblongæ. Inferior oris pars brevior eſt ſuperiore. maxillæ ambæ anterius faſtigiatæ, & in qualibet decem dentes inciſorii ſuperne & inferne; hinc per certum ſpatium, utraque maxilla caret dentibus, ſequuntur dein molares, grandes omnes in quolibet latere quinque, ita ut habeat viginti molares & viginti inciſores. Oculos habet parvos porcinos: aures obrotundas majuſculas, quas verſus anteriora ſurrigit: crura vix longiora porcinis, at craſſiuſcula: in anterioribus pedibus quatuor ungulas, in poſterioribus tres; media inter eas major eſt in omnibus pedibus; in prioribus pedibus, tribus quarta parvula exterius eſt adjuncta; ſunt autem ungulæ nigricantes non ſolidæ ſed cavæ, & quæ detrahi poſſunt. Caret cauda, & ejus loco proceſſum habet nudum pilis, conicum, parvum, more Cutiæ. Mas membrum genitale longe exſerere poteſt inſtar Cercopitheci. Incedit dorſo incurvato ut Capybara. Cutem ſolidam habet inſtar Alcis; pilos breves. Color pilorum in junioribus eſt umbræ lucidæ, maculis variegatus albicantibus ut capreolus: in adultis fuſcus ſive nigricans ſine maculis. Animal interdiu dormit in opacis ſilvis latitans; noctu aut mane egreditur pabuli cauſa. Optime poteſt natare. Veſcitur gramine, arundine Saccharifera, braſſica, &c. Caro ejus comeditur ſed ingrati ſaporis eſt.



MVRIVM hic ingens copia tam majorum quam minorum. Majores plerique ventrem habent album, cætera nigri aut fuſci coloris. Corpore ſunt oblongo.

Mus araneus figura muris. Corporis longitudo ab oris extremo ad caudam uſque circiter quinque digitorum; caudæ fere duorum. Os habet acutum, dentes acutiſſimos: ſcrotum cum teſticulis pendulum inter pedes poſteriores. Fuſci eſt coloris, ſed in dorſo ſecundum longitudinem à capite ad caudam tres nigras lineas habet craſſas. Ludebat cum fele, nec illam metuebat, nec felis eum petebat.

CARVCVOCA Braſilienſibus, mus eſt domeſticus parvus, plane ſimilis noſtratibus & eodem modo rodens & perdens res quas attingere poteſt.

GVABIRV Braſilienſibus, Luſitanis *rato da caſa*, mus domeſticus eſt major, quem rattum vocamus; oblongo ſunt corpore, coloris ut noſtrates, & ventre albo. Magno numero in ædibus obambulant, & multum damni inferunt.

CAP. VII.

Tajacu. Porcus Guineenſis. Capibara. Scyurus.

TAJACU CAAIGOARA Braſilienſibus, Porcus eſt ſilveſtris, habens umbelicum in dorſo: figura pene convenit cum noſtratibus, & majorem magnitudinem adipiſcitur quam annuus porcus apud nos. Aures habet breves, crura ut noſter, caudam nullam. Pili illius ſunt molliores quam porcorum noſtratium, nec ita ſetas habet in dorſo, ſed ubique æquales pilos. Eorum autem color toto corpore eſt niger, punctulis minimis albis variegatus. Caro illius bona eſt, & inſtar porcorum noſtrorum domeſticorum, ſed non habet tam craſſum lardum.




ANNOTATIO. Habui ejuſmodi porcum è Braſilia ab amico dono miſſum, valde familiarem: quem cum per ſemeſtre & amplius aluiſſem humidis cibis, ut noſtrates ſolemus, mortuus eſt ex ileo ut vi-

 deba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

debatur. Dedi illum Clariſſimo Anatomico noſtro Profeſſori D. Valkenburgio, qui illum incidit & diligenter obſervavit: Umbelicum illum autem quem vocant, è quo obſervaveram ſæpe humorem aliquem prodire lacti haud abſimilem, judicavit eſſe mammam: quia vaſa mammaria habebat, verum cum diligenter inquiſierim ab iis qui in Braſilia dudum vixerunt, an catulos ſuos illa parte aleret, numquam me illud potuerunt docere, quidam & negarunt, ſed ſugendum præbere papillis quas ſub ventre habeat. In dorſo autem etiam ſetas habebat, licet non ita craſſas & longas quam noſtrates.

PORCUS GUINEENSIS, & è Guinea in Braſiliam tranſlatus, figura ut noſtrates & ruffi coloris: in hoc autem differt à noſtratibus, quod caput habeat non ita elatum: aures autem longas



& acutas plane & prolongatis acuminibus, caudam longam uſque ad talos propendentem, pilorum expertem. Totum corpus tegitur pilis brevibus ruffis ſplendentibus, non ſetis, quibus & in dorſo caret, ſed tantum verſus caudam in dorſo & circa collum paulo longiores habet pilos. Plane cicur.

CAPYBARA Braſilienſibus, Porcus eſt fluviatilis: figuram pene porcorum habet, magnitudine exæquat porcum annuum vel bimum noſtratem. Longitudo corporis à capite ad anum circiter duorum pedum, craſſities ventris ſeſquipedis. Caret cauda. Pedes quatuor porcini: anteriores quatuor ungulis, poſteriores tribus præditos. Eſtque in anterioribus ungula media longiſſima, duæ breviores, quarta minima: in poſterioribus media longior & duæ minores: habet & callum ad ſuffraginem uſque. Capitis longitudo decem digitorum, & craſſities totidem fere: habetque craſſum & improportionatum caput, & os longiſſimum ac craſſum: oculos magnos, nigros, aures parvas, ſubrotundas. Inferior maxilla brevior ſuperiori; continetque in utraque anterius duos dentes incurvatos, qui ad ſeſquidigitum prominent



extra alveolos ſuos, & ad duos fere digitos ſunt inſerti; ſed non eminent extra os, ſed ut in leporibus intus continentur. Dentes reliqui mirandi ſunt: conſtat totus ordo in qualibet maxilla octo oſſibus, in quolibet nimirum latere quatuor; & quodlibet os tres dentes inſeparabiles repræſentat: ut ita ſint in qualibet maxilla dentes viginti & quatuor, & in totum quadraginta octo: ſunt autem omnes in extremitatibus plani. Comedunt gramen & fructus varios. Caro comeditur, licet non bene ſapiat, melior aſſa, caput imprimis.

Magno numero ad ripas fluminis S^{i} Franciſci ambulant. Natare & urinari vel maxime poſſunt. Noctu ingentem clamorem excitant & horribilem fere ut Aſini ſolent.

SCYURUS *(quo nomine Braſilienſes appellent non proditur ab Auctore)* Braſilienſis, noſtratibus magnitudine & figura ſimilis, excepto colore: os & dentes enim habent ut noſtrates leporinos & pilos & barbam: oculorum pupillam cœruleſcentem, auriculas breves, obrotundas: in anterioribus pedibus quatuor digitos unguibus longis, acutis; quorum medii paulo longiores reliquis, & præterea in interiori latere parvulum nigrum. Poſteriores pedes quinque habent


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

habent digitos, unguibus acutis, quorum tres longiores, & medius itidem longiſſimus, exteriores duo breviores. Caudam ejuſdem longitudinis cum corpore villoſam (non tamen tam criſpam ut noſtrates habent) qua corpus tegere poteſt. Et eodem modo ſedet edens ut noſtrates. Color totius animalis eſt ex pallido flavo & fuſco mixtus, videlicet leporinus. Sub gutture & in ventre eſt albus; in utroque latere ſecundum longitudinem maculam linearem habet albam. Cauda pilis longis conſtat ex nigro & albo mixtis. Manſuetum eſt animalculum & elegans.

CAP. VIII.

Tatu ſeu Armadillo, variæ illius ſpecies.

TATV & TATV-PEBA Braſilienſibus, *Armadillo* Hiſpanis, *Encuberto* Luſitanis: Belgæ noſtri vocant **een Schild-Vercken**. Animal potiſſimum in terra degens, quanquam & in aquis & aquoſis locis. Reperitur variæ molis. Figuram habet porcelli & fere magnitudinem. Totum corpus ſuperius ut & caput loricatum eſt, nec minus cauda: Lorica autem eſt oſſea ex ſquamis elegantiſſimis compoſita: prope occipitium duas habens juncturas, ut collum movere poſſit: in dorſo ſeptem ſunt diviſuræ, cute fuſca intermedia: in reliquis partibus



integra. Pedes qua prominent etiam tenuiori lorica ſunt obducti. Totum autem inferius corpus, mentum, collum, venter, crura non ſunt loricata, ſed cute veſtita anſerina, prominentibus poris prædita & rarioribus in his pilis digitum longis, ac ita rarioribus pilis totum inferius corpus veſtitur. Septem juncturæ loricæ in dorſo, raros quoque pilos & ſimiles habent: prope os & oculos etiam aliquot viſuntur. Sunt autem pili coloris albicantis ut in porcis. Caput habet inſtar porcelli; os acutum; oculos parvos & profundos; linguam acuminatam & anguſtam; aures pilis & lorica nudas, fuſcas, breves: dentes haud ita magnos, in qualibet maxilla octodecim. Pedes quatuor ad manuum figuram accedunt, quinque digitis ſinguli præditi, etiam quilibet digitum unum altero longiorem; cum unguibus haud latis, ſed ſubrotundis. Roſtrum habet ut porcus, quo terram velociter fodit. Color univerſi animalis eſt è luteo ſubruffus. Caudæ in exortu craſſitudo quatuor digitorum: fitque paulatim tenuior, donec in fine plane acuta evadat & rotunda ut in lacertis aut porcis.

Mares aliquando habui, quibus membrum genitale prominens erat, quatuor digitos longum & mediocrem digitum craſſum. Corpore plerumque ſunt obeſo, victitant batatis, melonibus & variis radicibus, & plurimum damni inferunt plantariis. Fodiunt terram libenter. Edulis eſt illius caro; ſequens tamen ſpecies præſtat. Multum bibunt. Imo cuniculos, aves mortuas, aliaque devorant.

Facile capiuntur opera caniculæ, quemadmodum apud nos cuniculi. Nam ſi canis emittatur latrando commonefacit venatorem ubi in terra commorentur, tunc fodiendo ab utroque latere invenitur.


TATV-ETE Braſilienſibus, *Verdadeiro* Luſitanis, priori eſt minor; capite parvo, acuto, auribus longioribus & erectis, cauda etiam longiori, pedibus altioribus, & unum digitum longo pene, conſentitque cum delineatione Monardis. Caput autem tres digitos longum; aures fere duos erecte ſtantes: os acutum, oculi parvi nigri. Crura tres circiter digitos ſingula longa; in pedibus anterioribus, quatuor digiti, duo medii æquales, unum digitum longi, & ungue ſemidigitum longo prædíti, & duo itidem æquales ad quodlibet latus. In poſterioribus pedibus quinque ſunt digiti, tres medii æquales, breviores paulo mediis duobus in anterioribus, & duo ad latera parvi, itidem unguibus paulo craſſioribus prædíti. Caudam habet novem digitos longam, & verſus extremitatem, acuminatam. Corpus à cervice ad initium caudæ


ſeptem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſeptem digitos eſt longum. Capitis frons tegitur lorica; uti & totum corpus, quæ ſupereminet in lateribus, ita ut jacens animal pedes & caput ſub illa poſſit abſcondere. Conſtat autem lorica in dorſo, novem juncturis, ordine decenti è ſquamis compoſita. Cauda quoque loricata, novem habens juncturas. Lorica autem in dorſo eſt ferrei coloris, in lateribus albicat, & ferreæ maculæ admiſcentur. Venter tegitur cute albicante, poris conſpicuis, & aliquantum piloſa. Cauda albicat & ferreo colore mixta eſt. Caro hujus ſpeciei ſupra cæteras admodum bene ſapit.

TATU APARA Braſilienſibus alia ſpecies, magnitudine præcedenti par. Caput habet oblongum, pyramidale fere, os acutum: eſtque caput anterius tectum lorica: oculos porcinos: aures breves ſubrotundas, ut prima ſpecies. Venter quoque tegitur cute poroſa, cum pilis albicantibus ſuillis. Crurum, duo anteriora tres digitos longa, poſteriora fere quinque: in anterioribus pedibus ungulas habet quinque, duas medias longiores, inæquales tamen, unam ſcilicet digitum longam, alteram breviorem, & duabus hiſce laterales minores, ac in exteriori parte parvulam. In poſterioribus pedibus, itidem quinque ungulas, tres medias fere æquales, ſed breves, & duas laterales. Caudam obtinet pyramidalem, paulo plus quam duos digitos longam, lorica tectam. Membrum genitale habet plus quam quinque digitos longum, & dimidium craſſum. Totum autem animal tegitur lorica, pedem longa, & octo digitos lata, anterius tamen & poſterius in utraque extremitate paulo anguſtiori, & tantum digitos & ſemis lata:





eſt autem interius concava, exterius convexa inſtar deambulacri arcuati: in medio (magis tamen verſus anteriorem partem) quatuor habet commiſſuras tranſverſales, quibus loricam extendere & incurvare ſeu contrahere poteſt. Conſtat autem lorica illius figuris quinquangularibus eleganti ordine diſpoſitis; inter commiſſuras vero conſtat parallelogrammis, & quælibet figura ſquamulis lenticularibus, coloris ex albo ſubflaveſcentis. Commiſſuræ autem conſtant cute admodum lenta. Hæc ſpecies hoc habet peculiare, quod dormire volens, aut quando quis manu prehendere cupit, prioribus ac poſterioribus pedibus in unum quaſi punctum collectis, more infantium in utero jacentium, ac auriculis intro tractis cum capite & cauda ad caput relata, ita ut illa ſiniſtrum oculum tegat; atque per commiſſuras incurvato dorſo ac clypeo, ita ut os anum tangat, in pilam rotundam lorica ſua efformet eam ita lateralibus extremitatibus, ac antica & poſtica parte conſertis claudendo, ut nihil appareat niſi lorica capitis & caudæ, quæ claudunt inſtar forium foramen loricæ corporis, quod ovale remanet, incurvato corpore & ad quietem compoſito: ita hoc animal inſtar pilæ ſe componere poteſt, & facilius quis concham marinam potius quam animal terreſtre judicaret. Noctu ut plurimum egreditur pabuli cauſſa, interdiu autem dormit. Victus illius ut aliarum ſpecierum. Secui aliquando hoc animal. Membra genitalia habebat inſignia, unde ſalax animal judico. In quolibet latere muſculum habebat inſignem, longum, & figuram X habentem, plurimis fibris ita decuſſatim diſcurrentibus ſecundum longitudinem, quorum ope validiſſime ſe contrahere & continere poteſt; muſculos cruciformes appello. Quando animal in orbem ſe contrahit, vix à validiſſimo homine aperiri poteſt. Caro hujus cocta & frixa butyro, boni eſt ſaporis, & præferenda carni cuniculorum. Præfertur tamen caro ſecundæ ſpeciei.

Annotatio. Fecimus hujus animalis mentionem in deſcriptione Americæ lib. xv. cap. v. ubi & hoc è Monarde, & Fr. Ximene annotavimus, pulverem laminarum quæ plane ſunt oſſeæ & duræ, utiliſſimum eſſe in Medicina: tum contra Luem Veneream, tum contra tinnitum & ſurditatem aurium: præſertim oſſiculi caudæ quod proximum eſt ab illius exortu. Itemque pulverem caudæ urinam movere: & pulverem laminarum coactum in maſſam, extrahere ſpinas è quavis parte corporis. Cujus experimentum facile capi poſſet, ſi quidem ſæpius exuviæ hujus animalis ad nos ex America deferuntur.

CAP. IX.

Maraguaô. Cuandu. Jiya.

MARAGVAO ſive MARACAIA Braſilienſibus, eſt felis ſilveſtris, cujus hîc multi reperiuntur, & variorum colorum: communiter ſunt ſufflaveſcenti pilo, cum nigris maculis, inſtar Tigridis: eodem modo clamant, grunniunt & ſe purgant ut noſtrates feles: oculos quoque habent ſimiles, ſed pupilla rotunda & nigra: aures obrotundas ut Cuguacuarana; barbam quoque talem. Non circurantur. Veſcuntur libenter gallinis quas dilaniant atque avide devorant.

CVANDV Braſilienſibus: *Ourico Cachiero* Luſitanis: **een yſere Vercken** Belgis. Magnitudine ſimiam æquat majorem: totum corpus munitum eſt aculeis, tres aut quatuor digitos longis, neque pilos habet: flaveſcunt hi (cani inſtar pennarum) ab initio ſeu inſitione in cutem ad di-



midiam fere longitudinem, reliqua dimidia pars eſt nigra, cuſpis albicat. Interdum & loco nigri, brunnus eſt color ex ruffo in quibuſdam. Aculei hi acuti ſunt inſtar acicularum, & animal illas poteſt ejaculare. Corporis longitudo ab occipitio ad initium caudæ, unius pedis Rhynland. Caudæ autem unius pedis & quinque digitorum. Cauda ab exortu ſuo ad medietatem etiam aculeos habet, exterior medietas nuda eſt & raras habet ſetas inſtar porcorum. Capitis longitudo circiter trium & ſemis digitorum; itidem eſt aculeatum, verum circa os & nares glabrum. Aures habet parvas ſub ſpiculis fere latitantes: os inferius remotum verſus collum, leporinum, binis dentibus qui foras conſpiciuntur: nares patentes, & ideo amplam & fere quadratam promuſcidem: oculos rotundos, prominentes, fulgidos inſtar carbunculi: pilos multos circum nares & os longitudine quatuor digitorum, qui barbam felinam ſeu leporinam ipſi faciunt. Pedes habet ſimiorum quidem ſimiles, ſed quatuor tantummodo digitis conſtantes, nam pollice caret, quamvis locum habeat, quaſi abſciſſus eſſet. Anteriores pedes ſunt minores poſterioribus. Crurum anteriorum longitudo circiter quatuor digitorum, poſteriorum paulo major. Crura quoque aculeata, ſed pedes minime.

Interdiu ut plurimum dormit, noctu circumvagatur, & ſpirat naribus quaſi anhelaret. Victitat libenter gallinis. Vocem edit ut Sus *iii.* Scandit arbores, ſed tardo greſſu, quia, ut dixi, pollice caret: deſcendens autem caudam circumvolvit, ne labatur, admodum enim metuit lapſum nec ſalire poteſt. Carnem habet bonam & pergratam, nam aſſatam ſæpe comedi, & ab incolis valde æſtimatur.

ANNOTATIO. Videtur eſſe idem animal, aut ſaltem ſimile, quod Fr. Ximenes deſcribit ſub nomine *Tlaquatzin* ſpinoſi: *Tlaquatzin*, inquit, ſpinoſum, eſt ejuſdem formæ & magnitudinis cum *Tlaquatzin*, nigri coloris; quod animal tectum eſt aculeis cavis & acutis, fere ſpithamam longis, qui valde ſimiles ſunt ſpinis, & aculeis Herinacei, licet & quoſdam pilos habeat albos mixtos in modum velleris, præterquam in capite; & licet primo ſit album, ſucceſſu temporis ſit nigrum; aculeos ejaculatur, in canes aut eos qui ipſum offendunt & perſequuntur, qui ita hærent ut nulla induſtria aut viribus extrahi poſſint, quia ſenſim magis magiſque penetrant in carnem, donec viſcera ingrediantur, virtute quadam naturali; atque ita educunt humorem corporis, ut læſus conſumatur & tandem pereat. Barbari ſtudioſe ſervant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

iſtos aculeos, & affirmant novem illorum in ſubtilem pulverem contritos & exhibitos certo pondere, in vino, rumpere lapillos in renibus & veſica; excitat venerem; & utiliſſimas adverſus dolorem capitis eſſe, nam ſi fronti aut genis applicentur, ita adhærent & infiguntur, ut non ante decidant, quam ad modum ſanguiſugarum, poſtquam vaſa ſanguinis exhauſerint è quibus dolor oritur, & æger liberatur. Sunt autem aculei albi & fuſci, acumina autem nigra & valde acuta. Cauda illius brevior eſt quam *Tlaquatzin*, verum craſſior & ſine rugis: roſtrum habet inſtar canis, verum magis ſimum; dentes in ſuperiore parte oris: non habet aculeos ad ventrem, aut extremam partem crurum, quæ cute craſſa tecta eſt & aſpera: Cicurari poteſt.


IIYA quæ & CARIGVEIBEIV appellatur à Braſilienſibus, *Loutra* à Luſitanis: eſt animal quadrupes amphibium, magnitudine mediocris canis: capite obrotundo quaſi felino, ore tamen acutiori: dentes habet felinos; oculos nigros, rotundos; naſum quoque inſtar felis: aures obrotundas inferius poſitas; & pilos aliquot pro barba. Crura & pedes Cercopithecorum more, quinque nimirum digitos in quolibet, quorum interior brevior reliquis, & quilibet habet ſuum unguem fuſcum acutum: caudam ejuſdem longitudinis cum pede. Pilis tegitur ad tactum mollibus, haud longis. Totum autem animal atri eſt coloris; excepto tamen capite, quod obſcure eſt fuſcum; & quod in gutture maculam habeat flavam. Clamorem edit fere ut catellus junior, intermiſcens ſonum qualem Caguy ſolet. Hoc quod habui cibavi Farina Mandiocæ in aqua madefacta. Vivit & alioquin gammaris & piſcibus quos capit, præſertim ſuffurando ex naſſis poſitis.



CAP. X.

Aries guineenſis. Cuguacu-ete & Cuaguacu apara. Iaguaretê. cuguacû arana.

ARIES Guineenſis ſeu Angolenſis; vocatur lingua Congenſi *Memeriam bacala*: magnitudine arietis noſtratis. Caput habet craſſum arietinum, occipitio tamen magis prominente quam in noſtratibus: aures pendulas: caudem uſque ad ſuffragines pendulam: ſcrotum magnum, & penem in medio ventre: cornua parva deorſum uſque ad oculos incurvata &



quaſi torta: ad collum inferius, jubam habet pendulam longis pilis conſtantem, in reliquo corpore breves pilos hircinos; nullam lanam. Caput & aures ſunt nigræ; caudæ quoque dimidia pars ab exortu, reliqua pars alba: ad occipitium pili ſunt albi; crura anteriora uſque ad genua alba, inferior medietas nigra; poſteriora crura tota nigra & circa anum corpus & dorſum album; in lateribus autem nigras habet maculas. Crura & pedes habet altos hircinos, duabus ungulis nigris. Variant tamen hæ oves colore uti noſtrates; & quædam ſpecies caudam habet tibiam humanam craſſam ad ſuffraginem uſque pendulam & pinguem; caret illa ſpecies juba illa ad inferius collum. Lanam quoque non habet, ſed pilos caprinos.

Grandiores ſunt noſtratibus & ingluvie pendula inſtar bovis.

Oves

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Oves & capræ hîc plurimæ. Sunt tamen capræ omnes brevioribus cruribus & minore capite quam noſtrates. Oves autem plane conveniunt cum noſtratibus. Multi arietes hîc inveniuntur, cùm quatuor cornibus. Sed hæ duæ ſpecies animalium huc primum à Luſitanis allatæ ſunt ex Europa, & ſucceſſu temporis magnum incrementum ceperunt.

CVGVACV-ETE Braſilienſibus, caprea eſt, Luſitanis *Cabritho*. Sunt autem noſtris capreis pene ſimiles. Caput ſeptem digitos circiter longum, oculis magnis, & nigris: naribus longis, & patentibus; ore nigro, cute ſplendente, auribus quatuor digitos longis, duos & ſemis latis, venis conſpicuis; collo rotundo & magis glabro pilis, quam in reliquo corpore: eſtque longitudo colli circiter quinque digitorum & ſemis. Corporis longitudo à colli exortu ad initium caudæ duorum pedum. Cauda brevis ut capreis eſſe ſolet. Crura quatuor, priora pedem, poſteriora ſeſquipedem longa; pes quilibet duas habet ungulas nigras: & ſupra has duas minores ſupra ſe invicem poſitas. Pilis veſtitur glabris, qui in toto corpore, cruribus & pedibus rufeſcunt, in collo & capite fuſci, ſub gutture & inferiori collo albi. Cauda quoque inferius eſt alba. Aures interius albeſcunt, exterius ſunt fuſci & fere carent pilis. Os inferius longius paulo quam ſuperius. Ruminat cibum. Manſueſcit facile. Quando unius aut duorum menſium ætatem habet totum corpus maculis albis eleganter eſt variegatum, quæ ſucceſſu temporis evaneſcunt.

CVGVACV-APARA Braſilienſibus, caprea eſt cum cornibus. Paulo major ſuperiore, at ejuſdem coloris. Cornua tria brachia ſeu digitos habent, nimirum infernum brachium quod longum, & apicem bifidum. Thyrſus ſeu ſcapus pollicem humanum eſt craſſus & octo vel novem digitos Rhynlandicos longus.



IAGVARA Braſilienſibus, nobis Tigris, Luſitanis *Onca*: Lupi magnitudine, quanquam & majores hîc reperiantur. Caput habet felino quodammodo ſimile, craſſum; barbam quoque felinam & ſimiles palpebras: aures breves, ſubrotundas fere ut felis: crura quoque felina imitantia, pedes latos, & in pedibus quinque digitos felinis ſimiles, & in plano pedis cujuſque eminentiam mollem ſeu callum, ſupraque adhuc rotundam eminentiam: in poſterioribus quatuor digitos, & illam eminentiam majorem, minori ibidem carent. Pedes anteriores ſunt craſſiores & latiores poſterioribus. Singuli digiti ungulam habent incurvatam ſemilunarem, acutiſſimam, quas abſcondit ut feles ſolent, & rapere aliquid volens, extendit. Dentes habet acutiſſimos: oculos cæſios ſplendentes, qui noctu ipſis ſplendent inſtar ignis: caudam longam felinam. Tota pellis conſtat pilis flaveſcentibus, brevibus, per totum maculata maculis nigris variis eleganter diſpoſitis. In junioribus pili longiores ſunt, & paulum criſpi inſtar lanæ ovillæ. Crudeliſſimum animal & hominibus juxta, ac beſtiis infeſtiſſimum. Quando vorat prædam, caput immittit in ipſum cadaver continuo vorando, non partem aliquam abripit ut alia carnivora animalia ſolent. Noctu ingentem clamorem excitat *uuu* inſtar canis famelici. Titione vel ſulfurato funiculo accenſo vel alio quovis igne fugantur noctu.



IAGVARETE Braſilienſibus, *Onca* itidem Luſitanis. Tigris ſpecies alia; ejuſdem cum Iaguara ſimpliciter dicta figuræ, juvencum annuum magnitudine æquat. Pilos habet breves ſplendentes nigros cum umbra mixtos, & variegata eſt illius pellis maculis atris, figura varia ut in altera. Hoc animal adhuc crudelius eſt altero.

CVGVACVARANA Braſilienſibus, *Tigre* Luſitanis, alia eſt illius ſpecies. Magnitudine & figura plane convenit cum Iaguara, colore ſolummodo differt. Nimirum pilos habet breves ut Iaguarete, coloris inſtar capreæ ex flavo rufe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3


rufeſcentis & paulo dilutioris quam illius, & in dorſo obſcurioris, ſub mento albicat paululum, uti & in infimo ventre.

Crudelitate cæteris eſt ſimilis. Caro ejus etiam comeditur, uti & reliquarum duarum ſpecierum, & magis mihi probatur.

CAP. XI.

Senembi ſeu Iguana.

SENEMBI Braſilienſibus, nobis *Iguana*, *Cameliaon* Luſitanis falſo, & falſiſſime Belgis *Leguan*. Erat longitudo totius animalis, quod hîc deſcribo (reperiuntur tamen longe majores) ab ore ab extremitatem caudæ, trium pedum & octo digitorum: corporis ambitus vel



craſſities, decem digitorum, ubi maxima. Tota cutis eleganter viridis, ſed maculis nigricantibus & albis, in modum panni undulati hinc inde variegata. Cutis conſtat è ſquamulis, in dorſo, cruribus & caudæ initio paulo majoribus, quam in reliquis partibus. Squamæ caudæ omnes æquales, non ut Car. Cluſius obſervat. A cervice ad extremam caudam ſeriem habet planarum, ſed mucronatarum inſtar ſerræ, ſpinarum ſecundum dorſi longitudinem, etiam vireſcentis coloris: ſuntque ſpinæ iſtæ ad cervicem majores, ſemperque minores fiunt, minimæ in extremo caudæ. Caput longitudinem habebat duorum digitorum fere aut paulo minus, ſingularibus ſquamis, majoribus quam in aliis partibus tectum: colli longitudo ſeſquidigiti, craſſities quinque. Magnos & claros habebat oculos nigricantes, & binos nares patentes in prona & fere extrema capitis parte: ſingulæ mandibulæ, exiguorum dentium & nigricantium & brevium numerum habebant, & os linguam craſſam: Pone caput in utroque latere albicantem maculam inſtar branchiarum in piſcibus: ſub mento ingluviem ad pectus uſque propendentem, maximam partem nigricantis coloris; quam contrahere poteſt & cum iraſcitur vel terrore afficitur propendere ſinit. Ab ore ad ingluviem ſeu in collo inferiori etiam habebat ſpinas quales in dorſo. Quatuor cruribus erat præditum & totidem pedibus, quorum quiſque quinque digitos continebat; cruraque & pedes ſquamis tecti ut reliquum corpus. Bina anteriora crura breviora poſterioribus, & non ita craſſa, longitudo quatuor digitorum aut paulo minus, uſque ad pedes ſcilicet. Pedes autem anteriores longi unum digitum aut paulo minus; digiti quinque & in iis medii breviores, quam medii poſteriorum pedum: intimus & extimus digitus binis articulationibus, duo illis proximi tribus, medius quatuor conſtabant: omnium ungues nigri incurvati & breves inſtar avium. Poſteriora crura longiora & ſolidiora anterioribus, nimirum longitudo eorum uſque ad pedes, eadem quæ craſſities colli vel caudæ prope corpus, nimirum quinque digitorum; pedum poſteriorum longitudo unius pedis aut amplius: digitorum prior extimus anteriorum digitis extremis æqualis magnitudine & articulationibus duabus, ſequens hunc tribus, tertius quatuor, quartus, qui longiſſimus, quinque; quintus ſeu ultimus verſus caudam etiam quatuor, æqualis cum tertio longitudinis: ungues ut in anterioribus. Cotiledonum ſeries nulla ut Cluſius alias obſervavit. Saltèm poſtica crura (tam ſuperius quam inferius) inſtar humanæ ſuræ ſe habebant, priora autem non item: Craſſities caudæ proxima corpori erat quinque digitorum, & attenuabatur ſemper donec in extremitate plane eſſet exilis & acuta inſtar ſubulæ. Quum mactaſſem movebatur adhuc pelle detracta & cor exemtum ſubſiliebat. Habebat in utroque latere ova ultra decem, quædam ceraſi magnitudine, quædam & minora: pinguedinem inſignem inſtar gallinarum: in ventriculo inſignem copiam fructuum, maxime limonum dulcium, quibus pro cibo erat uſus: comedunt etiam farinham Mandiocæ aqua madefactam. Diu inediam tolerare poſſunt, habui ad duos aut tres menſes ſine omni cibo & potu, & denique aufugerunt, ita ut judicem ſine dubio famem diutius ferre poſſe. Caro boni eſt ſaporis, cocta & diu frixa butyro, & æque bene ſapit ac caro pullorum aut cuniculorum. Vigeſimo octavo Maij, 1640. mactavi & ſecui unum, pinguedinem habentem multam inſtar gallinæ. Partes internas, cor, pulmones, je-

cur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tur, veſiculam fellis, renes, veſicam, genitalia vaſa, habet ut alia animalia: amplum jecur; duplicem ventriculum, unum anteriorem, in quem cibum prius recipit, hinc inteſtinum habet minimi digiti craſſitie, ac decem circiter digitos longum, cui annectitur alter ventriculus; ubi cibus plane concoquitur: hinc cætera inteſtina uſque ad rectum. In anteriori ventriculo magnam copiam farinæ Mandiocæ & Milii Angolenſis crudi habebat: Poſterior major totus ſemicocto cibo plenus erat, cui multi vermiculi vivi inſtar eorum qui in caſeo generantur, inhærebant: Inteſtinum ultimum ſeu rectum ſtercus continebat. Detracta pelle toti animali & cauda amputata, hæc adhuc movebatur. Vivax animal, nec ſi quinque aut ſex ictus in capite acceperit, moritur, niſi cervix cultro infixo vulneretur, tunc enim cum ſanguine vitam effundit. Caudæ caro meris fibris & nervis conſtat.

Menſe Decembri anni 1641. vidi eximi lapidem è ventriculo Senembi, ovi gallinæ mediocris magnitudine & figura, ſed compreſſiorem paulo; exterius glabrum albicantem, interius compoſitum è tunicis inſtar Cepæ, ita ut una ab altera ſeparari poſſit lapide contuſo. Coloris erat interius albicantis ſeu gryſei, duræ ſubſtantiæ ut *Bezoar*.

Capiuntur fune, nam arboribus inſidere ſolent, quod Braſiliani ſcientes, fuſti longo adaptant funem, hoc videns animal, miratur, nec tamen ſe movet, ſed fune ſe illaqueari ſinit & ita capitur, alias currit velociſſime. Juniores toti ſunt viridis coloris, grandiores ætate variegati fiunt vel cinerei: ſenes enim ut plurimum ſunt fuſci vel cinerei coloris.

ANNOTATIO. Dixi de hoc animali, quod in tota America frequentiſſimum eſt, deſcript. Ind. Occident. lib. I. cap. IX. Ubi & hoc obſervavi, Fr. Ximenem ſcribere; in capite hujus animantis interdum reperiri lapillos, qui præſentiſſimo remedio lapides renum comminuunt & dejiciunt, dragmæ pondere è liquore idoneo hauſti, aut etiam corpori alligati. An autem qui in ventriculo reperiuntur aliquando, eiſdem viribus polleant, mihi non conſtat, periculum poſſet capi ſine ullo, meo judicio, diſcrimine.

CAP. XII.

Tejuguacu & Temapara. Taraguira. Americima. Carapopeba. Ameiva. Taraguico Aycuraba. Tejunhana. Omnes Lacerti.

TEIVGVACV & TEMAPARA Tupinambis: Lacertus egregius: corporis figura, capitis, oculorum, oris, pedum, caudæ, convenit cum Senembi; in hoc autem differt. Primo totius corporis color eſt niger, elegantiſſimis maculis albis inſperſis variegatus, & verſus extremam caudam, ſex quaſi aculeos habet albos. Secundo cauda craſſior in exortu. Tertio caret illis dentatis aculeis per dorſi longitudinem. Quarto in pedibus poſterioribus exterior digitus paulo remotior eſt à reliquis, & brevior. Quinto linguam habet bifidam longam, rubram, glabram, quam velociſſime inſtar ſerpentis ad digiti longitudinem protrudit & retrahit. Nullam edit vocem: patiens eſt: lubenter veſcitur ovis, quæ cruda ſorbet. Inediæ patientiſſimum animal: detinebam alligatum, ſed cum ſe à vinculis abſolviſſet, liberum permiſi



per cubiculum currere, & interdum dedi hauſtum aquæ è vitro bibendum, ita adhuc obambulat quando ſitit, alias toto die in angulo ſuo ordinario ſedet. Libenter incumbit cineribus calidis: vigeſimo Martii quiſpiam partem caudæ calcando detriverat; poſtea tamen de novo ad duos digitos crevit; primo Julii moriebatur inedia plane tabidus factus, ſeptem enim menſium ſpacio nihil comederat, tantum aliquando hauſtum aquæ ſumſerat lambendo. Caro ejus comeditur.

Plinius lib. 11. Natural. Hiſtor. cap. 37. ſcribit. *Lacertis bifida eſt lingua & piloſa*. Idem cap. 50. dicit: Lacertis & ſerpentibus amputatas caudas renaſci. Idem ſentit Ariſtot. Hiſtor. Animal. lib. 2. cap. 20. qui & lib. V. cap. 28. Lacertos non annum vivere, ſed tantum ſex

menſes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

menſes. Nego ego cum Scaligero in Comentar. pag. 635. Scaliger abſciſſas vult, ſed ego cum Plin. amputatas; nam integra cauda abſciſſa non renaſcitur: ſed amputatam ex parte renatam vidi.

TARAGVIRA Braſilienſibus: Lacertus in & prope domos, in hortis & ubique frequens: longitudo ejus circiter pedalis; (quanquam reperiantur & minores.) Corpus habet teres, totum ſquamulis triangularibus cinereis ſeu leucopæis tectum. Caret ingluvie ſub mento; dorſum æquale: nutant velociſſime capite quando aliquid vident & celerrime currant motando corpus. Si videant hominem dormientem cui ſerpens venenatus, aut aliud venenatum animal lædendi cauſa appropinquat, illum excitant ne lædatur. Coire volens mas leni morſu adprehendit fœmellæ cervicem, paullo poſt ad latus ſe inclinat, & fœmina propriam caudam ſurſum levando admittit marem, qui pedibus complectitur corpus ejus à tergo. Vide I. Scaliger. in Comment. ad Hiſtor. animal. pag. 204. Ubi de ſimilis naturæ Lacerto agit.

AMERICIMA Braſilienſibus; Lacertulus tres digitos longus & pennam olorinam craſſus, ubi craſſiſſimus: crura & pedes ſimilis figuræ & tot digitis, ut Senembi. Ocellos habet nigros; corpus autem fere quadratum videtur. Totum dorſum ſquamulis veſtitur leucopæis, latera autem fuſcis, caput itidem & crura, cauda vero cœruleis: omnes autem ſplendent, & ad tactum apprime ſunt læves. Digiti in pedibus inſtar ſetarum porcinarum. Venenoſum




eſt animal ut Luſitani affirmant, & cupidum exſugendi ſanguinem ex gravidis mulieribus. Referunt fœminam ſemel tactam ab hoc lacerto, vel ſolum ejus indumentum, numquam poſtea concipere.

CARAPOPEBA Braſilienſibus; Lacertulus tres, quatuor vel quinque digitos longus, venenatus. Figura corporis eſt ut reliquorum. Quatuor cruribus & pedibus: in anterioribus quinque, in poſterioribus quatuor habet digitos. Corpus totum hepatici eſt coloris, cum albis notulis, in cauda autem albis lineolis, hinc inde etiam aliquantum flavi mixtum; Oculos habet ſplendentes & quaſi vitreos.

AMEIVA Braſilienſibus & Tupinambis; alia ſpecies Lacertorum & ſuperius deſcriptæ Taraguiræ per omnia ſimilis, excepto quod caudam furcatam habeat, id eſt, deſinentem in duo cornua tecta.

TARAGVICO AYCVRABA Braſilienſibus, Taraguiræ alia ſpecies, ſuperiori item ſimilis, excepto quod cauda ab initio ubique habet triangulatas ſquamas parvulas: Caudæ extremitas planis ſquamulis tecta eſt, & præterea quatuor maculis fuſcis: dorſum & præcipue poſt caput undatum maculis variis fuſcis.

TEIVNHANA Braſilienſibus; Lacertulus eſt minimum digitum craſſus; capite acuminato ut Senembi; oculis nigris, circello aureo: crura habet quatuor ut *Senembi*; Longitudo



ejus ad poſteriora crura eſt trium digitorum; caudæ longitudo ſex digitorum & ſemis: eſtque cauda teres & inſtar aciculæ in extremitate acuminata. Capitulum tegitur ſquamoſa cute; dorſum, latera, & crura ſuperiori latere cute veſtiuntur ad tactum molli inſtar holoſerici; cauda autem ſquamulis quadratis conſtat minuſculis: guttur & infimus venter itidem ſquamulis quadratis teguntur, majuſculis, capitis teſta fuſceſcit: Dorſum & latera ſuperius fuſca, vel potius tribus lineis dilute umbræ coloris, & aliquot undis ejuſcemodi variegatur: latera inferius viridia; ſuperiora autem in fuſco linea notat viridis ſecundum longitudinem à capite ad crura uſque poſteriora: itemque alia linea viridis eſt ubi fuſcum & viride ſeparantur: inter duas autem lineas ordo eſt punctorum viridium in fuſco; & ſub inferiori linea viridi ſeries eſt punctulorum nigrorum in viridi. Crura etiam in lateribus ſuperioribus obſcure flavi ſeu cerei obſoleti ſunt coloris, variegata maculis parvis fuſcis: in inferioribus lateribus ſunt alba. Cauda quoque ſuperius coloris cerei obſoleti, inferius cerei cum albo mixti. Caput inferius, guttur & infimus venter candidi ſunt coloris ſanguineis notis variegati. Bifidam habet linguam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. XIII.

Boi guacu. Ibyara. Serpentes.


BOI GVACV Braſilianis, *Cobra de veado* Luſitanis. Erat pellis ſeptem & ſemis pedes Rhynlandicos longa, in medio corpore undecim digitos lata, ſenſim verſus caput & caudam in anguſtiorem latitudinem vergens, ita ut eo loco quo caput abſciſſum, tantum circiter quatuor digitorum latitudinem haberet, & in caudæ extremitate paulo minorem. Tota autem pellis ſquamis erat tecta certa ſerie diſpoſitis, in ventre majoribus, in dorſo minoribus, ut in omnibus ſerpentibus: elegantiſſime autem erat variegata; nempe per medium dorſum ſecundum longitudinem maculis nigris, quæ cathenæ cujuſdam majoribus partibus conſtantis figuram quaſi referebant, ad latera autem utrimque palmum inter ſe diſtantes maculæ nigræ rotundæ fere, in quarum centro alba macula itidem rotunda, magnitudinem autem hæ maculæ habebant majorem imperiali: inter haſce, attamen extra illarum ordinem, verſus ventrem, iterum utrimque duæ ſeries minorum macularum nigrarum diſcurrebant.

Ejuſdem coloris & ſimilibus maculis accipiebam ſeptimo Auguſti 1638. ſed majorem priori, craſſities enim corporis medii erat tredecim digitorum, longitudo autem octo pedum & ſupra.

Ejuſdem ſpeciei unum accepi vivum tertio Auguſti 1638. ſimilibus maculis; longum quinque pedes & quatuor digitos; craſſum vero, ubi craſſiſſimus, ſemipedem. Carnem habebat albam anguillæ ſimilem. Cor exemptum è corpore per quadrantem horæ ſubſiliebat. In poſtica parte corporis, ſeptem digitorum intervallo ab extremitate caudæ duos breves ungues habebat quaſi avium, citra anum nimirum. Duplicem ordinem dentium acutiſſimorum, in utraque maxilla. Caput latum & ſupra oculos in duo tubera elatum.

Ejuſdem ſpeciei ingentem accepi ſexto Octobris 1638. cujus longitudo erat octo pedum & ſemis; craſſities, ubi maxima, quindecim digitorum; eratque eleganter nigro & albo variegatus; carnem habebat albiſſimam & pinguem. Carnem ſepelivi, & oſſa poſt quadrimeſtre ſpacium exemi pro ſceleto. Pellem tomento replevi. Spina autem dorſi oſſibus conſtat, & coſtæ dura ſpina. Duplicem ordinem habebat dentium in utraque maxilla, quæ itidem duplex erat. Dentes ſunt acutiſſimi, paulum incurvi, acus pectinum referrentes, ſplendide albi coloris, inſtar matris perlarum politæ. Serpens hic vocatur à Braſilienſibus *Boi guacu*, id eſt, magnus; nam vidi qui integram capream deglutiverat. Non ſunt venenati & caro illorum comeditur.

Alterius ſpeciei mihi allatus decimo quinto Novemb. 1638. cujus longitudo erat quatuor pedum & unius digiti craſſities, ubi maxima, quinque digitorum. Squamis in ventre argentei coloris ſplendidiſſimi, reliquo corpore, nigro & albo variegati. Cauda quaſi è ſex annulis compoſita erat argenteis. Sex acutos dentes habebat in utraque maxilla.



Habui etiam ferrei plane coloris & in ventre albi, longitudine trium pedum aut circiter, craſſitie, ubi maxima, duorum digitorum. Habitant in ædibus & ova gallinarum exſorbent. Sæpius inveni in ædibus & extra plane virides, duos aut tres pedes longos, craſſitie digiti auricularis. Amplum his os & nigra lingua: ſuntque admodum venenoſi, vocantur à Braſilianis *Boi obi*.

IBYARA Braſilienſibus, *Bodty* Tapuyis, *Cega* Luſitanis, noſtratibus *Blind ſchleiche*; vulgo fertur duo habere capita, ſed falſo: inde autem error promanavit, quia tam cauda quam ore ferit & inficit ſuo veneno, nec facile cauda à capite diſcerni poteſt, quia ejuſdem ſunt figuræ & magnitudinis: minimi digiti craſſitiem æquat, & longi-

longitudine unum pedem & duos digitos circiter. Color eſt albus ſplendens inſtar vitri, & annulis & elegantibus lineis notatur, coloris brunni aut æreí. Oculos habet minimos & vix conſpicuos, hærent in cute, inſtar punctuli acu facti. Non procul ab extremitate caudæ anum habet, inſtar reliquorum ſerpentum.

Contra venenum illius nullum dari remedium affirmant Luſitani. Sub terra vivit & illam fodiendo eruitur, victitat formicis.

Plinius lib. VIII. Nat. Hiſtor. cap. XXIII. geminum caput Amphiſbenæ eſt, & ad caput & ad caudam, tanquam parum eſſet uno ore fundi venenum.

ANNOTATIO. Ambigo an idem ſit ſerpens, quem ſub nomine Ibiracuâ deſcripſimus lib. XV. cap. VI. Americæ noſtræ; cujus virus tam vehemens cenſetur, ut homini quem momorderit, quantocyus ſanguinem ex oculis, auribus, naribus, gutture & inferioribus partibus corporis expellat, tanta copia, ut niſi ſtatim ſubventum fuerit, emoriatur.


CAP. XIV.

Ibiboboca. Boicininga. Curucucû. Boitiapô. Serpentes.

IBIBOBOCA Braſilienſibus; *Cobra de Coral* Luſitanis: ſerpens duos pedes longus & pollicem humanum fere craſſus, ubi craſſiſſimus; nam verſus poſteriorem partem teres eſt & acutus inſtar ſubulæ. Totus venter eſt albus & ſplendens, dorſum & latera tincta. Caput habet ſquamulas albas cubicas, ad oras nigras, hinc cinnabria ſequitur macula cujus ſquamæ per oras nigræ, & ita ſemper rubra macula eſt, hinc ſequitur nigra, hinc alba, iterum nigra, hinc rubra & ſic deinceps. Rubra macula plus uno digito eſt longa, duæ albæ & tres nigræ ſimul ſumtæ ſeſquidigitum longæ, æquales inter ſe: nigræ autem maculæ totaliter ſunt nigræ, albarum autem oræ nigræ. Venenatus eſt ſerpens.

ANNOTATIO. Lib. XV. cap. VI. Americæ noſtræ, hunc Serpentem ex auctore Luſitano ita deſcripſi: pulcherrimus anguis, nigro, rubro atque albo colore, caput totumque corpus diſtinctus: verum omnium ſerpentum longe virulentiſſimus, & tardiſſime ſe promovens.

BOICININGA & BOICINININGA & Boitininga atque etiam Boiquira Braſilienſibus: *Ayug* Tapuyis: Luſitanis *caſca vela*, Belgis **Ratel-ſlange** / Serpens quatuor pedes & tres digitos longus, corpore in medio craſſiori, verſus utramque extremitatem vero atte-



nuato; in medio autem ubi craſſiſſimus, brachium humanum prope cubitum craſſitie æquat. Venter illius eſt planus: Caput compreſſum, ſeſquidigitum longum & latum. Oculi parvi: lingua teres & bifida. Inter cæteros dentes quatuor habet reliquis longiores, falcatos, albos, acutos inſtar ſpinæ, quos retro condere & gingiva occultare poteſt. In pelle ſquamas habet ordine poſitas, craſſas, quæque in dorſo ſunt ſuas obtinent eminentias, inſtar Crocodylorum fere, verum haud talis duritiei. Totum dorſum inſignitur cathena pallide flava, hamulis illius figura cubica conſtantibus, fimbriatis nigro: ſpatium autem intermedium inter quemlibet hamulum fuſceſcit. Latera corporis flaveſcentia cubis nigris ordine poſitis variegantur: nimirum duplex ordo cuborum nigrorum in quolibet latere, & cuilibet angulo hamuli cathenæ dorſalis reſpondet cubus unus lateralis unius ſeriei, alter alterius ſeriei reſpondet, interſitio duorum hamulorum cathenæ dorſi. Venter ſquamas habet grandiores reliquis quaſi parallelogrammas, pallide flaveſcentes. Caudæ autem in extremitate adnatum eſt corpus parallelogrammum, paululum compreſſum, conſtans quaſi hamulis cathenariis ſingulari modo invicem aptatis, ut cymbali modo ſerpens ſonum eo edat & è longinquo audiri poſſit. Quot annorum ſerpens tot partes habet crepitaculum hoc. Serpens decem annorum habet crepitaculum longum duos digitos aut paulo plus, latum quoque plus quam ſemidigitum. Subſtantia conſtat

lævi,

lævi, glabra, pellucida, ſicca, coloris ex albo & cinereo ſubfuſceſcentis. Serpens eſt apprime venenatus, nec antidotum cognitum contra illud virus.

ANNOTATIO. Deſcripſi hunc ſerpentem lib. xv. cap. VI. Americæ. Accepi autem poſtea è Novo Belgio (nam & in ſeptentrionali parte Americæ, licet non ita frequentes, reperiuntur) exuvias hujus ſerpentis cum capite (in quo adhuc dentes illi majores viſuntur uti & minores) & cauda: tintinablum autem conſtat ſeptem ejuſmodi partibus, & eſt pene duos digitos tranſverſos longum: integra autem pellis pedes quatuor & amplius longa, & novem digitos lata, ubi latiſſima. Squamarum ordo & color rectiſſime convenit cum Auctoris deſcriptione.

CVRVCVCV Braſilienſibus: ſerpens octo aut novem pedes longus, & craſſior quam Boicininga; ſquamis quidem ut ille figuratus, ſed flaveſcentibus, ac per dorſum maculis nigris grandibus varie variegatus: nimirum in toto flavo macula nigra eſt grandis, in nigro duæ flavæ, in quibuſdam nigris etiam unica flava & ſic continue. In ventre ſquamas longas habet, figuræ ut Boycininga, flaveſcentes. Serpens eſt venenatus.

ANNOTATIO. Lib. xv. cap. VI. deſcript. Indiæ Occident. eundem ex auctore Luſitano ita deſcripſi: truculentus anguis & plurimum metuendus, interdum quindecim palmos longus: præcipuum illi venenum in capite, ideoque barbari intercepto quantocius caput amputant & cooperiunt humo.

BOITIAPO Braſilienſibus; Luſitanis *Cobra de cipo*; ſerpens ſeptem aut octo pedes longus, brachium humanum craſſus; teres, ac in poſtica parte inſtar ſubulæ acuminatus; coloris olivacei, in ventre flaveſcens. Veſtitur ſquamulis elegantibus quaſi triangulatis. Victitat ranis; Eſt venenatus.

ANNOTATIO. Auctor Luſitanus quem in deſcript. Americæ lib. xv. cap. VI. ſecutus ſum, vocabat *Boitiopua*, ſed docuit me alter dicendum *Boitimapua*: quaſi dicas anguem longo roſtro præditum, teres & oblongus ſerpens, qui ranis ſolummodo victitare dicitur; Barbari affirmant fœminas ſteriles reddi fœcundas: ſi lumbis illarum hic ſerpens affricetur.

Eodem capite, plures ſerpentes deſcripſi, quorum Auctor noſter non facit mentionem, curioſi requirant.

CAP. XV.

Rana. Teſtudines variæ. Crocodilus.

RANA in arboribus degens hîc reperitur, mediocris magnitudinis: tota ex flavo albicans ſuperius, at inferius per totum lutei coloris; crura poſtica medietate inferiori etiam lutei coloris, ſed tranſverſim lineis nigris variegata, ut & latera ventris.

JABOTI Braſilienſibus, Teſtudinis terreſtris ſpecies, Luſitanis *Cagado do terra*. Teſta nigra eſt tecta, cui multæ figuræ hexagonæ ſunt inſculptæ. Roſtrum habet ut reliquæ. Caput & crura ſunt fuſca, verum maculis ex umbra variegata. Iecur hujus ſaporis eſt optimi, & antecellit omnium animalium jecora ſuo ſapore.

JVRVCVA Braſilienſibus, *Tartaruga* Luſitanis; Teſtudo marina: loco pedum habet quaſi alas; anteriorum quidem quamlibet ſeſquipedem circiter longam, poſteriores vero breviores: caudam acutam conicam: oculos nigros magnos, os edentulum & inſtar roſtri volucrum. Habui quarum teſtæ tres pedes erant longæ, duos latæ & ſupra. Coſtis ipſius inſeruntur teſtæ, ad quodlibet latus octo: anteriores breviores, mediæ longiores, poſteriores iterum breviores. Ova illarum comeduntur uti & caro. Ponunt autem ova ſua ad littus maris, foveam in arena facientes & dein arena tumulantes. Sæpius inveni veſtigia illarum ex mari egredientium & retro abeuntium. Reperiuntur autem variæ magnitudinis. Habui quarum longitudo erat quatuor pedum, latitudo trium: tantæ molis ut à quatuor robuſtis viris vix poſſent moveri. Variis figuris geometricis teſtæ quaſi inſculptæ viſuntur. Quædam teſtam nigram habent ſplendentem, flavis lineis & figuris egregie interſtinctam: aliæ aliter conformatam.

JVRVRA Braſilienſibus; *Cagado d' agoa* Luſitanis: minor eſt reliquis teſtudinibus: Teſta ſuperior decem digitorum habet longitudinem, latitudinem autem novem, convexitate conſiderata: Inferior teſta novem digitos longa, quatuor & ſemis lata & plana: Ellypticam autem figuram habet ſuperior. Infra teſtam ſe abſcondere poteſt; & collum rurſus ad trium digitorum longitudinem foras extendere. Caput tres digitos craſſum, & paulo oblongius; naſus elevatus & acuminatus: os amplum; oculi nigricantes, pupilla nigra. In pedibus quatuor ungues oblongi, nigri; cauda brevis acuminata; cutis rugoſa & quaſi ſquamis conſtaret: Teſta ſuperior fuſca, inferior flaveſcens. Ova ponit ſubrotunda dimidii gallinacei magnitudine, teſta alba ut ova gallinarum, boni ſaporis ſi frixentur. Comedi aliquoties.

Accepi vigeſimo Julii anni 1639. unam & per aliquot dies batatas ipſi præbui pro victu &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tunc ova ponebat quotidie; poſtea nihil dedi, & vixit tamen ad finem Aprilis anni 1641. tantum pauciſſimam aquam interdum ſumens, & ſemper ſub tecto meo reſidens, ita ut viginti & unum menſes inediam toleraverit. Sonum edit inſtar ranæ brevem *Kick Kick*, tantum ſemel aut bis ſingulis vicibus ſonum edit, idque rarius.

JACARE Braſilienſibus, *Cayman* Æthiopibus in Congo; *Crocodilus* Latinis. Habui ſex, ſeptem, octo etiam novem pedes longos. Caput paululum compreſſum habent; os ſubrotundum ſeu ovalis figuræ. Oris hiatus amplus, nam longe ultra oculos id aperiri poteſt. Dentes habet in ſuperiori & inferiori mandibula multos, acutos, quoſdam longiores, quoſdam breviores. Mandibulam autem ſuperiorem movere poteſt: Linguam habet nullam, ſed tantum membranam, quæ mandibulæ interiori interjacet & linguæ figuram refert, quam tamen ſuſtollere non poteſt. Oculos habet magnos rotundos, claros (non ſuillos) cæſios, pupilla nigra: quatuor crura & pedes, quorum duo anteriora teneriora ſunt (ne nimium graſſari poſſet) breviora & quinque digitos continentia in pedibus, quorum tres interiores ungues nigros habent more avium, duo exteriores carent unguibus: poſteriora crura craſſiora & longiora, quatuor digitos continentia, tribus itidem unguibus nigris inſtar avium, unus exterior caret ungue. Corpus autem in longam extenditur caudam. Totum corpus veſtitur cute ſquamata, ac in capite & tota ſuperiori parte corporis, ac cauda loricata. In toto autem inferiori corpore ſquamæ quadratæ fere ſunt, atque ad tactum molles & glabræ: in lateribus varias rotundas figuras habent ſquamæ ac tuberculis ſcatent, & ſunt partim nigri, partim flaveſcentis coloris. Eodem modo ſe habet in caudæ lateribus, & cruribus. Superius autem caput firmiſſimum, munitum teſta, ex nigricante & flavo mixti coloris: Collum ſuperius itidem tuberculis majoribus exornatis ſquamis veſtitur. Totum dorſum autem cum magna parte caudæ, tranſverſim multis parallelogrammis longis tegitur; ſuntque illæ ſquamæ duræ ex flavo & nigricante mixtæ, ac talibus certis intervallis exaltatæ. Ultima caudæ medietas, firma pinna ſuperius erecte ſtante ad finem uſque dotata eſt: qua inter natandum, more piſcium, ſe gubernat. Eſt autem illa pinna multis ſquamis quaſi compoſita, flavi coloris & eleganter variegata lineis nigricantibus. Tota porro cauda quaſi annulis nigricantibus cingitur, reliqua pars interjacens eſt flava, itidem elegantibus ſtriis nigricantibus intertexta.


Carnem habet albam inſtar piſcis, nec plus ſanguinis quam illi in parva quantitate. Nigritæ comedunt carnem. Ova ponit gallinaceis fere majora, figuræ pene cylindricæ, eſui apta & boni ſaporis, quæ comeduntur: teſtam habent albam, tuberculis quaſi inſignitam, duriſſimam. *Sæpius* viginti octo, aut triginta in uno nido invenias.

In ventriculo hujus animalis cancros multos inveniebam, & ungulas alicujus animalis.

ANNOTATIO. Vide quæ lib. v. Deſcript. Ind. Occidental. cap. IV. dixi de hoc animali è Fr. Ximine; & obſervavi remedia quæ ex glandulis illius ſub gutture poſitis præparantur: atque etiam è ventriculo illius: ſed præterii tum quod idem ſcribit; animal hoc cum alio cibo deſtituitur, devorare lapillos, eoſque ſæpe in ventriculo illius reperiri ſemiconcoctos; quorum pulvis hauſtus ſingulare remedium ſit adverſus lapides qui in renibus hominum naſcuntur.

Amore pinima.


Hujus ſerpentis tantum iconem inveni ſine ulla deſcriptione; niſi quod pictor addiderat, duos & ſemis pedes longum eſſe & cutem illius fuſcam, maculas autem luteas interius, in ambitu autem brunnas.



APPEN-

APPENDIX
DE
Ovibus Peruanis & Chilenſibus.

CUm in deſcriptione Indiæ Occidentalis de animalibus agerem Peruviæ peculiaribus l. x. c. iv. Ex Acoſta qui omnium optime ſcire poterat dedi hiſtoriam ovium Peruvianarum, ut vulgo audiunt; & quidem duas eſſe dixi illarum ſpecies: unam quæ lanigera ſit & Paco appelletur, alteram quæ pene nuda levibus tantum villis tecta eſt. Prioris generis etiam in Chile reperiuntur; ſed antequam de Chilenſibus dicatur, operæpretium fuerit, poſterioris quoque, ut ego autumo iconem & deſcriptionem ex Epiſtol. P. And. Mathioli huc traducere ut differentia facilius pateat. Is itaque lib. v. Epiſtol. ad Ioan. Odoricum Melchiorium, &c. ita inſit: Emit Sereniſſ. Princeps meus paucis ante diebus, à Theodorico quodam Neus Colonienſi, animal quoddam quod ille ex Peru occidentalium Indiarum regione primum eſſe allatum & inde Mittelloburgum Selandiæ civitatem aſſerebat.



Refert hoc animal partim camelum, partim cervum, adeo ut recte quidem græco idiomate ἐλαφοκάμηλον appellari poſſe crediderim. Longitudo totius corporis à cervice ad caudam ſex pedum eſt: altitudo vero à dorſo ad pedis plantam quatuor tantum, & colli longitudo à ſcapulis ad cervicem, duûm. Capite, collo, ore, ſuperioris præſertim labii ſciſſura, ac genitali Camelum fere refert. At caput oblongius eſt: aures habet cervinas, oculos bubulos. Anterioribus dentibus in ſuperiori mandibula caret, ſed molares utrimque habet ut biſulca fere omnia, & ut illa etiam ruminat. Dorſo eſt ſenſim prominente quod per incuriam à pictore neglectum eſt. Scapulis prope collum depreſſis, lateribus tumidis, Ventre lato clunibus altioribus: & cauda brevi ſpithamæ fere longitudine: quibus omnibus cervum fere refert, quemadmodum etiam cruribus, præſertim poſterioribus, pedes illi biſuci ſunt, diducta anteriori parte diviſura. Ungues habet acuminatos, qui circa pedis ambitum in cutem craſſam abeunt. Nam pedis planta non ungue ſed cute ut in multifidis & in ipſo Camelo contegitur. Retromingit hoc animal ut Camelus & teſtes ſubſtrictos habet. Pectore eſt amplo, ſub quo ubi thorax ventri connectitur, extuberat globus, ut in Camelo, vomicæ ſimilis, è quo neſcio quid excrementi ſenſim manare videtur. Color colli, cervicis, pectoris & anteriorum crurum eſt illi albus, reliqui vero corporis ſubruber, vel ex nigro rufeſcens. Roſtro tamen eſt nigro & anterioribus cruribus à genu albicantibus. Cicur ac manſuetum eſt animal, ſed frigoris impatiens, ut alia quæ ad nos è calidis regionibus afferuntur. Neminem offendit: ſed miro admodum ingenio ab illata ſe vindicat injuria. Nam ubi aliquis illud vexet, vel circa clunes opprimat, non calcibus aut morſibus ſe defendit, ſed vomitu vel cibi vel humoris in vexantem retrorſum cum impetu ejaculato, ob protenſam colli longitudinem. Salaciſſimum hoc eſſe animal, id mihi conjecturam facit, quod cum ſui generis fœmellis ſit deſtitutum, magna cum prurigine capris ſe commiſceat, non tamen erectis, ut alias capræ hirco aſcendente ſolent, ſed humi ventre accubantibus, ita cogente animali anterioribus cruribus. Itaque ſuperaſcendens coit, non autem, ut falſo de retromingentibus animalibus affirmat Ariſtoteles, averſis clunibus. Adeo venere vernali autumnalique tempore ſtimulatur hoc animal, ut illud viderim humile quoddam præſepium avena refertum conſcendiſſe, genitaleque illi magno cum murmure tamdiu confricaſſe, quouſque ſemen redderet, plurimis una hora replicatis vicibus. Non tamen concepere capræ hujuſce animalis ſemine refertæ, quod, ut puto, vi coactæ illi proſtiterint continuo balantes, tum quod cum hoc animali earum non conveniat ſpecies. Indicam ovem appellabat hoc animal, qui illud ad nos advexit, atqui à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

noſtris ovibus quantum diſtet, tu ipſe judicare poteris. Hactenus Mathiolus. Ab his autem plurimum differunt oves illæ Chilenſes, quarum hanc iconem noſtri attulerunt ad vivum expreſſam.



In qua obſervandum omnia ſatis quadrare, quo ad corporis compoſitionem; præterquam quod poſtici pedes ungulas biſulcas habeant, priores autem in quatuor diviſos ungues & quod prolixis admodum villis lanæ veſtiatur, quam imprimis commendant. Cæterum natura bene convenit cum præcedentibus, ita ut haud dubium ſit unius generis animal eſſe, tantum ratione cæli ſub quo degit variare: niſi forte inter utrumque ſit diſtinctio illa, quam obſervavimus in deſcriptione Ind. Occidentalis; ut omnino exiſtimo. Sputum ejaculatur in vexantes; & ſcribit P. Alonſo d'Ovaglie in Hiſtorica Relatione Regni Chile, vulgo credi in parte corporis humani quam ſputum illud contigerit ſcabiem generari: quæ reliqua ſunt de hoc animali dicenda, pete ex Hiſtoria noſtra novi Orbis.

GEOR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

GEORGI MARCGRAVI HISTORIÆ RERUM NATURALIUM LIBER SEPTIMUS,

Qui agit de Inſectis.

CAP. I.

Iaaciaiira. Iatebucu. Tucuracu. Tucurobi. Gaayara.

IAACIAIIRA Braſilienſibus, *Eſcorpion* Luſitanis, Scorpio: frequens in ædibus hîc & notabilis magnitudinis, ita ut vix credam alibi majores reperiri: Viſuntur enim quinque aut ſex digitos longi & ſatis craſſi. Crura habent octo & duo brachia cum forcipibus, quæ longe extendere poſſunt: caudam longam arcuatam cum duobus aculeis.

Contra illorum puncturas ipſummet prodeſt oleum Scorpionum, factum ex oleo olivarum in quo Scorpiones fuerunt macerati; & etiam Scorpio in minimas teratur partes & affricetur parti in qua punctura eſt.

JATEBUCU Braſilienſibus, Ricinus, Græcis κροτὸν, Luſitanis *Carrapato*, Gallis *Morpion*; beſtiola fœda; lentis magnitudine, ſubrotunda, plane compreſſa; octo cruribus prædita, capite quadratæ figuræ prominente, quo ſe cuti inſinuans & cruribus arcte adhærens, roſtro ſuo longo, tereti, quod ejuſdem figuræ corpus in quolibet latere habet, in quacunque parte corporis ſugendo ſe ingurgitat ac inſignem ibi excitat pruritum, ita ut ex cute extracta per quinque vel ſex dies eo loco ſanies profluat & vix duodecim aut quatuordecim diebus locus, licet ſponte, perſanetur. Coloris ſunt fulvi ſive hepatici, punctulata ſeu tuberculata cute, verſus interiora in dorſo, ſplendentem, triangularem, luridum clypeum habentes. Capitulum quoque luridi coloris: non male figura ſua referunt teſtitudinem terreſtrem. Innumeri hîc ſunt ac ſæpiſſime corpus habui plenum. Æſtivis enim & pluvioſis menſibus modo quis ſemel in campis aut ſilvis humi conſideat, ſtatim plenus fit ejuſmodi inſectis. Uno tamen tempore majori copia reperiuntur quam altero. Ariſtoteles in Hiſtor. Animal. è gramine oriri ſcribit, ſed errat.

TUCURACU Braſilienſibus, *Gafanhoto* Luſitanis: Locuſta eſt quatuor digitos longa: crura habet ſex, duo priora prope collum breviſſima omnium, ſeſquidigitum aut paulo plus, ſingula longa: media duo paulo longiora & poſteriora duo longiſſima, nimirum quatuor digitorum, retro reflexa, quibus ſaltum exercet, quodlibet conſtat tribus internodiis. Pedes ungulam equinam fere referunt, duobus unguiculis lateralibus. Crura poſteriora ſunt craſſiora, & medietas ultima eorum acutis denticulis alternatim, duplici ſerie munita. Alas habet quatuor, ſupra tres digitos longas, exteriores plus ſemidigito latas, quibus interiores duas tegit, quæ tripliciter complicatæ & ſeſquidigitum fere ſunt latæ. Caput habet quaſi equinum, oculis binis prominentibus, ovalis figuræ: barbam cancrinam ſeſquidigitum longam. Circa collum tegumentum inſtar cuculli monachorum, demiſſi à capite & corrugati. Venter conſtat octo ſectionibus. Totum corpus eſt viride, inferius ac in dorſo miniati coloris. Cucullus ille cum capite dilute viridis coloris, ut & barba & duo crura priora, reliqua duo paria crurum etiam viridia, ſed maculis albis & fuſcis punctata, pedes rubeſcunt. Oculi colorem habent qualem lapis Bezoar. Alarum exteriorum color cinereus mixtus multo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

rubro, fere myagridis floris modo, ac multis venulis ſunt intertextæ: interiores alæ egregie rubro, nigro, cinereo, viridi maculatæ teſſulatim. Fortitudo Locuſtarum in poſterioribus cruribus conſiſtit: more felium pedibus prioribus caput & barbam ornare ſolent.

Reperitur hîc & Locuſta fuſci coloris, præcedente tamen paulo minor, ejuſdem licet conformationis.

TUCUROBI Braſilienſibus, alia Locuſta plane viridis ut folia arborum, corpore breviori quam major illa: alæ quatuor illi foliis ſimiles, crura ſex, collare complanatum, non autem ut cucullus, corrugatum.

GAAYARA Braſilienſibus: alia Locuſta inſtar Cameli, plane viridis: corpus vix digitum longum, collo longo & erecto inſtar Cameli, nimirum digitum longo: caput triangulare, oculis prominentibus, lenticularibus, fuſcis. Crura habet ſex, duo in ſummo fere collo, unum digitum longa, tribus internodiis conſtantia & denticulata in extremitatibus: reliqua duo paria viridia, liventia, quaſi folia ſicca.




Reperitur hîc & ejuſdem figuræ, coloris luridi, ſeu ut arboris folium deciduum.

ANNOTATIO. Hæc eſt ex earum genere quæ *Mantes* appellantur, de quibus vide Theatrum inſectorum Thomæ Mouffeti pag. 118. ubi & rationem reddit cur *Mantes* dicantur. Hæc autem Auctoris noſtri collum habet longiſſimum.

CAP. II.


Enena duæ ſpecies: Enena raræ conformationis. Alius Taurus volans.

ENENA Braſilienſibus; *Eſcaravelha* Luſitanis: Taurus volans. Totius corporis longitudo plus duorum digitorum Rhynlandicorum, craſſities autem fere quatuor. Totum corpus ſplendide nigrum, ſed pilis flaveſcentibus opertum, ita ut flaveſcens videatur. Sex habet pedes *(ſeu crura)* duos anterius verſus, duos ad latera fere directe extenſos, & duos poſt ſe extenſos, nigros omnes, ſplendidoſque & ſuperius raris pilis præditos; in quolibet autem pede tres ungues, cum parvulo digito, qui quaſi tertius unguis: ſuntque crura variis denticulis armata. Vnius fere digiti intervallo à capitis initio (quod minimum) ſectio eſt corporis. Capitale cornu habet magnum, & in extremo ſectum, nigrum & ſplendidum, unum pene digitum longum: oculos nigros eminentes & prope illos duos cirrhos extentos, ſingulos tribus apicibus, qui in extremitatibus ſunt fuſci. Prima ſectio corporis tricornis, in ſummitate anteriori habens cornu protenſum & paululum deorſum flexum, longitudine dentis humani, & utrimque ad latera unum, ejuſdem magnitudinis. Alæ ejuſdem coloris cum toto corpore, piloſæ ac duræ. Poſterior ſectio corporis inferius multas habet diviſuras. Prior ſectio ſuperne magis ruſeſcit pilis, poſterior autem magis flaveſcit.



TAURUS volans alius hîc reperitur, paulum diverſus à priori: in toto corpore ſuperiori obſcure caſtanei ſeu nigricantis ſplendentis coloris, in infimo per totum caſtanei coloris ſplendidi. Totius corporis longitudo, duorum & ſemis digitorum, craſſities circiter quatuor. Corporis anterior ſectio, unum digitum longa. Caput parvum: oculi nigri ſplendentes, non tamen prominuli, ut in priori: prope oculos duos habet cirrhos ut prior; proxime caput

caput cornu erectum & paululum verſus poſteriora reflexum ſemidigitum longum; & ad latera in ſectione anteriori ſuperius verſus poſteriora reflexum ſemidigitum longum; & ad latera in ſectione anteriori ſuperius verſus utrumque cornu craſſum erectum, paulo brevius & obtuſius quam prius illud. Alas habet ut alter & corpus ita conformatum: Crura ſex tribus juncturis, & tribus digitis & uno minimo pro quarto: media crurum pars inter ſecundam & tertiam juncturam aculeis pyramidalibus munita: integra autem crura ſunt hirſuta pilis caſtanei coloris, uti & circa os ac in ſectione corporis.



TAVRVS hîc quoque alius reperitur raræ conformationis: magnitudo illi eadem cum prioribus; craſſo & rotundo ventre: Crura habet ſex, ſingula duabus juncturis conſtantia: anteriora autem quinque proceſſus acutos quaſi digitos habent, quibus terram fodiendo citiſſime ſub eam ſe ingerunt. Alas habet duas ſtriatas; & in prima ſui corporis ſectione eminentiam ſellæ-formem & ante illam foveam ſeu cavitatem ſubrotundam, avellanæ majoris capacem, in qua magnus numerus fœtuum vivorum viſitur, coloris brunni & filamentis quibuſdam in fovea annexorum, qui magnitudinem referebant ſeminis papaveris, ſed Megaſcopio quilibet inditus magnitudinem oſtendebat piſi, eratque omnibus numeris abſolutus & cornutus ut parens. Caput ſemilunaris fere figuræ & compreſſum, cui cornu impoſitum, ſatis craſſum & plus digito longum, erectum, ſed in ſummitate paulum verſus poſteriora inclinatum. Pone cornu hujus exortum, in quolibet latere oculus grani milii magnitudine, rotundus, niger, ſplendens. Totum autem corpus, crura & alæ ſunt inſignis ſplendentis coloris, ex nigro, viridi, & aureo mixti; eſtque totum ſubtiliſſimis pilis veſtitum.



Validiſſimus eſt, nam ſcatulæ craſſæ à me incluſus, ac latere cocto craſſo impoſito nihilominus ſe ſemper exſerebat, ut funiculis fuerit coërcendus. Hirci pene odorem de ſe fundit.

TAVRVS volans alius. Crura habet ſex, quatuor in poſteriore, & duo in anteriore ſectione corporis: pedes deſinunt in duo lunata cornicula: ſingulaque habent tenuius tenacu-




lum. Anterior ſectio digitum longa in cornu deſinit duos & ſemis digitos longum, teres & paulum deorſum incurvatum, & duos habens veluti dentes verſus poſteriora. Inferius in antica parte corporis, ſub exortu hujus cornu, jungitur caput, parvum quidem, ſed & cornu habens ſurſum incurvatum, duos fere digitos longum, cum proceſſu tripartito in ipſo acumine. Oculos habet rotundos, nigros, ſplendentes, ſeminis cannabini magnitudine, pone oculos autem duos proceſſus coniformes, contortos, poſterior ſectio duos digitos eſt longa, atque alis craſſis tecta, cum anterior ſectio glabra & ſolida teſta tegatur quæ & in cornu extenditur.

ditur. Tota autem anterior ſectio cum cornibus, capite, & cruribus atque inferiore ventre, nigri & ſplendentis eſt coloris, & ſuperius ſeu longum cornu, verſus inferiora, villoſis pilis, obſcure flavis ſive luteis veſtitur, ita ut ad tactum holoſericum referat. Junctura ad caput quoque villoſa; crura autem & infimus venter brevioribus veſtitur pilis obſcure flavis. Alæ exteriores conſtant teſta colore fructus olivarum, cui obſcure flavum admixtum, & variegantur ſparſim punctulis fuſcis. Cornua illa duo magna conjungere poteſt & illis aliquid tenere.

CAP. III.

Nhamdu ſive variæ Araneorum ſpecies. Tunga ſive Bicho.

NHAMDU GUACU Braſilienſibus, Araneus maximus ſive Phalangium. Totum corpus tres & ſemis digitos longum & biſectum. Anterior pars major eſt & pene duos digitos longa, ſeſquidigitum lata, ſubrotunda ac compreſſa: poſterior magis orbicularis, nucis Muſcatæ majoris magnitudine & figura. Seſquidigitum longa. In dorſo medio verſus poſteriora foramen habet umbelicale. Capite caret ſpeciali, ſed ſupra os in anteriori parte corporis ocellos habet minimos ſplendentes, inſtar punctulorum; & ad utrumque oris latus, prominentiam unguiformem, ſemilunarem, ſemidigitum longam, in extremitate dentatam, dente ſemilunari nigerrimo ſplendente, ſemidigitum longo, & ita binos dentes, quibus pro dentiſcalpiis utimur auro incluſis. Crura habet decem, utrimque quinque, priora duo prope dentes duos digitos longa, & præter duplicem articulationem qua corpori conjunguntur, quatuor habentia internodia & in extremitate unguiculum curvum, nigrum, ſplendidum retrorſum verſum. Secundi paris crurum, quodlibet pene quatuor digitos longum & præter duplicem articulationem prope corpus, alias quatuor habet articulationes. Tertium par tres & ſemis digitos longum, totidem articulationibus, quartum par tres digitos & paulo amplius longum, cæterum ut præcedentia: omnia autem crura in extremitate duo habent exilia cornicula nigra & biſecta ut Cancri. Prope anum habet duos proceſſus ſemidigitum longos juxta ſe poſitos, fili craſſioris craſſitie, quibus nere ſolet. Totus araneus veſtitur cute piloſa brevibus pilis, nigris ad viſum, ad tactum inſtar holoſerici. Per totam autem ſuperficiem crurum partis poſterioris, laterum & proceſſuum, qui dentes continent, pili copioſi ſunt inſparſi, ex albo & gryſeo rubidi coloris. Tota poſterior ſectio corporis in adultioribus plerumque nuda eſt pilis, & cutis ex albo incarnata. Veſcuntur muſcis & aliis inſectis. Diu vivunt: nam ad biennium in Scatula me aluiſſe memini, qui certo tempore cutem exuerunt integram, dentibus etiam adhærentibus, nova ſubtus generata. Cutis exuta Araneum repræſentat, nam ſolum inferius ſciſſa eſt, ubi Araneus exivit.



Vbique hîc reperitur, ſed frequentiſſimus in Inſula S. Alexii.

ANNOTATIO. Habui aliquoties Araneum hunc vivum è Braſilia ad me miſſum, quem cum muſcis alerem, non potui tamen animadvertere illum eas comedere, & per aliquot menſes cum inediam toleraſſet tandem emaciatus plane mortuus eſt: in capſula qua illum concluſeram, nunquam nevit, ſed cum ſemel ex illa ſe proripuiſſet, & ad feneſtras aſcendiſſet, cæpit ibidem nere.

NHAMDUI Braſilienſibus, araneus magnitudine Cincindelæ; clypeum in dorſo gerit triangularem, ſplendidiſſimum, in laterum circumferentia ſex conis acutis præditum albi coloris, cui brunnæ maculæ immixtæ. Ad os habet denticulos duos nigerrimi & ſplendidi coloris, incurvatos.




ARANEUS valde elegans, Cincindelam ſuperat magnitudine; corpus vix ſemidigitum longum; anterior ejus ſectio minor continet crura octo, duobus internodiis conſtantia, fere digitum longa, ex flavo & brunno variegata. Poſterior ſectio major: prior tota argentea, ſplendens: poſterior ad medietatem etiam tota argentea, & in hac ponendo poſteriorem partem deorſum, quaſi facies humana egregie

egregie apparet, quaſi ſculpta & argenteo eſſet obducta: reliqua medietas quaſi ex argenteo & brunno glaciata. Similis quoque mixtus color in inferiori corpore. Inveniuntur & duplo majores.

Araneus alius figura præcedenti ſimilis hic reperitur, major tamen. Anterior ſectio corporis parva, magnitudine ſeminis cannabini, ſed paulo longior; poſterior avellanam majorem æquat: & anterior ſectio ut & poſterior ad medietatem argentei coloris ſplendidi, ultima poſterioris medietas flavi & maculis duabus argenteis notata, in quolibet latere una; cæterum in flavo illo ſubtilibus lineis fuſcis variegato, varia ſibi imaginari quis poteſt. Crura octo variegata ex pallide flavo & fuſco, omnia in anteriori ſectione: tenacula ad hæc duo prope os, ejuſdem coloris. Telam facit more cæteris communi.

ARANEUS alius, fabæ magnitudine, frequentiſſimus in ædibus. Prior corporis ſectio ſubrotunda æquat piſum, altera longior & fabæformis. Crura habet octo, in quolibet latere quatuor, ſeſquidigitum longa, tribus internodiis conſtantia & quartum eſt inſertio in corpus. Anterius etiam duos propedes habet, vix quartam partem crurum longos, quibus apprehendit: duos denticulos nigros, ut maximus. Totus eſt coloris ex flavo, albo & ſaturato rubro inſtar holoſerici fuſci detriti: piloſum corpus, uti & crura. In ſuperiore corpore magnas habet maculas nigras; crura quoque per intervalla punctulis nigris notata. Hi quoque Aranei cutem exuunt, ut major ille.



Fœtus in orbiculari folle ſub ventre progenerant. Noctu texunt. Reperiuntur & hujus ſpeciei, dimidiæ magnitudinis.

Araneus paulo major muſcis vulgaribus, cinerei coloris, hirſutus inſtar holoſerici. In lateribus nigro ſerico veſtitus. Crura habet ſex, brachia duo, quibus apprehendit, cinerei in totum coloris, punctulis nigris.

Araneus denique & hîc reperitur parvulus teſta clypeata tectus, inſtar teſtudinis terreſtris, magnitudine piſi, teſta ſexangula: capitulum & crura ſunt nigra: teſta argentei coloris cum maculis nigris elegantiſſimis.

TUNGA Braſilienſibus, *Bicho* Luſitanis: Inſectum parvulum, figura pulicis, nigricantis coloris, duos cirrhulos in capite pro barba habens, in pulvere more pulicum generatur, & pedibus ſe inſinuat, potiſſimum plantæ, digitis & ſub unguibus, imo & manibus aliquando vidi. Statim autem quando intravit pruritum excitat, qui certum indicium eſt, itaque *Tunga* ſtatim acicula eruenda, nam ſi ſinatur, tridui aut quatridui ſpacio ſobolem progenerat innumeram, lendium modo, quæ folliculo pellucido rotundo magnitudine piſi includitur, huic inſidet *Tunga*; hîc folliculus acu eruendus & manet in carne foramen rotundum ejuſdem magnitudinis, quod ſponte ſanatur, vel inſpargitur pulvis pyrius. Crepitant unguibus icti ut lendes. Familiariſſimum malum, ſed quod magis per negligentiam incrementum ſumit quam per ſe.


ANNOTATIO. Pleræque Regiones Americæ huic malo ſunt obnoxiæ, & beſtiola hæc variis nominibus appellatur, de quibus vide Deſcription. noſtram Americæ, lib. I. cap. IV. ſub nomine *Niguæ*, & lib. XV. cap. VI. ſub nomine *Ton*.

CAP. IV.

Panapanamucu. Panama. Atque aliæ Papilionum ſpecies.

PANAPANAMUCU Braſilienſibus, papilio ingens. Corporis, quod biſectum, longitudo eſt trium digitorum, craſſities, ubi maxima, fere duorum. Pyramidalis figuræ: caput habet parvum, nuclei ceraſini magnitudine: oculos magnos rotundos, nigros non ſplendentes, prominentes, magnitudine ſeminis cannabis: nigredo autem apparet duplex in oculis prout vertuntur: ſuperius in capite calvitiem glabram & brunam & duo cornicula ſeſquidigitum longa, quæ verſus poſteriora vertit; os non tranſverſum, ſed ſecundum longitudinem, in quod pro libitu recondit & exſerit promuſcidem, brunnam, fili craſſioris craſſitie, plus quinque digitis longam, quam in ſpiram convolvens recondit in oris rima. Alas obtinet quatuor, duas priores ſeu ſuperiores longiores, nimirum tres digitos & ſemis, ſeſquidigitum latas: membrana conſtantes ſatis craſſa, & per longitudinem quaſi coſtis ſuſtentatæ. Crura illi ſex priora ſeſquidigitum longa, reliqua duos; conſtant autem duabus juncturis, ad quarum poſteriorem tres aculei proſtant.

Totum corpus & alæ veſtiuntur pilis molliſſimis, qui tacti facile decidunt, ſuntque ex fuſco cinerei coloris, cum nigro mixti, in toto ſuperiori corpore & extus in alis: in ventre autem albicantis cum pauxillo flavo mixti: ſub alis cinerei maculis flavis. Poſterior corporis ſectio ſeptem quaſi diviſuras habet, ad quarum quatuor anteriores, in quolibet latere macula extat flava.



PANAMA Braſilienſibus, *Barboleta* Luſitanis, papilio communis: Innumeri hic reperiuntur & diverſorum colorum; omnes quatuor alis, duobus corniculis, ſex cruribus, & filo convoluto ad os. Habui cui corpus erat longum tres quartas partes digiti; cornicula fuſca, uti & venter & crura, aſpergine cana; dorſum canum punctulis nigris: Alæ ſuperiores, ſuperius aſpergine cani, inferius incarnati coloris, ad oras fimbria nigra & nigro punctulata: Alæ inferiores ſuperius albæ, maculatæ nigro, inferius quoque albæ multo nigro maculatæ & itidem maculis incarnatis; ſuperiorum longitudo fere unius digiti, inferiorum paulo minor.

Dantur & plane albi punctulis variegati fuſcis.

Habui albos paulum flaveſcentes, quorum alæ ejuſdem coloris, ſed ad venas hinc inde diſcurrentes obſcure luteo variegati. In circumferentia autem alarum quaſi fimbria nigro & albo variegata.

Habui corpore mediocri, alis maximis, & plus duobus digitis longis, & plus quam ſeſquidigitum latis: erant autem eæ in inferiori latere obſcure flavi coloris & undatim variegatæ punctulis purpureis, fuſcis, lineis nigricantibus, maculis aliquot fuſcis, una cinerea, pauco albo ad unum latus & circum circulo flavo, hinc linea nigra circumducta, oculum ementiente. Alteri lateri alarum idem color, ſed ad oras plus fuſco undatus fimbriatim, & per medium ambitum cœrulei coloris.

Habui quorum alæ inferiores interius flavæ, fuſco intermixto & maculis variarum figurarum plane argenteis ſplendentibus: exterius eædem luteæ fuſcis maculis variegatæ. Alæ ſuperiores interius verſus extremitatem fuſcæ, maculis argenteis intertextæ; in medio latere maculis nigris, circa exortum cinnabrii coloris maculis nigris, in quarum medio puncta argentea; exterius itidem luteæ maculis fuſcis ut inferiores alæ. Horum innumerabilem copiam habuimus in horto Mauritiæ Decembri 1640. qui folia Murucujæ maximam partem abſumſerunt & innumerabilia ova poſuerunt, ex quibus primum erucæ & ex his ſecundo papiliones prognati. Ponunt autem ova ſuper folia Murucuja papaveris minoris magnitudine, lutea, affiguuntque foliis arcte: ex ovis fiunt erucæ parvæ hepatici coloris, quæ in craſſitiem pennæ anſerinæ excreſcunt, nigris aculeis hiſpidæ, capite nigro bicorni, per corpus quaſi ruffo punctulatæ; hæ abſumunt folia Murucuja, & morientes gryſea obducuntur pelle ſeu folliculo, qui poſt certum tempus ſe aperit & prodeunt denuo papiliones alati.

Papilio alius totaliter nigri coloris: magnitudine corporis æqualis mediocri olivæ; alis quatuor, cruribus ſex, corniculis duobus. Alæ anteriores triangulares, ut in aliis, poſteriores oblongæ, in fine proceſſum inſtar ligulæ habentes. Corpus ſecundum longitudinem ſuperius tres habet lineas virides in nigro, cui viridi aureus perſplendet. Alæ anteriores tranſverſim habent lineas virides, aureo perſplendente, anguſtas, ultima triplo eſt latior: alæ poſteriores verſus interiora, ſtrias ejuſcemodi latas habent virides: verſus exteriora autem tranſverſales latas virides cum aureo colore tranſplendente, circum circa autem fimbriam albam, quæ & proceſſus ambit.

Panapanamucu Braſilienſibus, figura primo plane ſimilis, ſolum minor & colore differens; duos digitos longus. Caput & anterior ſectio cinerei coloris, tribus ſtriis olivacei coloris craſſis, ſecundum longitudinem variegata: poſterior quinque habens diviſuras, ſuperius olivacei coloris, una linea craſſa cinerea ſecundum longitudinem notata, diviſuris

pallide


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

pallide flavis: inferius autem corpus totum cinereum, pauxillo ruffo admixto. Alæ majores ſunt obſcure olivacei coloris, ſtriis variegatæ è cinereo ruſeſcentibus; inferiores thalaſſino, nigro, rubro, cinereo variegatæ. Crura & cornicula cinerea: oculi nigri. Cirrhus obſcure pallidus. Ad tactum ſe habet inſtar ſerici villoſi.

CAP. V.


Arumatia duplex. Iſocucu. Varii vermes.

ARVMATIA Braſilienſibus, corpus habet teres atque tenue, ad aſpectum inſtar virgulæ è Betula; quinque digitos longum: capitulum figura à reliquo corpore non diſtinctum; oculos parvos, nigros & ante illos duo tenuia cornicula, directe antrorſum, unum digitum longa; capitulum unica junctura corpori nectitur. Totum corpus juncturas habet duode-



cim, primam qua caput corpori jungitur, ſecundam ſtatim poſt hanc, tertiam ſeſquidigitum à ſecunda, hinc per reliquum corporis ſpacium ſequuntur adhuc novem juncturæ, brevibus intervallis, uſque ad extremum corporis, ubi duo breves aculei exſerti. Crura habet ſex, ſingula quinque digitos longa; & juncturas habent quatuor, unam prope corpus, deinde duorum digitorum ſpatio alteram, poſteriorem tres digitos longam: in extremitate autem unguiculus eſt duobus corniculatis unguibus: junguntur autem corpori, primum par ad ſecundam juncturam, alterum ad tertiam, tertium ad quartam. Color inſecti eſt in totum cinereus ſeu gryſeus & ſuperius per longitudinem lineæ nigræ ordine ductæ; Crura etiam hinc inde in gryſeo quaſi nigro maculata.

Inveniuntur majores eo quem jam deſcripſi, habui enim ſeptem digitos longum, & fere minimum digitum craſſum, capite obrotundo, ocellis prominulis, duobus corniculis longis



ſeu pilis. Crura habet ſex; corpus internodia duodecim, prima junctura eſt capitis & corporis, mox ſequitur alia, in quam & capitis junctura in duo brachia, quibus & pedum loco utitur adnexa ſunt, quodlibet duos & ſemis digitos fere longum: tertia junctura longius ab hac diſtat, habens & duo crura; quarta itidem par crurum habet: ſequuntur cæteræ. Corpus denique deſinit in acumen & habet aculeum, quem quaſi in vaginam recondit. Color ligneus, tuberculis quoque parvulis corpus ſcatet, præcipue inter brachia & ſecundum par crurum. Si hominem feriat aliquem tremorem excitat in toto corpore: non facile autem alicui nocet, niſi quis manibus premat aut pedibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ISOCVCV Braſilienſibus, Vermis eſt quatuor digitos longus, pollicem craſſus, novem flexuris conſtans, cujuſmodi lumbrici: craſſities ubique æqualis, cauda deſinit in tres aculeos complicatos. Superius in corpore prope caudam corniculum habet durum, eminens. Caput è cute eminet fabæ magnitudine & figura; os minimum ut cicadarum, oculi nulli, pedes breviſſimi in anteriori parte ſex, inter ſingulas duas juncturas duo; & octo habet prominentias inſtar parvarum verrucarum, inter ſequentes juncturas. Cute tegitur tranſverſis rugis prædita & in utroque latere inter duas ſingulas flexuras punctulum flavum ovale, magnitudine ſeminis milii fere. A corniculo quod prope caudam eſt, tranſverſim ad ventrem in utroque latere linea ex albo flaveſcens & craſſa abit, per totum autem dorſum tendit linea albicans ſecundum longitudinem. Color totius cutis in dorſo mixtus è cinnabrio ſaturato & albo, in lateribus & ventre vireſcit, uti & cauda: caput è viridi albeſcit, progreditur rependo.

Habui ejuſdem ſpeciei minorem, elegantis viridis coloris, punctulis nigris & lineis tranſverſis albis inter duas quaſlibet juncturas in lateribus.

Nec non unum ex viridi & albo mixtum, duabus lineis flavis ſecundum longitudinem, ut & ſimilibus obliquis. Excernit viride excrementum, figura inſtar mororum.

ISOCVCV Bombyx eſt, unde & Braſilienſes ſericum vocant *Iſocurenimbo*: & habui unum Ianuar. 1642. qui incluſus erat folliculo ellyptico, duos digitos longo, pollicem craſſo, coloris exterius argentei, lanuginoſo, interius glabro conſtante ex plurimis texturis obſcure flaveſcentibus, quæ digitis detractæ in ſericum abeunt, more ſerici quod Bombices noſtrates faciunt. Inſectum intra contentum mortuum erat, inane, vel niſi cute conſtans brunna.

Detinui prius deſcriptum in vitro per aliquot dies & exuit cutem ſuam effundendo ſimul copioſam nigerrimam materiam aquoſam: & cutem brunni coloris accipiebat. Reperiuntur quorum color totus ater ad aſpectum inſtar holoſerici, novem per corpus lineis tranſverſalibus flavis ordine diſtinctus. Caput, cauda & pedes cinnabrii coloris, ſuper plantas vivit, item quorum color niger, ſed circellis ſeu annulis cinereis ſubtilibus inordinate variegatus. Item totus ater inſtar holoſerici & ſecundum longitudinem quaſi aureis limbis intertextus.

CAP. VI.

Formicarum variæ ſpecies. Tapiîaî. Cupiâ. Iapuruca.

FORMICÆ hîc ſunt tanto numero, ut à Luſitanis *Rey do Braſil* appellentur; quippe in campis, in ſylvis ita frequentes ſemitæ à formicis factæ ſunt & fiunt quotidie; quemadmodum apud nos faciunt pecudum greges; quin imo aggeres & tumulos ingentes è terra exſtruunt, in modum metarum fœni: qui cumuli à Braſilienſibus appellantur *Inhſaube*. Omnivoræ ſunt, nam & fruges, fructus, carnes, piſces, reliqua inſecta, ut Scorpiones, Scolopendras, &c. ſine noxa depaſcuntur, ſive ſint venenata ſive non, uti millies ipſe obſervavi: acidis tamen abſtinent fructibus ut Ianipaba, quam numquam viſæ ſunt attingere, & ſimilibus.

Reperitur hic Formica volans, unum digitum longa; corpus biſectum, & tenui ligamento ſectiones conjunguntur, caput triangulatum nectitur corpori. Dentes habet duos prominentes inſtar falcium: in capite duo gracilia cornicula longa; ocellos parvos: in priori ſectione ſex crura, tribus articulationibus conſtantia: quatuor alas tenues & tranſplendentes, duas exteriores quidem unum & tres tertias partes digit. longas, duas interiores paulo breviores, coloris obſcure flavi, cum brunnis oris & venis. Poſterior ſectio corporis tota rotunda eſt, ſplendide brunna, qua nigritæ veſcuntur: totum reliquum corpus etiam brunnum.

Velociter terram fodiendo ſubeunt ad talparum modum, & ſata omnia quam citiſſime conſumunt.

FORMICA itidem magna hic reperitur, muſcæ majori æqualis, cujus corpus pene ſemidigitum longum atque tripartitum. Ultima ſectio figuram & magnitudinem habet grani milii noſtratis: media eſt oblonga, tuberculoſa, continens ſex crura, ſemidigitum longa, quatuor juncturis conſtantia. Anterior ſectio (ſive caput) inter reliquas craſſiſſima, figuram habet cordis, ut vulgo pingitur, ac anterius duo cornicula & binos dentes nigros, curvos & inſtar forcipis exſertos. Oculorum pupilla paulum nigra, cæterum totum caput veluti oculus eſt. Anterior & poſtica pars corporis ſplendide punicei coloris, media autem cum cruribus impluviati & non ſplendentis. Inter omnes maxime ſplendet caput, utpote quod nihil aliud quam duo oculi magni ſibi invicem adpoſiti in cordis figuram.

TAPIIAI Braſilienſibus, formica tota atra, circiter digitum longa; caput habet magnum, quadratum; ocellos prominulos, atros; duos forcipes exſertos loco dentium,


ſerra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſerratos inſtar falcis meſſoriæ: duo cornicula ſemidigitum longa; corpus in tres partes ſectum: anterior pars autem oblonga eſt haud craſſa; & continet crura ſex, plus ſemidigito longa; media pars minima & vix lentis magnitudinem æquans, quadrata fere: ultima omnium maxima, ovalis, acuminata: hæ tres partes tenui quaſi filo ſibi invicem ſunt annexæ. Tota formica atra, ſplendens, crura itidem, quæ & piloſa; quorum tamen par anterius circa extremitates aurei eſt coloris.

CUPIA Braſilienſibus, formica eſt caſtanei coloris; caput illi magnitudine milii noſtratis, & figura cordis, colore ſpacideo: ocelli parvi & nigri: duo cornicula; forcipes quoque duo exſerti pro dentibus: Anterior ſectio corporis piſi habet magnitudinem; ferme rotunda, obſcure caſtanei coloris; & ſex crura ſpacidea; poſterior ſectio paulo major anteriore, rotunda, caſtanei coloris. Totum inſectum tegitur minutulis pilis eſtque hirſutum; certo tempore quatuor acquirit alas, poſteriores minores anterioribus, easque rurſus ſuo tempore amittit, quod ipſemet vidi.

JAPURUCA Braſilienſibus, *Ceniopta* Luſitanis; **Duysend-been** Belgis: *Scolopendra*. Inſectum quatuor circiter digitos longum; plurimas habens juncturas; obſcure flavi coloris & in conjunctionibus nigricantis: in quolibet latere viginti habet pedes: caput compreſſum; latiuſculum, fuſcum: cornicula duo, ſub ore duos dentes inſtar forcipis. Cauda illius eſt furcata & deſinit in duo quaſi cornua. Venenatum eſt animal.




Vidi Millepedem ſemipedem longum & digitum meum minimum craſſum. Admodum frequentes ſunt in ædibus.

Reperitur hîc & millepes argentei coloris, magnitudine quidem noſtratium, ſed paulo longior, verſus anteriora corporis habens ſex pedes, duos poſterius longiores, cæteros breviores, plane argentei coloris & leviter hirſutos: duo item cornua ejuſdem coloris, ac caudam furcatam; præterea in toto ventre adhuc minimos pediculos, quibus innititur ad parietes & inter libros reperitur.

CAP. VII.

Culex elegans. Enembiu. Ambuâ. Quicimiri. Mberuobi. Et aliæ Muſcæ.

CULEX paulo major vulgaribus tinnulis, hîc reperitur, elegantiſſimi coloris: crura habens ſex maxime exilia brunni coloris ſplendentis, raris pilis hirſuta: caput rotundum, in duas partes veluti fiſſum, ſuperiuſque ex viridi elegantiſſimus aureus color reſplendet ad latera purpuraſcens. Poſterius corpus deſinit in aculeum ſatis longum, ſuperius ex viridi elegantis aurei coloris, & pilis raris hirſutum: habetque quinque juncturas ſubnigricantes: alas duas tenues, ſatis longas, iridis colores repræſentantes, imo ſuperantes: in capite cornicula duo: ſed hæc omnia tantum per megaſcopum obſervari poſſunt.



ENEMBIU Braſilienſibus, inſectum eſt magnitudine piſtacei, figura ſcarabei ſeu tauri volantis: cornua habens ſex; duo cornicula in fronte; alas duras & glabras; Anterior ſectio ſeu caput politi ſapphyri colorem habet, uti & cornua & cornicula; alæ ſunt virides, aureo colore tranſplendente, inſignis coloris.



AMBUA Braſilienſibus, *Centopea* Luſitanis: vermis frequens ſuper planta Jurepeba: duos digitos longus, & majori penna anſerina craſſior, teres ſive cylindricus, nigerrimus: capitulo ſplendente nigro, & maculas majuſculas albas habens, in lateribus ordine poſitas: pedes octo, ſatis craſſos, ſed breves nigerrimos. Totum



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tum corpus pilis duriuſculis eleganter flavis veſtitum eſt, conſtantibus ſubſtantia inſtar ſetarum equinarum. Si vermis hic cutem humanam attingat, urit inſtar ignis.

QVICI MIRI Braſilienſibus: inſectum eſt parallelogrammi figurâ, ſed in parte poſtica orbiculari: anterior ſectio ſemidigitum longa, poſterior digitum. Crura habet ſex, unum par in priori ſectione, duo in poſteriore: ocellos nigros: barbam conſtantem ex duobus pilis dentatis craſſioribus: apte abſcondere & barbam & pedes poteſt ac in altum exſilire. Veſtitur teſta dura, in dorſo obſoleti lignei coloris, in anteriori vero parte parallelogrammi maculam nigram habet flavo ſuperſparſam: in poſteriore autem parte tota, nimirum alis, elegantiſſimæ lineæ nigræ ſplendentes tendunt ſecundum longitudinem. Alæ arcte complicatæ corpori: inferius corpus totum hepatici coloris, crura ſplendide nigra, ut & barba.



ANNOTATIO. Aliquo modo convenit cum Bupreſti Scarabeoeide, niſi quod caput citra primam inſectionem exſertum non habeat, de quo vide Thomæ Mouffeti Londinatis Theatrum Inſectorum lib. 1. cap. XIX.

MBERVOBI Braſilienſibus. Muſca apis magnitudine: crura habet ſex; priora duo breviora, ſequentia longiora: & ultimum par longiſſimum; habent hæc poſteriora ſuras amplas & latas apum modo: cornicula duo in capite: alas quatuor. Tota muſca coloris viridis cum aureo mixti, inſignis & mire ſplendet, in fronte ſapphyrini coloris: oculi nigri corniculares lutei coloris: alæ variegatæ maculis brunnis.

Muſca alia figura & magnitudine vulgari ſimilis, ſed corpore breviori, & in poſtica parte habente proceſſum tibieformem: crura ſex, duo anteriora ut in vulgaribus, ſed ultima duplæ longitudinis retrorſum inflexa ut in Locuſtis: duo longa cornicula in fronte: alas quatuor communes aliis: ocellos ſapphyrinos ſplendentes; cætera in totum coloris nigricantis.

Multas inveni muſcas circa Camarigibi & Tapruſſu aliaque loca mediterranea, communibus quidem ſimiles, ſed flavi coloris & paululum ligneo variegatas, valde infeſtas hominibus & moleſtiſſimas.

Reperitur & alia, cujus corporis longitudo nondum digitum æquat: ocelli prominentes rotundi, epatici coloris: crura ſex obſcuro flavo & fuſco variegata; alæ quatuor, duæ exteriores digitum longæ, duæ interiores ſemidigitum, ac tranſparentes omnes tenueſque, argenteis venulis & punctulis fuſcis variegatæ. Totum corpus ex argenteo & fuſco colore eſt mixtum.

CAP. VIII.

Quicî. Jacatinga. Vermis terreſtris.

QVICI Braſilienſibus, inſectum eſt corpore ovali inſtar Scarabei. Corporis longitudo unius & trientis digiti: Crura habet ſex, quodlibet tribus internodiis conſtans, eſtque ultima pars crurum ſerrata, & quodlibet habet duos unguiculos. Caput & ocelli parvi: duo cornua prope oculos exorientia, longa, poſterius verſa & in arcum porrecta, duos & ſemis digitos longa, longe excedentia corporis longitudinem; & ſingula habent internodia decem, undecimo inſeruntur in caput; craſſitie æquant filum craſſius. Caput & anterior ſectio obſcuri eſt brunni coloris cum ſplendido nigro mixti, poſterior & alæ brunni obſcure ſplendentis. Per medium autem alarum ſeu dorſum tranſverſim linea lata flava palleſcens tendit. Crura lutea & ad internodia obſcuro brunno maculata. Cornua diverſicoloria luteo & nigro, nimirum ad genicula nigra, cætera alternatim lutea.



JACATINGA Braſilienſibus; Inſectum frequens pluvioſis menſibus in hortis, ſilvis & campis. Duos digitos longum: caput cum oculis piſi mediocris magnitudinem habet, rotundum: oculi grandiſſimi ellypticæ figuræ. Os quando aperit ſatis grande habet & inferius labium ſeu maxillam inferiorem bifariam in medio diviſam, ſuperiorem integram: in ore quatuor dentes falcatos, ſuperiores duos fortiores, quemlibet quatuor aculeis munitum, inferiores uno aculeo in extremitate. Super os in ſummitate capitis duas habet eminentias parvulas, quaſi bifidam frontem & ibidem duo cornicula maxime exilia; Thorax & venter continuum corpus ſunt ſemidigitum longum, fabæ mediocris craſſitie, cui adjungitur cauda unum & quadrantem digiti longa, undecim internodiis conſtans, figuræ trilateræ pyramidalis & in extremitate furcata. Crura habet ſex in thorace & ventre, haud longa, piloſa, in extremitate duobus exiliſſimis unguiculis: corpus etiam piloſum. Alas habet quatuor dorſo conjunctas, utrimque duas, quas ſemper in directum à latere expanſas gerit, inter volandum & ſedendum ſive rependum. Eſt autem quælibet ala pene duos digitos longa, ſemidigitum lata, ubi latiſſima.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

ſima. Conſtant ad tactum membrana dura pellucida, gryſea, venulis fuſcis intertexta, & quælibet in ſua extremitate verſus anteriora maculam habet oblongam è fuſco nigricantem: quælibet ala duplici articulatione corpori jungitur, quaſi duplici trochlea, ideo firmiter eas in directum à corpore protenſas ſemper gerit, & tantum ſurſum aut deorſum poteſt movere, non componere aut retrorſum extendere. Suſurrum edit inter volandum. Oculi punicei ſunt coloris, reliquum caput & cauda ſaturate rubri. Thorax & venter itidem ſaturate rubent, cui aliquid nigri & albi mixtum. Crura fuſca, floribus inſidet victum quærens: Belgæ vocant **Een Spaenſche Juffrouw,** Mihi idem videtur inſectum quod J.Scaliger Hiſt. Animal. lib. VI. deſcribit ac depingit, & Adriaticis *Curoculum,* Taurinis *Monachettam* vocari dicit. Cum Ephemero autem Ariſtotelis convenire opinatur. Sed nihil certi ex Ariſtotele haberi poteſt.

Menſe Iulio Anni 1640. innumera ejuſmodi inſecta videbam in campis ejuſdem cum deſcripto coloris, ſed maculas nigras rotundas in alis habentia; quædam etiam corpore fuſco, quædam ſubviridi.

VERMIS hîc reperitur terreſtris; cujus longitudo eſt ſupra duorum digitorum, craſſities quanta apicis minimi digiti, in totum teres, crura habet innumerabilia brevia, per paria ſibi invicem oppoſita & contigua: craſſitie ſetæ equinæ. Corpus tectum membrana craſſa, glabra, ſplendida, ex juncturis frequentibus connexa, inſtar ferrei thoracis: coloris ex viridi fuſci ubi juncturæ, ibi annulus albus. Crura ſunt fuſca. Capitellum habet rotundum, ocellos nigros parvos & duo cornicula in capite.




ANNOTATIO. Vide Thomam Mouffetum in Theatro Inſectorum lib. II. cap. VIII. de Scolopendris & Julis, ubi Iconem hujus jam deſcripti primo loco invenies.

CAP. IX.

Inſectum volans. Tambeiva. Paipai guacu; alia duo inſecta.

REperitur hîc & Inſectum volans muſcæ fere figura: cujus totum corpus cum capite tres quadrantes digiti fere longum eſt; caput pyramidale, duobus corniculis quadrantem digiti longis: roſtrum ejuſdem longitudinis, anguſtum, acutum; inferius verſus capillatum, quod tenui venula corpori jungitur; corpus triangulare per duas juncturas in tres partes diviſum, quarum ſuperior ſcapulæ inſtar cavatur, ut alæ intus locum habere poſſint. Crura habet ſex; priora in anteriori parte breviora, poſterius par longiſſimum, ſemidigitum aut paulo plus longum: quodlibet tribus conſtat internodiis. Alæ illi quatuor, ſeſquidigitum longæ, inſtar muſcarum. Caput & prima ſecundaque ſectio ſplendide ſunt nigra: roſtellum, cornicula, crura ac tertia ſectio pallidi ſunt coloris, hinc inde fuſco umbrati. Alæ exteriores ſeu ſuperiores medietate anteriori ſunt cinnabrii coloris, extrema autem fuſci: inferiores alæ aquei coloris.

TAMBEIVA Braſilienſibus; Inſectum Teſtitudinem terreſtrem non male referens, mediocris avellanæ magnitudine; alæ, nimirum exteriores, duæ teſtaceæ, figura ut clypeus teſtudinis: anterior ſectio corporis teſta tecta coloris ſplendidi quaſi aurum viridi colore tinctum tranſplenderet: in ambitu autem teſtæ coloris eſt ſplendentis inſtar rubro tincti. Duo cornicula ad quodlibet latus oblique extenſa. Crura habet ſex nitentia ut aurum quod elegantiſſimo rubro tranſplendet. Corpus inferius ejuſdem ſplendoris. Tarde incedit nec facile avolat.




PAIPAI GUACU Braſilienſibus: Inſectum volans crabronis majoris magnitudine, ſed non ita craſſum: biſecto eſt corpore & quæque ſectio ovalis; prior ſemidigitum longa, poſterior paulo longior. Caput obrotundum, ſed paulum compreſſum, grani cannabini magnitudine: oculi ellyptici grandes, prominentes, fuſci, ſplendentes. Ad os habet duas falces, quibus folia arborum præſcindit, nigras. In capite duo cornua, fili craſſitie, tres quadrantes digiti longa ſuperius incurvata ut hircorum, in exortu nigra, cætera crocea. Crura ſex in priori ſectione ſeptem internodiis conſtantia, quatuor nimirum majoribus, tribus minoribus: cum duobus unguiculis in cujuſque extremitate. Anterius par paulo plus digito longum, ſecundum ſeſquidigitum fere, tertium unum & tres quadrantes digiti. In priore ſectione etiam quatuor



habet

habet alas, duas exteriores longiores ac latiores, inferiores breviores & anguſtiores, ſubſtantiæ membranaceæ inſtar chartæ. Ultima ſectio ovalis in acutum deſinit cornu continens aculeum, quem protendere poteſt & eo pungere. Color totius, exceptis cornibus, ut chalybis politi ſplendidiſſimi inſtar vitri. Totum corpus & crura etiam ejuſmodi pilis veſtiuntur, brevibus, ad tactum ut ſericum læve: admodum duram cutem membranaceam habet, uti vix transfodi acu craſſiſſima poſſit.

INSECTUM (cujus Auctor nomen non prodidit) corpore ellypticæ figuræ, magnitudine majoris fabæ. Crura habet ſex, tribus conſtantia internodiis: duo cornicula in capite; capitulum minimum, lenticulare, ocellos prominulos; alas quatuor tenues. Anterior corporis ſectio teſta tegitur ellyptica; medium corpus in poſteriori ſectione pyramidali: alæ binæ ac binæ teſta oblonga ex parte teguntur. Totum corpus inferius variegatur lineis nigris tranſverſis. Teſtæ omnes ſunt egregie virides, alæ fuſcæ: capitulum inferius luteum, ſuperius è viridi & luteo mixtum: ocelli hepatici coloris. Fætet inſectum ut **Geepe** noſtras & ejuſdem eſt ſpeciei.



INSECTUM (cujus nomen Auctor non addidit) muſcæ majoris magnitudine, totum nigrum, piloſum inſtar holoſerici. Corpus fere in duas partes æquales ſectum, capitulum quaſi bovinum, album: ocelli prominuli, rotundi, nigri: duo cornicula in fronte, & duæ nigræ forcipulæ pro dentibus: crura ſex, corpus in nigro ſecundum longitudinem albis lineis paſſim diſtinctum, uti & crura; corpus nimirum in dorſo & lateribus, crura varie. Currit ſuper terram ut araneus terreſtris.



CAP. X.

Inſectum volans. Guarucu eremenbi. Nhatiu ſeu Moſquito.

INSECTUM volans, Tauri volantis ſpecies: corpus habet biſectum, cujus anterior pars tertiam partem digiti longa, poſterior paulo plus duobus digitis. Caput habet quaſi quadratum & duos forcipes exſertos pro dentibus: oculos magnos prominulos ellypticos: duos cirrhos ante oculos, in exortu latiuſculos, hinc anguſtiores, plus duobus digitis longos, novẽ jũcturis conſtantes: crura ſex, duo in anteriori ſectione, quatuor in poſteriori, quodlibet duos digitos longũ, tribus juncturis conſtantes, pedes latiuſculos & in extremitate duos ungues aduncos. Anterior ſectio ad latera deſinit in quatuor aculeos, teſta nimirum qua tegitur: poſterior quatuor habet alas tenues, duabus teſtaceis tectas. Totum corpus ſuperius obſcure eſt flaveſcens, ſeu lignei coloris; caput, oculi, cirrhi, forcipes, crura, inferius corpus ſplendide nigra & venter præterea cana lanugine obductus.



GUARUCU EREMENBI Braſilienſibus, & *Iaquirana* aut *Guiramenbi* Tipinambautiis: *Cigarra* Luſitanis; Belgis **Siſſis.** Corpus craſſiuſculum habet conicum, totum unum digitum cum triente longum, & pollicem craſſum: caput triangulare inferius verſum & roſtellum in extremitate oris ferme ſemidigitum longum: oculos prominulos ellypticos. Corpus biſectum eſt in collum & ventrem; collum breviſſimum, inter ſe & caput primum par habet crurum, tribus juncturis conſtantium, & duo cornicula pro pedibus: in ventre ſunt reliqua duo paria crurum, quodlibet tres quadrantes digiti longum, & duo anteriora paria craſſiuſculas ſuras habent & inter illa roſtillum exſerit & canendo illum ſtrepitum facit *Siſsis*. Totum inſectum anterius, nimirum in capite, collo & initio dorſi dura tegitur teſta, poſtica pars corporis juncturas habet multas circulares: alas quatuor, duas exteriores majores, interiores minores; omnes ejuſdem materiæ; tranſplendentis, vitreæ, lineis caſtanei coloris intertextas; exteriores unum & tres quadrantes digiti longæ ſunt, latæ, ubi latiſſimæ, duas trientes digiti, interiores unum digitum longæ: exteriores præterea in exortu viridem oram habent inferius ad medietatem fere longitudinis ſuæ, & lineam viridem brevem




ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

verſus ſuperiora. Totum caput ac collum & oculi epatici coloris exſanguis ſeu olivacei: reliquum corpus & crura caſtanei ſplendentis: ubique etiam raros pilos habet argenteos, præterquam in teſta dorſali, in fronte tria punctula triangulatim poſita coloris rubini; duæ conicæ maculæ in teſta dorſali ſunt nigræ. Circa veſperam in ſilvis & fruticetis ingens multitudo horum inſectorum auditur; arborum enim truncis aſſidentes ingentem excitant ſtrepitum, qui incipit *gir, guir*, & mox continuatur *ſis ſis ſis*, &c. centies vel pluries uno ſpiritu: ex continuato clamore denique rumpitur. Ego mortuos per dorſi longitudinem ruptos, trunco arboris adhæreſcentes, ſæpe vidi.

NHATIU Braſilienſibus, *Moſquito peſni longo* Luſitanis; **Langbeen** Belgis: culex eſt tinnulus parvus: capitulo obrotundo, cui duo cirrhi paululum incurvati adſtant; ad quemlibet nimirum oculum longus eſt cirrhus, pilis longis ab utroque latere, ordine decoratus, uſque ultra medietatem, muſcarii modo, extremitas pilos breviuſculos habet. Corpus ellypticum, ſex habet crura, longa, tribus internodiis conſtantia, ultima ſectio teres, longiſſima: in extremitate longo roſtillo ſanguinem exſugit: alæ illi duæ in poſtica parte mediæ ſectionis. Totum inſectum veſtitur pilis ſubtilibus brevibus flaveſcentibus. Media ſectio nigra, variegata maculis obſcure flavis; ultima obſcure flava, undata nigro, annulorum fere modo, & ubi inteſtina, longiores habet pilos. Caput nigrum flavo mixtum. Roſtrum cum ſuis cirrhis punctulatim nigro obſcure flaveſcit. Cirrhi reliqui duo piloſi pallide flavi cum pilis, & cirrhi ipſi punctula nigra ordine poſita continent. Inſectum admodum frequens noctu in paluſtribus ut & maritimis locis, pungit acerrime, etiam per linea veſtimenta & maximum pruritum excitat; moleſtiam ſimul ſummam parit tinnula ſua voce. Multas ſæpe noctes inſomnes egi hujus inſecti cauſa: nec igne nec alia re abigi poteſt; unicum remedium habetur, ſed non ita proficuum, ut accendatur fimus bibulus ſiccatus, cujus fumo paulum arcentur. Icon per megaſcopium fuit delineata.



ANNOTATIO. Quidam ajunt hoc inſectum à Braſilianis vocari Yatium, gignit autem hæc regio & aliud culicum genus ignavum & manſuetum, quamvis hominibus valde importunum, at nullo mucrone armatum, vocant *Ietinga*. Item aliud quod *marigui* vocatur, minutiſſimum quidem ſed tam crudeliter homines affligens ut vix tolerari poſſit.

CAP. XI.

Inſectum innominatum. Apeare. Mangangai. Mangagai. Auricularia. Millipedæ ſpecies. Scarabeus parvus. Locuſta atra. Inſectum inſtar fuci.

INSECTUM (cujus nomen ab Auctore non proditur) Locuſtæ marinæ facie, tres digitos longum: crura habet ſex: Forcipes pro dentibus; Cirrhos duos: Teſta ſuperius tectum inſtar Locuſtæ marinæ; in totum cinerei eſt coloris: ſed forcipes rubri ſunt coloris.

APEARE Braſilienſibus; inſectum eſt corpore ovali compreſſo, fabæ minoris magnitudine, fætens ut **Geepe** noſtras: capitulum habet rotundum, roſtello longo acuminato: duo cornicula longa, quorum quodlibet nodum unum quaſi in medio habet: Crura ſex, nullas alas; corpus egregie variegatum luteo, ruffo & obſcure cœruleo, flavo itidem quo corpus fimbriatum eſt. Caput luteum, cornicula nigra: crura alternatim variegata luteo & nigro, in medio dorſo duo puncta ferrea habet.



MANGANGAI Braſilienſibus, *Bizeuro* Luſitanis. Fucus eſt, magnitudine & figura ut noſtrates, totus niger, ad tactum ut ſericum villoſum, excepto in anterioris ſectionis ſummitate ubi albicat. Crura habet ſex nigra; alas quatuor nigras, duo cornicula in capite itidem nigra; oculos magnos ellypticos, roſtellum acuminatum; ſuſurrum edit ut noſtrates fuci.

MANGAGAI Braſilienſibus, itidem fucus, qui inſtar noſtratis circumvolitat & ſuſurrum edit: totum corpus piloſum, ſplendens, nigrum, inſtar holoſerici nigri villoſi, excepto in anterioris ſectionis ſuperiore parte ubi ex albo flaveſcit, & in medio habet maculam ſplendide nigram; oculos habet magnos lenticularis figuræ, coloris marmorei albi ſplendentis: roſtrum nigrum, acutum, rectum: duo cornicula nigra; crura ſex nigra, piloſa: alas quatuor nigras ſplendentes & ſubviridicantes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

FORCIPVLA ſeu Auricularia, Belgis **Oorworm:** duorum digitorum longitudine; corpore parallelogrammo, compreſſo: Caput habet conicum & in in eo quatuor cornicula recta. Corpus biſectum, ac in priori ſectione ſex crura quæ craſſiuſculas ſuras habent: poſterior ſectio longior, circularibus juncturis mobilis, in extremitate ſua duos habet forcipes ſatis magnos quibus firmiter apprehendit. Caput anterius & cornicula prope exortum nigra, ac in priori ſectione macula pyramidalis nigra in dorſo, cætera in totum flavi pallide coloris.



MILLIPEDÆ ſpecies, quæ hic frequens (*quo nomine à Braſilienſibus vocetur non addidit Auctor*) multis ſectionibus conſtans, ut illa, compreſſis: capitulum habet parvum cum duobus corniculis brevibus: crura exilia innumera: totum inſectum eſt nigrum, at in qualibet ſectione in utroque latere extremitas eſt flava.



SCARABEVS hîc quoque reperitur parvus, figura ut ii qui volitant veſpertino tempore, per tôtum obſcure ruffus; oculos habet & cornicula nigra; ſex crura.

LOCVSTA quoque hîc reperitur ſplendide atra, caput tamen lineis cinnabriis, & crura licet nigra, multo cinnabrio umbrata; & in extremitate cuculli ipſius linea alba eſt circumdata fimbriæ loco: poſteriorem ſectionem ambiunt lineæ circulares flavæ; uti & alas atras fimbria cinnabria.

INSECTVM inſtar fuci, ejuſdem figuræ & magnitudinis: totius longitudo ſuperat aliquantum unum digitum: caput habet mediocris piſi magnitudine, rotundum, ſed nonnihil compreſſum: oculos magnos, figuræ ovalis ſeu lenticularis, ſubviridicantes, ſplendentes, interius verſus ſuperiora, in centro laterum punctulum exiguum nigrum ellypticum habentes. Os brunum tribus eminentiis infra ſe verſis conſtat: in fronte inter oculos tria punctula nigra hoc modo ∴ poſita: barbæ loco habet duos pilos: ſectio anterior minor eſt: poſterior ſex habet crura, tribus internodiis & pediculo duobus prædito digitulis incurvis: crura poſteriora longiora, priora breviſſima. Alæ illi quatuor, exteriores longiores interioribus; quæ conſtant è materia tenui ut in apibus: ad exortum autem alarum rotunda eſt eminentia ſplendida inſtar gemmæ, magnitudine ſeminis ſinapis. Poſterior ſectio corporis per medium conſtat ſuis tranſverſis lineis, uti in fucis. Totum corpus, caput & pedes coloris ſunt mellei: veſtiturque ejuſmodi pilis ſubtilibus, ita ut hirſutum ſit: Alæ ſunt vitrei coloris ſplendentis, lineis brunis variegatæ: crura brunna & hirſuta. Omnis color hujus inſecti reſplendet.

CAP. XII.

Memoa. Inſecta aliquot innominata. Apes mellificæ.


MEMOA Braſilienſibus: Cincindela; vix grano mediocri ſeminis melonum aut cucumerum par, oblongo corpore. Capitulum habet minimum, ocellos nigros ſplendentes, duas prominentias inſtar pilorum proſtantes ad os. Prior ſectio corporis dimidio grano cannabis per medium ſecto magnitudine æqualis, habens in utroque latere maculam rotundam, magnitudine ſeminis papaveris, albam & ſplendidam, per quas noctu & interdiu lumen emittit, facitque pro libitu has maculas thalaſſini coloris ſplendidiſſimi, & lumen per illas ſpargit inſtar ignis videndum noctu, & interdiu quando vult. Poſt hos focos ignis corniculum eſt flaveſcens, verſus poſtica vergens. Alas habet duas: crura ſex, ſingula tribus internodiis conſtantia, exilia. Univerſum inſectum eſt coloris caſtanei obſcuri. Per megaſcopium adverti, duos barbæ pilos, quemlibet è quatuordecim particulis compoſitum: apparet quoque quemlibet pedum, quatuor habere digitos, curaque eſſe aculeata & piloſa ut in Tauro volante: adhæc ad os habere quatuor tenacula.

ANNOTATIO. Fecimus hujus inſecti mentionem deſcript. Ind. Occident. lib. 1. cap. 4. in hæc verba. Fidem prope ſuperant quæ ab Oviedo atque aliis narrantur de *Cucuyo* è ſcarabeorum genere, cujus ocelli atque latera, ubi alas ſuas diducit, tantum lumen emittunt, ut noctis tenebras haud ſecus quam candelæ illuſtrent & hominibus legendi ſcribendique copiam faciant: Indigenæ Hiſpaniolæ olim hoc animalculo non modo ad tenebras illuminandas, ſed & ad Niguas, id eſt, moleſtiſſimum illud genus culicum, fugandas utebantur.

INSECTVM magnitudine bruſci: corpus habet duos digitos longum, unum autem latum: alas quatuor exterius nigricantes, interius, quaque latent, albas. Crura quatuor, tribus internodiis conſtantia, & plus uno digito longa, cum duobus unguiculis nigricantibus in extremitate: crura ſunt obſcure flava nigris diſtincta maculis, & ejuſdem coloris pilis hirſuta; duo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

duo præterea habet veluti brachia figura falcis meſſoriæ, duobus internodiis conſtantia, quæ corniculi inſtar deorſum incurvantur: oculi illi ſunt nigri, ſplendentes, figuræ lenticularis. *Quo nomine à Braſilienſibus aut Luſitanis appelletur, Auctor non addidit.*



INSECTUM in menſa mea aliquando inveniebam vix conſpicuum præ parvitate, niſi nigrum & ſplendentis coloris fuiſſet, planeque rotundum. In megaſcopio magnitudinem ſeminis cannabis habebat, plane rotundum, nigrum, ſplendens. Teſta rotunda tectum, & ſex pediculis incedens.

INSECTUM itidem figura millipedæ per megaſcopium contemplatus, deprehendi habere ſex crura, duo cornicula; corpus autem & alæ erant coloris obſcure flavi & nigro ſtriati tranſverſim.

INSECTUM parvulum corpuſculo ſemidigitum longo, ovali; quatuor habens alas tenues quadrantem digiti longas: caput parvum: in totum erat gylminei coloris, alæ autem hyalini; & crura ſex parallelogramma.

Reperiuntur hîc apes mellificæ, ejuſdem figuræ, magnitudinis, coloris, ut noſtrates: excepto quod aculeos non habeant neque pungant; in ſilvis in cavis arboribus mellificant; etiam domi in Alveariis ut apud nos.

Mel de pao ut Luſitanis dicitur, mixtum cum aqua ſimplici exhibetur, gratum inſtar mulſi noſtratis.

ANNOTATIO. De melle agreſti vide commentarium D. Piſonis. Jacobus autem Rabbi qui multos annos vixit cum Tapuyis, in relatione ſua ad Excellentiſſ. Comitem Joan. Mauritium, commemorat aliquot ſpecies apum & mellis agreſtis. Primam ſpeciem dicit à barbaris illis vocari *Kitshaara*, quæ fruticibus & pumilis arboribus appendet, in alveolis dimidiam ulnam longis, inſtar chartæ bibulæ formatis: hæc ſpecies mellis optima eſt & ſuaviſſima.

Altera ſpecies quæ ipſis dicitur *Kitshágk*, intra terram fit, mole alvearii, atque effoditur fumo excitato.

Tertia ſpecies appellatur ab illis *Heubig*, itidem intra terram congeſta & inſtar panis ſacchari charta bibula involuti, quæ itidem igne ad foramen applicato eruitur. Atque hæ tres ſpecies apum haud ſecus pungunt quam Europææ.

Quarta ſpecies mellis dicitur *Atshoy*, quam in arboribus mellificant itidem apes pungentes: mel autem appendet arboribus inſtar nidi avium, durum atque nigrum, hoc quoque igne adhibito colligitur.

Quinta ſpecies apum, quam vocant *Ehenhne*, minime pungit; mellificant in cera ad truncos arborum; figura globorum, qui frangendi ſunt ut mel eximatur.

Sexta ſpecies appellatur *Benatshy*, non pungunt, & in concavis foraminibus arborum mellificant in cera ut præcedentes: harum mel optimi eſt ſaporis & valde ſalubre.

Recenſet & plures ſpecies, ſed ſolis nominibus, quare non putavi operæpretium barbara nomina hîc recenſere.

GEORGI MARCGRAVI NATVRALIS HISTORIÆ BRASILIÆ

LIBER OCTAVVS,

Qui agit de ipſa Regione & Indigenis.

Cap. I.

De Regionis nomine, magnitudine, ſitu, ejuſque diviſione.

HÆc regio primo à Luſitanis appellata fuit Santa Crvz, quod nomen poſtea mutarunt in Terrado Brasil, ob ligni copiam, quod hîc cæditur & in Europam infertur, vulgo notiſſimum, ita ut hodie communi & vulgari nomine ab omnibus Europæis Brasilia dicatur.

Sita porro eſt Braſilia in zona torrida & quidem in medietate illius Auſtrali, extenditurque ultra Tropicum Capricorni in zonam temperatam meridionalem.

Non autem omnes conſentiunt in illius magnitudine ſeu latitudine definienda inter Septentrionem & Auſtrum. Nos ejus initium ſtatuimus à latitudine Septentrionali unius gradus & ſemis, ſeu à Flumine *Para*, & finem ad latitudinem auſtralem quatuor & viginti graduum & ſemis, ſeu uſque ad fluvium *Capiibari*, duabus leucis ultra oppidum S. Vincentii; ita ut magnitudo illius ſit inter Boream & Auſtrum trium & viginti graduum. Inter ortum & occaſum in quantum extendatur adhuc indefinitum eſt, cum pauci adhuc in interiora hujus terræ penetraverint & quædam tantum obiter luſtraverint.

Quantum judico, adſumendo longitudinem *Limæ* Metropolis Peruviæ, quam Hiſpani ponunt eſſe duobus & octuaginta gradibus Occidentaliorem *Toleto* (Toletum autem novem decem gradibus & quinque ſcrupulis Occidentalius eſt *Vranoburgo*) ita ut longitudo Limæ ſit ducentorum & nonaginta quinque graduum & quadraginta ſcrupulorum. Sumendo itidem longitudinem *Mauritiæ* civitatis, in Orientaliſſima fere ora Braſiliæ, quam ipſe ſæpius obſervavi per Eclypſes & inveni trecentorum & quadraginta graduum & ſemis reſpectu *Vranoburgi*, & hinc deducendo differentiam quatuor & quadraginta graduum & quinquaginta ſcrupulorum. Sub parallelo autem 8. 40. reſpondent ex mea obſervatione uni gradui 28175. decempedæ Rhynlandicæ, quæ per 1500. diviſæ (tot enim perticæ milliarium horarium efficiunt) dabunt horaria ſeu Hollandica milliaria XVIII. $\frac{1157}{1500}$ id eſt, milliaria octodecim & tres quadrantes. Differentia ergo 44. 50. dabitur 1263197. decempedarum & duorum pedum, quæ efficiunt milliaria 842. $\frac{179}{1500}$ detractis, porro centum milliaribus, quæ *Cuſco* Orientalior eſt *Lima* & in confiniis Peruviæ & Braſiliæ ſita, magnitudo Braſiliæ inter ortum & occaſum eſſet circiter ſeptingentorum & quadraginta duorum milliarium; quod intervallum omnes Tabulæ Geographicæ circiter centum & octuaginta octo amplius faciunt. Ponunt enim Braſiliam multo Orientaliorem quam revera eſt, ut ex propriis obſervationibus ſæpiſſime comperi.

Ora autem Braſiliæ à *Para* ad *Maranhon* à Coro verſus vulturnum extenditur. A *Maranhon* verſus *Ciara* maximam partem tendit verſus Eurum. A *Ciara* ad *Potiyi* ſeu Rio Grande verſus Euroauſtrum: à *Potiyi* ad *Paraiba* verſus Auſtrum: à *Paraiba* ad *Itamaraca* ad eundem modum: ab *Itamaraca* verſus Promontorium *S. Auguſtini* & uſque ad Sinum omnium Sanctorum ora verſus Auſtrum incurvatur: à Sinu omnium Sanctorum ad alterum flumen *Paraiba* iterum fere directe auſtrum petit, & deinceps uſque ad fines ſuos verſus Corum extenditur. *Sed hæc accuratius è Tabulis hydrographicis cognoſci poſſunt, ad quas curioſos remittimus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Dividitur BRASILIA, intra hos limites, in certas Præfecturas (*Capitanias* appellant vulgo Luſitani) & quidem vulgo in quatuordecim. Quarum prima verſus Boream eſt *Para*, ſequuntur dehinc ordine Maranhaon, Ciara, Potiyi vel Rio Grande, Paraiba, Itamaraca, Pernambuco, Quirimure vel Bahia de todos los Santos, cujus metropolis S. Salvador. Nhoecombe vel os Ilhcos; Pacatâ, vel Porto Seguro; Eſpiritu Santo; Nheteroya, vel Rio de Jenero, quem *Ganabara* vulgo vocant Braſilienſes; & S. Vincente.

Plura non habet Auctor, neque ego addo, quia plenius de his egi in Deſcriptione Indiæ Occidentalis lib. xv. *tantummodo adjicio è Schedis noſtri Auctoris.*

Sunt & hîc duo diſtrictus (nimirum in Præfectura Pernambucenſi) quos Luſitani vocant *Palmeiras* à copia illarum arborum ibidem naſcentium, in quos Nigritæ fugitivi ſe receperunt; eorum unus vocatur minor, alter major. In minori ad ſex millia nigritarum dicuntur habitare, qui jacet viginti milliaria ſupra *Alagoas*, inter ſilvas, juxta fluvium qui appellatur *Gungohubî* (hic illabitur in fluvium *Paraibam*) ſex milliaria à Paraiba flu. verſus Arctum, & quatuor à Mondaî fluvio Alagoæ Borealis verſus auſtrum; ita ut haud admodum longè abſit à cornu terræ quod vulgo *Iaragoa* appellatur. Pagus illorum conſtat è tribus plateis, quarum ſingulæ dimidiæ horæ itinere in longitudinem producuntur. Ædes omnes contiguæ, & plantaria illorum pone illas. Imitantur quodammodo religionem Luſitanorum & habent ſuos ſacerdotes & judices. Mittunt crebro è ſuorum numero ad vicina loca, qui mancipia Luſitanorum abripiant; illa autem tamdiu ſerviunt donec alia rapuerunt. Mancipia autem quæ ſponte ſe illis aggregant, ſtatim eadem qua ipſi libertate fruuntur. Victitant fructibus Palmarum, batatis, phaſeolis, farinha Mandiocæ, milio, & Sacchari cannis, item gallinis (quarum illis copia eſt,) & piſcibus quos vicinus amnis ſubminiſtrat; carnes haud alias habent quam ferinas. Milium ſuum colligunt bis quotannis, & opere abſoluto per integram ſeptimanam feſtivè commeſſantur. Antequam ſementem faciant per dies quatuordecim maximos focos accendunt, quibus herbas & alia adurunt, qui longè videri poſſunt. Compendioſiſſimum ad hunc diſtrictum iter eſſe creditur ſecundum fluvium Alagoæ Borealis, vulgo *Alagoa del Norte*.

Major Palmaria jacet viginti aut triginta milliaria pone S. Amari pagum, juxta Montem qui dicitur *Behe*. Creduntur circiter quinque millia eſſe nigritarum, qui in vallibus juxta hunc montem degunt, præter alios multos, qui alibi quinquaginta, alibi centum, ſparſim habitant. Ædes autem horum haud conjunctæ, ita ut ducenti pene quadrantem milliarii horarii occupent; & ſub ſilvis metantur, in quibus & viam cæduam habent ad fugiendum comparatam; nam perpetuo excubitores collocant, qui ipſos moneant de peregrinorum adventu. Siccis itidem menſibus dimittunt ſuos ad Æthiopiſſas ab incolis ſuffurandum. Interdiu parant cibos; & veſpera primum numerant ſuos, ut videant an quis deſit; deinde choreis dant operam (tympana pulſantes quæ longè audiri poſſunt) ad mediam uſque noctem, dein cubitum diſcedunt & dormiunt uſque ad horam nonam aut decimam antemeridianam.

Iter ad hos commodiſſimum eſt ab Alagois per S. Amarum, atque inde per campeſtria *Nhunahu* & Cororipe, donec jugum montis *VVairakaco* appareat, ubi fluvius Paraiba offenditur, qui deſcendendus eſt donec prope prædictum montem *Behe* perveniatur, & ibi deflectendum ad convalles.

Hactenus Marcgravius: Antequam autem cætera illius adjungam non putavi inutile fore hic ſubjicere quæ ab Amico, qui rebus bellicis præerat & non minus rerum naturalium erat ſtudioſus, anno 1636. accepi. De natura Regionum, inquit, à me in hoc climate viſarum, quoniam nec ante data fuit, nec poſtmodum fortaſſe dabitur ad te ſcribendi occaſio, hæc generatim refero.

Omnes Provinciæ Braſiliæ quas centum milliarium ſpacio, à *Rio Grande* ad *Alagoas* uſque occupavimus parum admodum ſunt cultæ. Cultura earum à littore marino verſus mediterranea à Luſitanis ulterius producta non fuit, quam in quibuſdam locis, ad tria, quatuor, in quibuſdam ad quinque, raro ad ſex aut ad ſummum ſeptem uſque milliaria Hollandica: cætera ſunt ſolitudines ipſiſmet incolis plane incognitæ: neque littoralia hæc loca omnia culta ſunt, ea tantum coluntur quibus valles & nemora interjacent. Quando nomen alicujus diſtrictus, quos illi *Fregeſias* appellant, audis, utpote *Poiuham*, *Camaragibi*, *Porto Calvo*, *Serinhaim*, & his ſimilia alia, debes ſub hac voce intelligere valles integras, campos & colles his vallibus adjunctos, pagos in illis ſitos, ædificia omnia, hinc inde ſparſa, & inſuper fluviolos ipſos qui valles illas irrigant. Ab una Fregeſia ad alteram per colles incultos iter eſt, interdum trium, interdum quatuor aut plurium etiam milliariorum Hollandicorum. Excipiuntur tamen ab hac appellationum regula, domus piſcatorum & ſalinæ ad littus marinum ſitæ, quia terram non colunt. Ad hujus culturæ formam importunus æſtatis ardor habitatores compulit. Regio enim hæc omnis, ut ſcis, jacet ſub Zona torrida & coli non poſſet ſi dies noctibus longiores eſſent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Solum omne aſſurgit in colles mediocres atque amænos: montes inſigni aliqua altitudine nulli ſunt in littoralibus, in ſolitudinibus tamen hinc inde nonnulli è longinquo conſpiciuntur. Inter colles aridos, non ubique tamen, ſed ut ſupra attigi aliquot milliarium intervallo, valles interjacent, ſingulæ exiguis aliquibus fluviolis irriguæ, atque ob id non pluviis tantum menſibus, ſed & æſtivis ipſis fertiles. Colles ipſis æſtivis menſibus ob ardorem Solis ſunt infrugiferi & penitus areſcunt, ut non gramen tantum, ſed & arbores interdum emoriantur, & gramen incenſum aliquando ingenti ſpacio, vento præſertim urgente, incendium proferat; ita ea quæ pluviis menſibus læte virent, æſtivis intereunt in montibus. His incommodis tamen incolæ ipſi proſpiciunt, aut novum gramen terris inducentes, aut loca illa fæcundantes quæ ſibi colenda proponunt. Hunc tamen uſum colles præſtant, præſertim ubi ſilveſtria recens exciſa & combuſta ſunt, quod radix Mandioca lætius in iis proveniat, nimirum in declivis illorum, quam alibi. Ad hæc uſus collium vallibus vicinorum hic eſt, quod ædificia incolarum in illis utplurimum collocantur, & circa hæc ædificia arbores, quæ *Cocos* ferunt, plantantur, quæ quamlibet terram & ſitum lubenter admittunt. Plantantur etiam aliquando juxta domos Auraicarum & Limonum arbores, quamvis lætius in locis depreſſis proveniant. Reliquarum omnium plantarum cultura ad valles & loca depreſſa rejicitur. Cæterum bonitas glebæ, ut & terræ univerſæ ita & omnium fere collium eſt inſignis, & in ipſis montanis locis quæ hactenus non coluntur, optimæ ubique vites provenirent, ſi à formicis defendi poſſent. Morbos & mortes ſomniant incolæ, ſi in vallibus habitent, propterea colles ſequendo, moleſta & longinqua aquatione plerumque utuntur. Noſtro hoc quod præteriit ſexennio nos plana interdum, etiam paluſtria loca, fortificationum cauſa ſecuti, vix aliqua tabe tamen ea propter afflicti fuimus. In *Afogados* quidem fortalitio præſidiarii aliquando, ſed ſatis benigne tamen & breviter morbis corripebantur, verum animadverſum fuit id propterea accidiſſe, quod plerique deſudes humi cubarant, quod ubi iis interdictum & lectorum uſus introductus eſt, malum hoc illico ceſſavit. Quamvis incolæ eam noſtratium à morbis immunitatem tribuant ſiccitati extraordinariæ temporum ut non penitus contemnenda ſunt illorum monita; dicunt enim occulta quadam viciſſitudine ſeptem annorum ſpacio humidos & morboſos hybernos menſes dari, & rurſus ſequentium hos ſeptem annorum ſpatio ſaniores & ſicciores ſuccedere. Hæc de collibus notavi: quod valles attinet, hæ cannarum ſacchariferarum cultu, (quoniam ob duritiem formicæ iis nocere non poſſunt) & paſcuis occupantur. Cæterum feraciſſimæ eſſent omnis generis frumentorum etiam noſtratium, puta tritici, ſiliginis, hordei, avenæ, piſorum, quæ ſingulis annis binam meſſem darent, ſi contra formicas remedium inveniri poſſet. Quicquid qualiumcunque fructuum extraordiniaria aliqua cura, in loco aliquo anguſto, contra formicas defenditur, miraculoſa ubertate provenit: Braſilia verum horreum foret Europæ totius, ſi peſtis hæc auferri poſſet. Rumor hîc ad nos perlatus fuit Luſitanum quendam Amſtelodami conſeſſui XIX. remedium obtuliſſe contra formicas; equidem non credo remedium univerſale contra has inveniri poſſe, quia animadverto non à Soli vitio, ſed à Solis vi id procedere, qui toto terrarum orbe ſub Zona torrida, in Indiis etiam Orientalibus, ut audio, & hîc in vicina Peruvia infinita formicarum agmina generat: & in iis partibus Braſiliæ, quæ extra torridam Zonam ſunt, utpote in Capitaneatibus S. Vincentii & Spiritus Sancti non ſunt formicæ & Ceres eſt uberrima.

Quod fluvios attinet vel potius fluviolos per valles prædictas decurrentes: hi paucis exceptis longitudinem trium, aut quatuor milliarium vix emetiuntur à fontibus ſuis, & nihilominus in oſtiis ſuis magnorum fluminum ſpeciem præ ſe ferunt; quod fit ob acceſſus & receſſus maris fauces ipſorum eluentes; exemplo ſit *Rio Formoſo*, item *Rio Grande* & alii omnes capaces in oſtiis magnarum ſatis navium, qui tamen verſus mediterranea, vix duarum leucarum itinere à littore abſoluto, genu tenus pedibus tranſeuntur.

Fluvii nulli hîc ſunt nobiles, aut apti ad minimarum etiam navium onera è meditetraneis deferenda: *Monguape* tantum flumen ſex milliarium longitudine navigavi, & multum ultra navigari poſſe ex profunditate illius & aliquorum relatu comperi, reliqua non item. Horum tamen exiguorum fluviorum aliqui, alveos ſuos, ſed ſiccos æſtate & ſine aqua, longiſſime in ſolitudines proferunt; quale eſt flumen *Capivaribi*, quod prætereundo *Mattam do Braſil*, *Maſyapi*, *S. Laurenzo*, *Real*, prope *Afogados* cum alio fluviolo ſe conjungit, & juxta *Reciffum* influit in mare: item *Rio Grande*; per quorum fluviorum alveos ſiccos, Tapuiones ſex ſeptimanarum iter ſæpius ſe feciſſe profeſſi ſunt; pluviis tamen menſibus, alvei ipſorum aqua replentur, ſed ob cataractas Saxorum frequentiſſimas etiam parvas naviculas non ferunt.

Flumen unicum nobile eſt in hiſce regionibus, vulgo *Rio S. Franciſco*, de quo uberrime nuper ad conceſſum XIX. ſcripſi.

Piſcatio littoris, ut ſcis, fuit antehac ditiſſima & Luſitanis, dum res ipſorum eſſent in integro, quæſtuoſa; nunc penitus abjecta jacet. *Sed hæc poſtea repetita magno noſtratibus uſui exiſtit.*

Feras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Feras multas, etiam formarum inuſitatarum, caſu oblatas vidi & comedi, quamvis venationibus & talium rerum indagini nondum vacare hîc liceat. Rem pecuariam inveni initio adventus noſtri florentem, nunc hæc non noſtri tantum, ſed etiam hoſtilis exercitus uſu vehementer eſt attrita. *Hæc ille.*

CAP. II.

Brevis deſcriptio Flu. S. Franciſci & Iter VVilhelmi Glimmerii per Solitudines Braſiliæ.

FLumen S. Franciſci, jam limitem claudens inter præfecturam Pernambucenſem & Sinum omnium Sanctorum, imprimis illuſtre eſt; creditur enim ex intima parte hujus Continentis deſcendere, & quidem è Lacu illo multorum ſermonibus celebrato, qui amnes omnes atque torrentes, ab altiſſimis Peruviæ montibus verſus ortum dimiſſos, recipit, & per maximos fluvios in oceanum emittit, imprimis *Rio de la Plata*, de quo jam non dubitatur; Marahaon, & hunc noſtrum. Nam licet hujus fluminis fons aut origo nondum à quoquam fuerit luſtrata, tamen evidens ratio id neceſſario videtur evincere, nam contra quam cæteri fluvii, qui ad hanc Braſiliæ oram in oceanum effluunt, æſtivis menſibus, quibus pluvię hic raræ admodum & parcæ, tantam undarum copiam evolvit, ut ejus latices ad aliquot millaria in mari adhuc dulces hauriantur. Noſtrates proxime ſuperioribus annis hoc flumen celoce aſcenderunt ad quadraginta pœne milliaria, ubi adhuc ſatis latum & profundum erat. Cætera Indigenarum & Luſitanorum fide ita ſe habere dicuntur, circiter quinquaginta milliaribus à mari, ipſum de altiſſimis rupibus ſeu cataractis, *Cacoeras* vocant, præceps ruere, itaque altius ab iis qui è mari veniunt aſcendi non poſſe. Supra cataractas fluminis alveum porro pergere verſus Corum ad aliquod milliaria, dein ingentem lacum ſequi, in quo multæ inſulæ amæniſſimæ ſint ſparſæ, quæ à barbaris habitantur, uti & ora univerſi Lacus. In ipſo autem lacu auriferas arenas colligi, & accolas auro abundare quidem, ſed vili pendere. Id autem à rupibus auriferis quæ verſus Peruviam jaceant detritum ab infinitis torrentibus in lacum deduci. Præterea hîc reperiri maximam optimi nitri copiam; quod à præfecto Bahiæ aliquando petitum narrabat Sacerdos quidam Luſitanus minime vanus nec indoctus; qui ſe nitrum illud vidiſſe noſtris affirmavit. Haud dubium eſt noſtros operam aliquando daturos ut hæc certa indagine proſequantur.

Operæpretium autem putavi hic inſerere itinerarium quod à VVilhelmo Glimmerio noſtrate accepi. Is narrat eo tempore quo ipſe in Præfectura S. Vincentii degeret, veniſſe ad illas partes è Præfectura Bahiæ Franciſcum de Souſa; acceperat enim à quodam Braſiliano metallum quoddam, è montibus *Sabaroaſon*, ut ferebat, erutum, coloris cyanei ſive cæleſtis, arenulis quibuſdam aurei coloris interſtinctum, quod cum à minerariis eſſet probatum, in quintali triginta marcas puri argenti continere deprehenſum fuit. Hac illecebra provocatus Gubernator montes hoſce & metalla diligentius inveſtiganda putans, ſeptuaginta aut octuaginta qua Luſitanos, qua Braſilienſes, eo mittere in animum induxit. Cum his Glimmerius noſter profectus, itineris rationem ita deſcribit.

Ab oppido S. Pauli, in præfectura S. Vincentii, profecti primum ad municipium S. Michaëlis pervenimus, (quod diſtat à ſuperiori verſus ortum quinque aut ſex leucas) & ad ripam fluvii *Anhembi*, atque ibidem commeatus paratos invenimus, quos barbari humeris erant portaturi. Deinde fluvium illud trajecimus, & quatuor aut quinque dierum pedeſtri itinere per denſas Silvas promovimus verſus Arctum, ad fluviolum qui oritur è montibus Guarimumis aut Marumiminis, ubi auri ſunt metalla. Hic canois aliquot è corticibus arborum conjunctis, ſecundo hoc amniculo deſcendimus quinque aut ſex diebus, incidimuſque in majorem fluvium ab Occidentali plaga deſcendentem. Prior ille fluviolus labitur per humiles & irriguos campos & amœnitate ſpectabiles. Secundum hunc majorem cum biduo diſcendiſſemus, incidimus in fluvium adhuc longe majorem, qui è montis *Paranapiacabæ* Arctoo latere oritur (ſicuti Anhembi ex Auſtrali ejuſdem latere) & primum ſecundum montium ductum verſus occaſum dilabens, dein cubito flexus, aliquandiu fertur verſus Arctum, & tandem, ut vulgo creditur, illabitur in Oceanum inter Promontorium Frio & Præfecturam Spiritus Sancti, piſcibus tam majoribus quam minoribus egregie fœtus: vocant fluvium de *Sorobis*. Hunc quoque quindecim aut ſedecim diebus deſcendentes pervenimus ad Cataracten, ubi fluvius ab editis montibus conſtrictus, præceps ruit verſus Ortum: quapropter hic canoas noſtras depreſſimus & rurſus pedeſtre iter aggreſſi, juxta & per alium amnem, qui ab occaſu advenit & navigiorum non eſt patiens; quinque aut ſex diebus pervenimus ad altiſſimum montem, quo ſuperato deſcendimus in patentiſſimos campos, lucis quoque hac illac opacos, in quibus pulcherrimæ pini viſuntur, quæ fructus ferunt mole capitis humani, cujus nuces medium digitum

gitum craſſæ, cortice teguntur inſtar caſtaneæ, & optimi ſunt ſaporis & nutrimenti: (*vix dubito, illum loqui de Zabucaio arbore*) ejuſmodi arbores per multa milliaria in mediterraneis reperiuntur. Deinceps triduo pervenimus ad fluvium qui ab ortu deſcendit, quem tranſeuntes quatuordecim diebus promovimus verſus Corum, per patentes campos & colles arboribus nudos; ad alium fluvium navigiorum patientem, & venientem ab Aquilone; hunc ratibus, quas *Iangadas* vocant, trajecimus; & quatuor aut quinque leucarum intervallo alium fluvium offendimus, pene ab Arcto allabentem & navigiorum patientem. Credo autem tres hoſce fluvios tandem in unum alveum confluere, & ferri in *Paragayum*, eo argumento, quod verſus Africum aut occaſum ſe proripiant. Porro toto illo itinere quod hactenus deſcripſimus, nihil culti vidimus, nullos mortales, hic illic tantum ruinas pagorum, nihil victui opportunum præter gramen & aliquot fructus ſilveſtres: obſervavimus tamen nonnumquam fumum aſcendentem, vagantur enim per has ſolitudines barbari quidam cum conjugibus & liberis, incertis ſedibus, qui obviis utuntur, nulla ſementis cura. Ad poſtremum hunc fluvium demum pagum indigenarum invenimus, & annonæ copiam, tempeſtive admodum, ſiquidem omnis quam nobiſcum tuleramus, jam erat conſumta, & jam aliquandiu ſilveſtribus fructibus aut herbis campeſtribus famem expleveramus.

Menſem pene integrum hîc morati, & annona parata, denuo iter promovimus verſus Corum, & menſe uno abſoluto, nullis fluviis obviis, pervenimus ad viam latam & tritam, & duos amnes diverſæ molis, qui ab Africo allabentes inter montana *Sabaroaſu* eluctantur verſus Boream; atque hos eſſe fontes ſeu capita fluvii S. Franciſci opinor. A pago ſupradicto ad hos amnes nullos mortales vidimus, ſed accepimus ultra montes nationem barbaram admodum populoſam agere; qui de Europæorum horum adventu (neſcio quo pacto) certiores facti, unum ſuorum dimiſerunt, ut nos ſpecularetur. Hic cum in noſtros incidiſſet, metu horum barbarorum atque annonæ inopia, nondum explorato metallo, cujus cauſa miſſi eramus, repedare maturavimus, & pene fame enecti rediimus ad pagum illum barbarorum. Ubi viribus recuperatis & annona parata, eodem itinere quo veneramus, ad fluvium illum ubi canoas depreſſeramus, ſumus reverſi; atque his refecti flumini nos commiſimus, eoque adverſo proreptavimus uſque ad illius fontes; atque ita novem menſibus in hanc expeditionem impenſis, primo Mogomimin, dein ad oppidum S. Pauli rediimus. Sed redeamus jam ad inſtitutum, ubi hoc obſervaverimus non plane veriſimile videri hos fontes eſſe fluvii S. Franciſci, nam ſi rationes itineris accurate ſubducas non videntur euſque ad Arctum promoviſſe ut ad illius altitudinem pervenerint; & opinor longiſſime in continentem penetraſſe.

CAP. III.

De Aëris temperie atque Anni tempeſtatibus.

AUtor hic noſter quandiu in Braſilia vixit, nimirum annis fere ſex, ſingulis diebus, imo & diei partibus, obſervaverat & annotaverat, quæ eſſet aëris conſtitutio, quæ aura, atque etiam cætera quæ ad meteorologiam pertinent, ut ex illis hoc caput conſtitueret, quod tamen morte prẹventus perficere non potuit; ut autem guſtum aliquem percipiant harum rerum curioſi, typos trium annorum dabo, è quibus colligi poterit quot & quibus diebus pluerit, & qui venti ſingulis tempeſtatibus perflaverint: cæteri enim anni fere ad ſimilem ſe habent modum, neque multum variant. Raro porro per totum diem & noctem pluit, rariſſime per aliquot dies continuos ſine intermiſſione. In Typis autem his litera P. notavimus omnes dies quibus vel leviſſima & breviſſima pluvia cecidit, ne quis exiſtimet illis diebus continuo pluiſſe: Ventos autem litteris notavimus, S. O. deſignat Eurum, N. O. Boream ſive Aquilonem; nam duo hi venti, viciſſitudine quadam ad univerſam hanc oram dominantur, & differentiam inter navigandi regulam conſtituunt.

TYPUS

TYPUS ANNI cIↄIↄcxl.

	Ian.	Feb.	Mart.	Apr.	Maj.	Iun.	Iul.	Aug.	Sept.	Octob.	Nov.	Dec.
1	p.	N.O	S.O	S.O	p.N.O	S.	p.S.O	p.S.O		S.O	p.	O.S. O.
2	S.O	N.O	S.O	p.N.O	p. S.	S.O	p.	p. S.O	S.O	O.S. O.		p.N.O
3	S.O	N.O	S.O	N O	p. S.	p.S.O	p.S.O	S.O	S.O	p.S.O	p.	p.N.O
4	S.O	N O	p.	p. V.	p. O.	p.S.O	p.S.O	p. S.	p.	p.S.O	p.	p.S.O
5	S.O	p. V.	p.N.O	p. V.	p. S.	S.O	p.S.O	p. S.	p.S.O	S.O		S.O
6	O.	S.O	p.	N.O	p.S.O	S.O	p.S.S. O.	p.S.O	S.O	S.O		S.O
7	p. O.	p.S.O	p.S.O	N.O	p.S.O	S.S. O.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	O.		O.
8	O.S. O.	S.O	S.O	p. V.	p.S.O	p.	p.S.O	S.O	S.O	O.N. O.		p.N.O
9	id.	p. O.	p.S.O	p.	p.S.O	p.	p.S.O	p. S.	p. S.	O.N. O.	N.O	
10	id.	p.	S.O	p.	S.O	p.	p.S.S. O.	p.S.O	S.S. O.	id.	p.N.O	p.N.O
11	S.O	p. O.	p.S.O	p.S.O	S.O	S.	p. S.	p.S.O	p. S.	O.S. O.	N.O	N.O
12	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p.	p.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	N.O	N.O
13	p.S.O	p.	S.O	p. O.	S.O	p. O.	p.S.O	p.S.O	p.	p.S.O	N.O	
14	p. S.	p.N.O	S.O	p.S.O	p.	S.S. O.	p.S.O	p.	p.S.O	p. S.	N.O	
15	O.	p.N.O	p.	p.S.O	p.	S.O	p.S.O	S.O	S.O	S.O	N.O	
16	O.S. O.	p. O.	p.S.O	p. S.	p.S.O	S.	p.S.O	S.O	p.S.O	N.O	O.	p.
17	S.O	O.	p.S.O	p.	p.N.O		S.S. O.	S.O	S.O	N.O	p.S.O	
18	p.S.O	O.	p.S.O	p. V.	p.N.O	S.		p.S.O	S.	p.N.O	p.S.O	
19	p.S.O	p. O.	p.S.O	p. S.	S.	p. S.	S.O	p.S.O	N.O	N.O	N.O	
20	S.O	O.	N.O	p.S.O	S.	p. S.	p.S.O	p.S.O	N.O	N.O	N.O	O.
21	p.S.O	p. O.	S.S. O.	p.	p.	p. S.	p.S.O	p.	N.O	p.N.O	O.	O.
22	p.S.O	p.S.O	S.O		p. S.	p. V.	p.S.O	p.S.O	N.O		p.	O.
23	p.	O.	p.S.O	p. O.	p. O	O.S. O.	S.O	p.S.O	O.N	p.N.O	N.O	O.S O.
24	S.O.	O.	p.N.O	p.	p. S.S. O.	p.S.O	p.S.O	p.S.O		N.O	p.N.O	
25	S.O.	N.O	p.N.O	p.	p.	p.S.O	p.S.O	p.	O.	p.	p.S.O	p.S.O
26	S.O.	N.O	p.N.O	O.	p. S.	p.S.O	S.O	S.O	S.O		p.S.O	S.S. O.
27	p.S.O	p. O	p.N.O	S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p. S.	p.N.O	S.O	p. id.
28	S.O.	S.O	p.N O	p. S.	p. S.	p.S.O	p.S.O		p.	p.N.O	O.	p.S.O
29	S.O.	S.O	p.S.O	S.O	O.	p.S.O	p.S.O	p.S:O	S.O		O.	S.O
30	p. O.		p.N.O	p. O.	p. O.	p.S.O	p.	S.O	p.S.O	O.N. O.	O.	p.N.O
31	O.		p.S.O		p.	p.	p. S.	S.O		N.O		N.O

E quo obſerva primo, hoc anno ducentis & duobus diebus aut parum, aut multum pluiſſe, reliquis minime. Deinde menſes pluvios fuiſſe illo anno Februarium, Martium, Aprilem, Majum, Junium, Julium, Auguſtum: maxime autem & pene continuo Majum & Julium. Tertio ventum Aquilonarem demum xix. Septembris ſpirare cœpiſſe, neque eo minus ab initio Januarii & etiam ante auram aſpiraſſe ab Euro: atque etiam ventos illos binos Eurum & Aquilonem involaſſe in fines aliorum, & Eurum hoc anno palmam tuliſſe. Obſervavi quoque tantum tonuiſſe Jan. 19. Martii 4,6,15,20. April. 9,10. Maji 14. Et utcunque plueritinterdiu, longe maximam partem noctes claras & ſerenas fuiſſe, quaſdam etiam frigidas. Denique nebulas hîc eſſe admodum raras. Fulgura quoque crebra tantum hoc anno annotat Januarii decimo octavo: Februarii decimo ſexto, & Martii quarto. Nebulas denique annotat tantum ultimo Octobris; & primo, ſecundo, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo Novembris: ita ut hoc anno raræ fuerint.

TYPUS ANNI cIↃIↃCXLI.

	Ian.	Feb.	Mart.	Apr.	Maj.	Iun.	Iul.	Aug.	Sept.	Octob.	Nov.	Dec.
1	p.N.O	p.S.O	S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	S.O	N.O	O.	O.	O.S. O.	p.N.O
2	p. S.	p.S.O	S.O	p.S.O	p.	S.O	p.S.O	p.N.O	O.	p. O.	p O.N O.	N.O
3	S.O	p.S.O	S.O	p.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	N.O	p. O.	p. O.	O.	p.N.O
4	O.	p.S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	S.O	S.O	p.	O.	O.	O.	N.O
5	p.O.S O.	p.S.O	S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.N.O	O.	O.	O.N. O.	p.N.O
6	S.O	p.S.O	N.O	p.	p.S.O	p. S.	p.S.O	p.N.O	O.	O.	O.N. O.	N.O
7	S.O	S.O.	N.O	p.	p.S.O	p.	p.S.O	O.N. O.	p. O.	O.	O.N. O.	N.O
8	S.O	S.O.	N.O	S.O	p.S.O	p. O.	p.S.O	p.	p.S.O	O.	N.O	N.O
9	S.O	S.O.	S.O	S.O	p.S.O	p.	p.S.O	p. O.	p. O	p.	N.O	N.O
10	S.O	S.O.	S.O	p.S.O	p.S.O	p.	p.S.O	p.S.O	S.O	N.O	N.O	N.O
11	S.O	S.O.	S.O	p.	p.S.O	p.	p.S.O	p.S.O	O.N. O.	N.O	p.N.O	N.O
12	p.S.O	S.O	p.	p.	S.O	p.	p.S.O	S.O	N.O	O.N. O.	O.	N.O
13	N.O	p.S.O	p.	S.O	S.O	p.	p.S.O	S.O	N.O	N.O	p. O.	p.N.O
14	N.O	p.S.O	p.S.O	p.	p.S.O	p.S.O	S.O	p.O.S O.	N.O	N.O	N.O	N.O
15	N.O	S.O	S.O	p.	p.S.O	S.O	p.S.O	S.O	N.O	N.O	p.N.O	N.O
16	O.	p.S.O	S.O	S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	p.S.O	N.O	N.O	p.N.O	p.N.O
17	N.O	p.S.O	S.O	S.O	p.S.O	S.O	S.O	p.O.S O.	N.O	N.O	p.N.O	p.
18	N.O	N.O	S.O	S.	S.O	S.O	p.S.O	O.S. O.	N.O	N.O	p.N.O	p.N.O
19	N.O	p.	p.S.O	S.	p.S.O	S.O	p.	O.S. O.	p.N.O	p.	N.O	p.N.O
20	S.O	p.	p.S.O	p.S.W	p.S.O	S.O	p.S.O	p.S.O	p.	p.N.O	N.O	p.N.O
21	p.S.O	N.O	S.O	p.S.O	S.O	p.	p.S.O	O.	p.O.N O.	p.O.N O.	N.O	p.
22	S.O	p.	p.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.	S.O	p.	p.	O.	N.O
23	S.O	N.O	S.O	p.	p.S.O	S.O	p.	S.O	O.	O.	O.	N.O
24	O.	N.O	p.	p.	S.O	S.O	S.O	O.S. O.	N.O	N.O	N.O	p.
25	O.	p.	p.	N.VV	p.S.O	S.O	N.O	O.S. O.	N.O	N.O	N.O	
26	S.O	p.	S.O	p.	p.S.O	p.S.O		O.S. O.	N.O	N.O	N O	O.N. O.
27	S.O	S.O	S.O	p. S.	p.S.O	p.	N.O	p.O.S O.	N.O	N.O	N.O	
28	O.	S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	S.O	p. O.	O.	N.O	N.O	N.O
29	p.		p.	p.	p.S.O	p.S.O	S.O	O.	O.	N.O	N.O	N.O
30	S.O		p.S.O	p.	S.O	p.S.O	N.O	p. O.	O.	N.O	N.O	p.
31	S.O		p. S.		p.S.O		N.O		N.O			p.

E quo obſerva primo hoc Anno centum & ſeptem ſupra ſexaginta diebus, aut parum, aut multum pluiſſe, reliquis minime. Deinde illo Anno menſes maxime pluvios fuiſſe Februarium, Martium, Aprilem, Majum, Junium, Julium, Auguſtum; maxime autem & pene continuo Aprilem, Majum & Julium. Tertio ventum Aquilonarem demum XI. Septembris perflare cœpiſſe, & Eurum maxime hoc anno dominatum; licet hi duo venti non raro in alienos fines irruperint. Obſervandum quoque hoc anno rarius tonuiſſe & tantum Februarii ſexto & vigeſimo ſecundo: Martii vigeſimo tertio, vigeſimo quinto & vigeſimo nono: Aprilis ſecundo, vigeſimo tertio & quinto; Decembris trigeſimo. Fulguravit tantum Martii vigeſimo tertio & Decembris trigeſimo. Nebulæ & quidem craſſæ hoc anno frequentiſſimæ fuerunt; nimirum Martii tertio: Aprilis 16, 17, 18. Maji 3, 7, 9, 24, 25. Iul. 2, 17, 19, 27, 28, 29, 30, 31. Auguſti 1, 2, 3, 4, 18, 20, 22, 23, 24, 25, 29, 30. Septemb. 1. Octob. 3, 4, 5. Nov. 4, 5, 21, 22, 23. Decemb. 19, 20, 21, 24. Annotat autem ad ſecundum Julii: mane nebula craſſa, ante meridiem nubilum, montes fumantes, Sol rarus, Eurus fortis, frigidus, interpluit crebro, poſt meridiem itidem, nox nubila, interpluit crebro. Frigidiſſimum erat etiam ipſa meridie in monte altiſſimo *Itapuamuru*, ita ut barba & capilli aſpergine obducti nobis eſſent & manus rigerent præ gelu. Ita & ſæpe notat noctes frigidas.

TY-

TYPUS ANNI cIↃIↃCXLII.

	Ian.	Feb.	Mart.	Apr.	Maj.	Iun.	Iul.	Aug.	Sept.	Octob.	Nov.	Dec.
1	p.	S.O	N.O	p.S.O	S.O	S.O	p. S.	S.O	p.S.O	p. O	N.O	O.N O.
2	p.	S.O	N.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p. S.	S.O	S.O	N.O	N.O	N.O
3	p.	p.S.O	N.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	O.	N.O	O.
4	p.N.O	S.O	N.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	O.	p.S.O	O.
5	p.	S.O	N.O	p.S.O	p.S.O	S.O	S.O	S.O	p.S.O	O.	S.O	O.
6	p.	S.O	O.	p. O.	S.O	S.O	S.O	S.O	p.S.O	N.O	O.	O.
7	N.O	S.O	O. N.O	p.S.O	S.O	p.S.O	p.S.O	S.	p. S. S	N.O	N.O	O.S. O.
8	p.N.O	p. S.O	p. O.	p.S.O	p.	p.S.O	S.O	p.	S.O	N.O	N.O	S.O.
9	p.N.O	S.O	p.	S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p. S.	S.O	N.O	O.	S.O.
10	p.	S.O	p.	S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	N.O	N.O	O.	S.O.
11	S.O	p.S.O	p. O.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p.N.O	V.	N.O	O.
12		p.S.O	p. O.	p.S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	S.O	N.O	p.S.O	p. V.	O.
13	O.N. O.	S.O	p.S.O	p.S.O	p.	p.	p.S.O	S.O	N.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O
14	p.N.O	p.	p.S.O	p.S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	S.S. O.	N.O	p.N.O	p. O.	S.O.
15	p.N.O	p.	p.S.O	S.O	S.O	S.O	p.S.O	S.O	N.O	N.O	p. O.	S.O.
16	p.	p.S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	S.O	S.O	S.O	N.O	N.O	O.	p.
17		p.	p.S.O	S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	S.O	N.O	N.O	O.	S.O.
18		S.O	p.	p. O.S O.	p.S.O	p.	S.O	p.S.O	p.S.O	N.O	p. O.	S.O.
19		p.S.O	N.O	S.O	p.S.O	p. S. S.O.	S.O	p.	p. S.	N.O	N.O	S.O.
20	O. N.O.	S.O	O.	p.S.O	p.S.O	p. S. S.O.	p.S.O	p.	p. S.	N.O	N.O	S.O.
21	N.O		p. O.	p.S.O	S.O	p. S. S.O.	p.S.O	p.S.O	p.N.O	N.O	N.O	N.O
22	S.O	S.O	O.	p.S.O	S.O	p. S. S.O.	S.O	p.S.O	p.O.N O.	p.N.O	N.O	p.N.O
23	p.	O. S.O	S.O.	p.	S.O	p. S. S.O.	S.O	p.	S.S. O.	O.	N.O	O.S. O.
24		O.	O.	S.O	p.S.O	p.S.O	S.O	p.S.O	S.S. O.	O.S. O.	p.N.O	S.O
25			p. O.	p.S.O	S.O	p.S.O	S.O	S.O	S.S. O.	p. O.S O.	N.O	S.O
26	N.O	N.O	p. O.	p. O.S O.	S.O	p.S.O	S.O	p.	S.S. O.	p.	O.	S.O
27	p.	N.O	p.N.O	S.O	p.S.O	p. S. S.O.	p.S.O	p.	p. V̄.	O.S. O.	O.S. O.	S.O
28	p. O	N.O	O.	S.O	S.O	p. S. S.O.	S.O	p.	p. V.	N.O	N.O	S.O
29	S.O		O.	p.S.O	S.O	p.	S.O	p.	O.	O.	N.O	p. O.
30			O.	p.S.O	p.S.O	p.	p.S.O	p.	N.O	O.	N.O	S.O
31	p.N.O		p. O.		S.O		S.O	S.S. O.		O.N O.		S.O.

E quo obſerva, primo hoc anno centum & ſexaginta tribus diebus aut parum aut multum pluiſſe, ac ducentis & duabus diebus non pluiſſe. Deinde Menſes Martium, Aprilem, Majum, Junium, Julium, & Auguſtum maxime pluvios fuiſſe. Tertio ab initio Februarii ventum à plaga S.O. cœpiſſe flare, atq; ita pertendiſſe ad decimum Septembris. Obſerva quoque tantum tonuiſſe Januarii primo, quarto, decimo; Martii decimo; Aprilis vigeſimo ſecundo & tertio; Maji octavo, nono & vigeſimo.

Fulgura autem tantum obſervat Aprilis vigeſimo primo & ſecundo: nebulas Martii decimo octavo.

Reliquorum annorum fere eadem aut non multum diſſimilis eſt ratio; è quibus prudens Lector facile intelliget, quæ ſint communes in hiſce Regionibus tempeſtates, nimirum quatenus intra Tropicum jacent, nam in iis regionibus quæ magis ad Antarcticum tendunt paulo alia eſt ratio, quemadmodum in deſcriptione noſtra Indiæ Occidentalis annotavimus. Plura autem non addam, quia hæc pars à D. Piſone diligenter eſt pertractata, in libro de Aëre, Aquis & Locis, qui præcedit.

CAP. IV.

De Incolis Braſiliæ.

INcolarum naturalium hujus terræ, ſunt quatuor nationes ſuis nominibus diſtinctæ: nimirum *Tupinambu*, *Tobajara*, *Petiguara*, & *Tapuiya*. Et poſtrema hæc natio iterum in alias multas nominibus diſtinctas, & idiomate differentes, diviſa eſt. Tres reliquæ una utuntur lingua, dialecto tantum ex parte differente, ut capite de Braſilianorum lingua obiter à nobis explicabitur.

Tapuyarum nationes quæ habitant ad flumen S^{cti} Franciſci, ſunt *Arodera*, *Cajau*, *Maquaru* & *Poyme*.

Plura de hiſce nationibus dixi in Deſcriptione Indiæ Occidentalis lib. xv. & xvj. quæ hîc repetere nolo, quia potiſſimum de iis agendum autumo, quæ jam Belgis noſtris parent, aut cum noſtris confæderatæ ſunt, ſiquidem notioribus.

Luſitani hîc plurimi habitant, uti & Belgæ, iiſque permixti Germani, Galli, Angli, &c. Braſiliani vocant Belgas, Germanos, Gallos, Anglos, *Ajuru-juba*, ideo, quia plerumque ruffas ſeu flavas habent barbas & capillos. In genere autem vocant omnes Europæos & advenas *Caraiba*, itemque *Pero*.

Denique ob miſturam variarum nationum, aliæ quinque diſtinctæ hominum ſpecies hîc reperiuntur: nimirum qui ab Europæis parentibus, patre atque matre, hic natus eſt, appellatur *Mozombo*.

Qui natus eſt ex patre Europæo & matre Braſiliana nominatur *Mameluco*.

Natus ex patre Europæo & matre Æthiopiſſa dicitur *Mulato*.

Natus ex patre Braſilienſi & matre Æthiopiſſa vocatur *Curiboca*, & *Cabocles*.

Natus hîc ex utriſque parentibus Nigritis appellatur *Criolo*.

Æthiopiſſa quædam hîc gemellos peperit, unum album, alterum nigrum.

Vidi hîc Africanam fœminam, non nigram, ſed ruffa plane cute & pilis ac capillis ruffis. Ex qua regione eſſet, non potui intelligere, nam linguam ejus non intelligebant reliqui Nigritæ.

Multos hîc vidi Æthiopes ſenes barba magna & totaliter cana, ut & capillis capitis canis. Lepidum ſpectaculum, atra barba quæ incanuit, in nigra cute, videtur quaſi farina eſſet aſperſa.

Vidi hîc etiam plane albiſſimum juvenem octodecim annorum, pilis criſpis albiſſimis & ſuperciliis albis, cute albiſſima, naſo plane more Æthiopum, qui natus hic è patre & matre Nigritis.

Annotatio. Tapujarum fines & ſedes à Jacobo Rabbi, qui plures annos inter illos vixit, ita deſcriptas accepimus. *Rio Grande* ad cujus oſtium jacet arx *Colonia*, ad ſex horarum iter penetrat in continentem verſus occaſum: uti & fluvius *Mupeo* novem horarum itinere à Rio Grandi verſus meridiem. *Syrag minor* trium horarum itinere à R. Grandi verſus Arctum, ferme quinquaginta horarum itinere deſcendit è continente.

A Rio Grandi porro verſus Arctum exit in mare inſignis fluvius *Mapreucauch*, longe è continente deſcendens, & porcorum aquaticorum ferax; ad ripas illius multæ vagantur capreæ & Struthiones. Tertius fluvius duodecim mill. à Rio Grandi, vocatur *Ypotinge*. Quartus autem *Vguaſu* dictus ſeptemdecim horarum itinere diſtat à Rio Grandi. Deinceps diei itinere ab Uguaſu occurrit *Yponi*, ubi Salinæ ſunt: à quibus ad alias Salinas milliaria numerantur quindecim: atque ab his ad *Aritavva* novem: ad maximas Salinas, & per excellentiam ita noſtris dictas, tria: ad *Vnapatûbam* totidem: ad *Marytupa* duo: ad *VVarerugh* unum. Hic fluvius alio nomine appellatur *Otſchunogh*, qui ſupra centum milliaria penetrat in continentem verſus Auſtrum. Quinque autem & viginti mill. à littore maris, jacet grandis lacus *Bajatagh*, piſcium fœcundus: & ad ſiniſtram ab hoc verſus ortum alter qui *Igtug* appellatur ab Indigenis, quem tamen nemo ingredi audet, ob copiam mordacium piſcium, & hominibus admodum infeſtorum. Adjacet huic vallis *Kuniangeya*, viginti milliaria in longitudinem patens, in latitudinem tantum duo: quam permeat fluvius *Otſchunogh*, piſcibus abundans, ſicut ipſa vallis maxima copia ferarum, & variis fructibus: quarum præcipui ſunt, *Kuraüra* Barbaris, magnitudine pomi noſtratis, qui ubi ſponte deciderunt, tum demum edules ſunt: dein *Dierada*, magnitudine globuli ſclopetarii, plane nigricantes antequam defluant. Atque hiſce fructibus Barbari quotannis trimeſtre ſpatium victitant: quibus accedit *Kakara*, fructus inſtar juglandis; qui coquendus eſt antequam comedatur: crudus enim amaricat inſtar glandis. Magna quoque copia naſcuntur hic ficus ſilveſtres, pugni magnitudine: quarum quædam intus rubræ, externe virides: aliæ extus rubræ, & interius albæ, & plenæ granulis albis, quæ, ubi præ maturitate dehiſcunt, admodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

dum dulces ſunt inſtar Sacchari; harum plantarum folia inſtar ſubulæ acuta & digitum humanum longa. Præterea ſunt radices è quibus Indigenæ panem faciunt, ipſis *Atug*, *Harag*, *Hobig*, *Engepug*, quæ crudæ comedi poſſunt: *Eniapugh* quæ torrendæ ſunt: *Packoda* quæ crudæ; & *Hompugh* quas potiſſimum ad ſitim exſtinguendam uſurpant. Ita ut hic terrarum tractus longe amœniſſimus ſit & victum hominibus ſufficiat.

Porro ab *Otſchunogh* ad *Opponne* milliaria numerantur decem, qui fluvius ab Auſtro pene centum milliarium ſpacio deſcendit: ab hoc ad *Iauarug* iter eſt bidui: ad *Berywere* unius milliaris; ad *Vatepug* duorum, atque ita porro per *VVieſerro* & *Bacvvatigh* ad *Ciaram* grandem iter eſt duorum dierum.

Inter hos fines, qui ſatis amplum terrarum ſpatium occupant, incolunt varij Tapuyæ, etiam idiomate diverſi, & ſub diverſis Regulis: quorum primus *Ianduy* latè tendit in *Otſchunogh*, *Otſchuayayuch*, & *Drerinagh*: huic proximus *Prityaba* cum priori pacem & amicitiam colens: mox *Arigpoygh*; *VVanaſewaſug*, *Tſhering*, & *Dremmemge*, quibus male cum præcedentibus convenit, ita ut ſæpe hoſtiliter alii in aliorum fines incurrant. *Ianduy* autem jam ſupra centeſimum ætatis annum agens, eſt Regulus ille qui pacem cum noſtris colit & ex fœdere aliquoties aut ipſe noſtris ſubſidio venit, aut filium atque affinem cum copiis miſit contra Luſitanos, quibus infenſiſſimus eſt: ſed non eſt hiſce Barbaris niſi in ſumma neceſſitate utendum, nam tam immanes ſunt ut tam animalia quam homines neci tradant, & magnam vaſtitatem inducant, neque noſtri facile ejuſmodi furiis uſi fuiſſent, niſi ſimiles Luſitani in noſtros immiſiſſent.

CAP. V.

De Statura & habitu corporis Braſilienſium, & de eorum ætate & moribus.

INdigenæ Braſilienſes qui inter nos degunt, ſtatura ſunt mediocri, robuſti, largis humeris, bene compoſiti: nec facile eſt inter illos invenire, diſtortum vel luſcum aut claudum. Quod mirum videri poteſt, quum infantes recens natos nunquam faſciis involvant aut ligent, cauſam morborum illis præbent. Ligant tantum Braſilienſes recens natis in infantia crura certis faſciis, quas vocant *Tapa cura*, ea de cauſa ut robuſtiora fiant. Oculos habent Braſilienſes nigros, naſum compreſſum, os amplum, capillos nigros, rectos. Barbam raram aut nullam. Multi tamen dantur qui barbas habent nigras. Mulieres quoque mediocris ſunt staturæ, bene diſpoſitæ, & formæ haud inelegantis, nigris comis, ſatis robuſtæ, & quæ facillime pariunt.

Annos ſuos numerant ab exortu Heliaco Pleiadum, quos *Ceixu* vocant, atque ideo annum eodem nomine denotant: accidit autem is ortus menſe noſtro Majo.

Numerum autem annorum ætatis ſuæ ut retinere poſſint, ſingulis annis reponunt unam caſtaneam de *Acajû*, quam ipſi *Acajû acaya* appellant, itemque *Acaiuti* & *Itemboera*. Fructus enim illius arboris ſingulis annis ſemel maturatur, nimirum menſibus Decembri & Januario, uſque in Martium durans. Plura de hac arbore dicta in lib. III. de Arboribus.

Diu plerumque vivunt, & videre inter illos licet multos ſenes, centum atque etiam viginti ſupra centum annorum, neque facile caneſcunt niſi in decrepita ætate.

Pueri illorum ingenio ſunt ſatis docili: verum quando adoleſcentiam ingrediuntur fiunt hebetiores, ita ut paucos videre liceat literis inſtructos, aut qui artem ſcribendi norint; aut alias artes Europæas, à quibus quodammodo abhorrent, laborum impatientiores.

Tranquille ſatis agunt inter ſeſe: niſi quando poculis indulgent, tunc enim dies noctesque ſaltando & cantillando tranſigunt. Sunt enim ebrietati admodum addicti tam mulieres quam viri: neque facile ab hoc vitio deterreri poſſunt, quod longe maximum illis eſt, è quo & rixæ atque aliæ pravæ conſuetudines naſcuntur.

Pigritiæ quoque valde obnoxii ſunt & fugientes laborum: præſertim *Tapuyæ*, qui laborum vel maxime intolerantes ſunt; nam cum paucis ſint contenti, & terra abunde ipſis victum ſuppeditet, & divitias non appetant aut norint, ad labores ſubeundos non excitantur.

Quomodo hoſpites advenientes lachrymando excipiant fœminæ illorum, & quibus ſermonibus illos alloquantur; atque quo pacto mortuos ſuos deplorent, jam ab aliis dictum eſt, præſertim à Joanne Lerio, qui inter *Tupinambos* egit, à quorum moribus cæteri non diſſident; quare hic nihil repetendum duximus.

Tapuiyæ autem quando pater aut mater moritur, omnes capillos capitis evellunt: de quorum cæteris moribus poſtea plura dicentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

CAP. VI.

De Veſtitu & ornatu Virorum, & Mulierem Braſilienſium.

VIri ſubligaria jam ex linteamine plerumque induunt, quidam quoque induſia habent, & pileis utuntur, ſed maximam partem nudo incedunt capite, & capillis more Luſitano-



rum tonſis. Nudis incedunt pedibus, nullis calceis induti. Quidam etiam ſolummodo ſubcinctorio panno lumbos tegunt, cætera ſine veſtitu.

Mulieres vero jam longis induſiis veſtiuntur factis ex linteo vel goſſypino panno, neque quicquam præterea veſtimentorum habentes. Comas autem capitis vel dependere ſinunt, vel etiam more fœminarum noſtratium teniolis involvunt.

Tam viri quam fœminæ & infantes variis coloribus cutem tingunt, nigro, rubro, flavo, ad quem uſum uſurpant ſuccum è fructu *Ianipaba* immaturo, qui nigro; *Vracou* qui rubro tingit, & ita in cæteris aut fructu aliquo aut ligno utuntur.

Tapuyæ tam mulieres quam viri fere nudi incedunt, & pilos circa pudenda evellunt. Viri membri ſui genitalis fiſtulam in ſe contrahunt & involvunt, ligantes teniola quadam, vocantque id quo ligant membrum *Tacoaynhaâ*. Religant autem quando opus eſt ut mejant. Majore autem pudore afficiuntur monſtrando virgam explicatam quam nos. Eodem modo & alii quidam Braſilienſes membra ſua genitalia ligant.

Capillos capitis ad humeros uſque dependentes alunt, & inferius æqualiter præcidunt more ruſticorum Sueviæ. In fronte quoque æqualiter detonſum gerunt; ſed præciſione æqualiter facta uſque ad aurium regionem ſuperius, & angulis ita factis in utroque latere ad tempora. Eodem plane modo etiam fœminæ cum comis ſuis agunt, & virorum more geſtant.

Viri corollas factas ex pennis *Guara* vel *Caninde*, capiti circumligant: dependent à poſteriore parte corollæ aliquot longiores pennæ è cauda *Arara* aut *Caninde*. Angulos itaque factos cum capillis adprimè firmant ne corollæ circumligatè ſeſe ipſas deligent. Quidam etiam ſolum funiculum è goſſypio capiti circumligant, è quo poſtica parte aliquot pennæ longæ rubræ vel cœruleæ propendent, vocant *Acanbuaçaba*.

Pallia quoque conficiunt è filis craſſis goſſypinis inſtar retis nexis, & cuïlibet nodo innexa eſt penna, ita ut pallium totum pennatum ſit, & eodem pene modo & concinno ordine pennæ ſibi invicem incumbunt, uti ſquamæ piſcium. Pallium autem hoc ſuperius cucul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

cucullum habet, ita ut totum caput, humeros, & coxas ad anum uſque poſſit tegere. Hoc pallio utuntur ornatus & neceſſitatis cauſa: ornatus quidem, quia elegantiſſimis pennis rubris avis Guara contextum eſt, vel etiam admixtis pennis nigris, viridibus, flavis, variis, avium *Aracucaru*, *Carinde*, *Arara*, &c. Neceſſitatis autem quia pluvia non pertranſit illud pallium, ſed aqua cum is defluit. Appellant hæc pallia *Guara abucu*. Solent quoque cum cera ſeu melle ſilveſtri, certas ex avium elegantium pennis criſtas capiti agglutinare, quas criſtas ipſi nominant *Aguana*.

Auriculas perforant in tantum, ut digitum immittere poſſis foramini. Huic immittunt vel os aliquod cercopithecorum & vocant *Nambipaya*; vel lignum aliquod digiti humani longitudine filis goſſypinis circumvolutum.

Viri labium inferius perforatum habent, & foramini immittunt lapidem aliquem ſeu cryſtallum ſeu ſmaragdum vel jaſpidem, magnitudine nucis avellanæ, vocant talem lapidem *Metara*, & ſi viridis vel cæruleus fuerit *Metarobi* nominant. Viridem autem imprimis amant & ut plurimum geſtant.

Ad utrumque etiam oris angulum buccæ perforatæ ſunt, conjugatis ſolum viris, & cuilibet foramini indunt lignum, figura & magnitudine pennæ anſerinæ, quod inſtar clavi infixi prominet, vel etiam immittunt lapidem aliquem quem vocant *Tembe coareta*.

Nares quoque non raro perforant atque indunt ejuſmodi ligna, *Apiyatî* appellantes.

Corpus autem varie pingunt: atque inſuper toti corpori agglutinare ſolent plumas variarum avium ſubtiliores cum maſtiche, melle ſilveſtri vel *Mingaupomonga*. Vocant hunc actum *Acamongui*. Atque ita apparent quaſi toti hirſuti eſſent.

Brachia quoque ornant certis corollis factis è plumis avium rubris & flavis, vocantque *Aguamiranga*. Item aptant corallia varia quæ à noſtratibus acceperunt, atque hunc ornatum appellant *Papixoara*.

Pennas quoque Struthionum multas, vel pennas è cauda Araræ in orbem quaſi colligunt & connectunt filo craſſiori, atque adligant lumbis, ita ut anum tegant & fere ad genua propendeant, & appellant hunc ornatum *Aracoaya*.

Ex fructus *Aguay*, qui triangularis eſt, corticibus, quos filo annectunt, etiam monilia faciunt, quæ cruribus infra ſuras circumligant, qui cortices inter ſaltandum ſonum quendam edunt.

Loco calceorum noſtratium, è certo cortice *Curagua* ipſis vocato, factis utuntur, atque illos vocant *Miapapacaba*, Luſitani autem *Alpargatas*.

Mulieres pudenda ſua ſolummodo tegunt faſciculo herbarum aut foliorum alicujus arboris quæ ſubinſerunt chordæ, qua cinguli loco ſe circumligant. Similem faſciculum etiam uſurpant pro tegmine ani. Haud multum tamen utraque hæc janua ad rem facit, nam facile & anterior & poſterior porta apparet.

Mulieres quoque ad virorum modum, corpus ſuum variis coloribus pingunt.

Atque hæc inter gentiles adhuc obtinent, nam qui Chriſtiani facti ſunt, ad Europæorum amictum & ornatum ſe componere conſueſcunt.

CAP. VII.

De Suppellectile Braſilienſium.

SUpellex Braſilienſium admodum pauca eſt, ita ut cum loca mutant aut peregre proficiſcuntur, mulier omnem ſecum portet, onerata inſtar muli, maritum ſemper ſequens.

Primaria ſupellex eſt rete, quod ipſi vocant *Ini*, Luſitani *Rede*, Belgæ **Hangemack**; vulgo *Hamacca*: in hoc dormiunt, alligata utraque extremitate ad ædium ſuarum trabes. Sunt autem hæc retia ex filis goſſypinis contexta, ſex aut ſeptem pedes longa, quatuor ampla.

Luſitanæ quoque fœminæ elegantia conficiunt, ampla & variis figuris intertexta.

Tapuyæ Cariri duodecim vel quatuordecim pedes longa faciunt, ſex vel ſeptem ampla, ita ut quatuor homines ſimul in eo cubare poſſint.

Habent unam atque alteram ollam ex argilla factam, qua utuntur ad coquendum.

Adhæc mortarium ligneum cum piſtillo ligneo, quod vocant *Angua* & *Vmbua* vel *Vnqua*. Cultros à noſtratibus redemtos, nominant *Itaquice*: vulgo alias è petra faciunt, etiam vocant *Itaque*: item ex Arundine quos dicunt *Taquoaquice*.

Specula ex Europa allata, quibus ſupra modum delectantur, vocant *Guarugua* & *Aruga*. Loco patinarum utuntur cucurbitis quarum multæ & variæ hîc reperiuntur ſpecies; has per medium ſecundum longitudinem ſecant & rubro *Vrucu* colore exterius tingunt, interius autem obducunt nigredine. Vocant ſic *Cuyaba*: quæ eſt medietas grandis & amplæ cucurbitæ,

quæ

quæ integra triginta aut triginta quinque cantharos vini poteſt capere. Medietatem tamen cucurbitæ longæ nominant *Cuipeba:* denique quamcunque medietatem *Cuya: Caruaba* autem omne in quo & ſuper quo cibum ſumunt.

Cochlearum loco inſerviunt ipſis digiti manus, vel mytuli, aut aliæ conchæ.

Menſa ipſorum eſt vel terra ipſa, vel ſcamnum quoddam, quod *Patagui* vocant, factum ex arundine vel virgis ligneis, more noſtratum ſcamnorum.

Caniſtra faciunt ex foliis Palmæ, & appellant *Patiguâ:* in his recondunt quicquid habent. Alios quoque præterea habent corbes ex arundinibus concinnatos. Hanc ſuppellectilem generali nomine vocant *Caramemoa.*

Ex virgultis quoque conficiunt corbes oblongos ſatis amplos, quos capite portant impletos, vocant *Panacu.* Inſerviunt ipſis præcipue ad tranſportandum radices Mandioca, quando farinam faciunt: nam iter facientes utuntur aliis illis quos vocant *Patigua.* Æthiopes autem hîc *Panaca* utuntur ad res quaſlibet portandas.

Lagenæ, canthari, cyathi illorum ſunt cucurbitæ variæ, ut *Cuieté*, *Iaroba*, *Cuibuca.*

Quando peregre proficiſcitur maritus, mulier ſemper illum ſequitur quocunque abeat, ſive in expeditionem militarem, ſive alio, ſive procul, ſive prope. Ille nihil præter arma ſua portat: mulier vero inſtar muli onerata eſt, præterquam enim quod à capite in tergum dependet corbis, quem *Patigua* vocant, quam cordæ annectit, (cordam autem non collo ſed fronti circumponit geſtando illam) etiam capiti ſuperius imponit alium corbem cum mobilibus ſuis, vel ingentem cucurbitam farina refertam: lateribus præterea adhærent cucurbitæ minores, quibus aquam hauriunt ad bibendum. Nec tamen adhuc ſatis onerata eſt mulier, infantem etiam geſtare debet, inſidentem linteamini, quod ab humero dextro dependet. Inſidet autem infans cruribus divaricatis, uno ad ventrem, altero ad tergum matris verſo, ventrem vero ſuum lateri matris dextro applicat. Præterea una adhuc manu vel Pſittacum geſtat, vel Cagui, altera autem manu canem funiculo alligatum ducit. Ita abeunt ſine curis, non inſtructi loculis argento repletis, ſed cucurbita pauca ſolum farina referta, non ſolliciti de hoſpitio nec hoſpite fido vel infido, ſufficiunt enim ſilvæ & campi, qui gratis præbent cibum, potum vero fluvii, lacus, vel fontes, vel planta quæ vocatur *Caraguatâ*, quæ inter folia ſemper aquam pluvialem continet: ſummum remedium in locis aridis & ſterilibus, ubi ſæpius nec fluvius, nec rivus, nec lacus ſpacio octo, novem, duodecim milliarium reperitur. Adventante veſpera ubi pernoctare animus, ibi retia ſua ſeu lectos penſiles alligant arboribus, vel palis terræ infixis, ignem prope ſtruunt, præparant ſuum cibum, hauriunt potum, comedunt, bibunt. Si autem metus ſit à pluvia, hîc ſunt Palmæ arbores, præciduntur rami, baculi duo terræ infiguntur, alii oblique inſtar tignorum alligantur opera viminis, complicantur folia palmæ cynaris, fit tectum, atque ita domus confecta eſt & ſimul picta; viriditate enim ſplendent naturali folia, qui color gratiſſimus eſt oculis, nec parietes calce incruſtati albedine ſua hebetant viſum. Hæc domus & pluviam arcet & homines à vento nocturno defendit, cum regioni venti opponatur.

Cum domi exiſtentes, viri mane cum arcubus & ſagittis ſuis in ſilvas abeunt vel campos, ad figendum aliquam feram vel avem: vel abeunt ad mare piſcandi cauſa, vel piſcantur in fluviis vicinis: mulieres plantaria adeunt, & labores ſibi impoſitos ſubeunt. Quædam & maritos comitantur, ut prædam domum reportent.

Feras capiunt variis modis, vel enim figunt ſagittis, vel foveas faciunt profundas in terra, & deſuper cooperiunt ramulis arborum certo loco, in quas incidunt inopinatò feræ, vocant *Petacu:* vel etiam è ligno certas decipulas faciunt. Alius modus feras grandiores capiendi vocatur *Mande aratacâ*, quo in capreis capiendis utuntur. Alius item inſidiarum *Poé:* tertius pro eiſdem capreis *Munde guacu*; pro Tatu & Aguti, & ſimilibus animalibus adhuc alium habent, quem dicunt *Mundeguaya.*

Ad volucres autem capiendas, utuntur certis inſtrumentis quæ vocant *Iucana:* quæ illis ſunt trium generum: nimirum *Iucanabipiara*, quod aves pedibus capit: *Iucanaiuripiara*, quod eas cervice apprehendit: *Iucanapitereba*, quod medio corpore.

In fluviis Piſces vel ſagittis figunt, vel hamulis capiunt, quibus applicant vel lumbricos teretes qui ab ipſis vocantur *Candaguacu*, vel gammaros, cancellos, piſciculos. Vel inebriant illos, ut quaſi mortui ſuperfluitent, cum foliis *Iapicaj*, vel cum *Timbopotiana*, vel cum *Tinguÿ*, vel cum *Tinguiri*, vel cum fructu *Cururu ape*; aut radicibus *Magui*, corticibus arboris *Anda*, & ſimilibus. Piſcantur quoque certis cribris, *Vrupema* vocatis, quæ faciunt ex arundine *Vruguiboandipia* appellata.

In mari piſcantur hamulo eſcâ inſtructo & filo alligato, inſidentes tribus lignis ſibi invicem annexis, vocant *Igapeba*, & Luſitani *Iangada.* Fiunt autem è ligno arboris *Apeiba*, ut

jam

jam ſupra diximus. Fila autem ſua piſcatoria faciunt è filis *Tacu*, vel etiam *Icipoicica*, vocantque *Pinaçama*: hamulos denique faciunt è ferro, & appellant *Pindâ*.

CAP. VIII.

De Cibo & Potu Braſilienſium.

VNiverſale Braſilienſium alimentum eſt *Vi*, Luſitanis *Farinha de Mandioca* dicta: cujus varias ſpecies præparant, uti in deſcriptione *Mandÿba* dixi, ubi & varios illam præparandi modos prolixe explicavi.

Carnem variam uſurpant animalium ſilveſtrium, aviumque, uti & piſcium variorum, etiam teſtaceorum & cruſtaceorum: fructus itidem arboreos, terreſtreſque, varia legumina; de quibus omnibus ſpecialiter dixi ſuis locis. Imo & inſecta quædam commedunt, nimirum ea de quibus dixi in lib. de Inſectis.

Carnem autem comedunt vel coctam, vel aſſatam, vel toſtam. Coquunt in ollis terreis, quas *Camu* vocant, rotundis (quas è proba argilla ipſi norunt facere) affundendo aquam, atque ita coctam comedunt cum *Inquitaya*, juſculo *Caarimaciû*, admiſcentes *Mingau*, vel immittendo *Viatâ*, ut ſit *Minipirô*; comedentes illud cum carne loco panis.

Ignem eliciunt ope duorum lignorum, uno molli, altero duro, durum acuunt, & applicant molli, circumagendo inſtar terebri & admovendo goſſypium, vel arida folia arborum, atque ita flammam eliciunt. Ligna mollia quibus utuntur, aut ſumunt à *Tataiba*, aut *Ambaiba*, aut *Caraguata guacu*, aut ſimilibus.

Aſſatam carnem ſic perficiunt & eſt ea ſaporis excellentiſſimi, atque adeo excellit omnem aliam carnem quoquo modo aſſatam. Vocant *Biaribi*. Faciunt foveam in terra, & hujus fundo primo imponunt folia grandia alicujus arboris, illiſque imponunt carnem aſſandam, quam itidem foliis tegunt, terraque obruunt. Super terra illa focum ſtruunt luculentum, eumque continuant, donec caro ſit probe aſſata.

Toſtam carnem in præſentes & futuros uſus, faciunt hoc modo. Infixis quatuor furcis ligneis, è baculis cratem deſuper efformant, quem *Mocae* vocant, huic carnem in fruſta oblonga, haud craſſa, conciſam, & ſale aſperſam, (vel illius defectu pipere Braſiliano) imponunt, prunas ſubjiciunt, atque ita torrent uſque ad ſufficientiam. Hæc caro ita toſta, ad decem vel quatuordecim & plures dies durare poteſt. Hîc enim ſaliri ita caro non poteſt ut in Europa. Numquam aſſant carnem veru affixam, uti nos ſolemus. Luſitani carnes ad eum modum toſtas appellant *Poſtas*.

Piſces aſſatos vel ebullitos comedunt cum *Inqultaya*. Cancros vel gammaros quando coquunt, numquam adjiciunt ſalem inter coquendum, uti noſtrates ſolent facere, ſed coctos comedunt vel cum ſimplici ſale, vel *Inquitaya*, Luſitanis *Sal-pimenta*; & ſic gratioris deprehenduntur ſaporis.

Minutiores Piſces, ut *Piaba*, *Piquitinga*, &c. Foliis herbaceis aut arboreis involvunt & operiunt cineribus calidis, ita brevi tempore ad cibum parati ſunt, licet neque cocti neque aſſi dici poſſint.

Farinam duobus vel tribus poſterioribus digitis dextræ manus prehenſam inter edendum ori injiciunt, nullo cochleari utentes. Eodemque modo legumina cocta non immittunt ori, ſed injiciunt, ita dextre, ut vix aliquid prætereat.

Edunt ſæpius interdiu, imo & noctu, neque ſtata edendi tempora obſervant. Capiunt autem cibum cum ſummo ſilentio: raroque inter edendum bibunt, ſed demum poſt paſtum adjiciunt potum.

Dormiunt in retibus ſuis: ſunt admodum pigri, & non raro totum diem ſtertendo perdunt, & ægre ſe levant, ſi victus abundet, & neceſſitas illos foras non propellat. Prope retia ſua penſilia ſtruunt focum tam noctu quam interdiu; ut interdiu ſerviat coquendo cibo, noctu autem aërem arceat frigidum, qui in hiſce regionibus noctu frigidior eſt, & interdum frigidiſſimus, ob noctuum & dierum perpetuo pene æquabilem longitudinem.

Potus ordinarius Braſilienſium eſt aqua frigida, fontana vel fluviatilis, quæ hic & valde bona & clara reperitur, ita ut non facile quis noxam ab hauſtu ejus patiatur, quantumvis largius biberit: quod de fontana imprimis intelligendum eſt.

Vites autem licet hîc ter atque etiam quater uno anno fructus ferant, quia tamen earum non eſt tanta copia ut vinum premi aut opportunum aut operæpretium ſit, earum loco plures modos commenti ſunt Braſilienſes, quibus è variis fructibus atque etiam radicibus potus concinnent, qui vini locum expleant. Et quidem primo vocant *Caoi*, quem nimirum faciunt ex Acaijbæ arboris fructu maturo, quem contundunt in mortario ligneo, vel etiam

tantum manibus exprimunt; ſuccum paulum ſubſidere ſinunt & tum percolant. Hoc vinum, ſi ita licet vocare, recens, albicat inſtar lactis, poſt aliquot autem dies fit pallidius. Saporis eſt adſtringentis; forte, ita ut quoque inebriet paulo largius hauſtum. Poteſt aliquandiu adſervari, ſed denique degenerat in acetum optimum & boni ſaporis, ita ut ab ignaris pro aceto vini ſumi poſſet.

Alterum vinum vocant *Aipÿ*, quod præparant duobus modis, vel maſticando vel contundendo radicem; utrovis tamen modo per ebullitionem. Priori modo radices de *Aipimacaxera* conciſas vetulæ dentibus maſticant, ollæque inſpuunt, vocantque hanc veluti pultem Caraçu: dein aquam ſuperfundunt, coquunt lento igne, continuo agitando: per expreſſionem deinceps ſeparant liquorem, quem vocant *Cavicaracu*: hic potus bibitur tepefactus. Poſteriori modo eadem radix recens bene purgata conſcinditur, contunditur, & ebullitur in potum candicantem inſtar lactis ebutyrati, qui & tepefactus bibitur. Saporis eſt grati, ſubacidiuſculi, & vocatur *Cacimacaxera*. Utrumque tamen potum communi nomine appellant *Aipÿ*.

Tertii generis appellant *Pacobí*, quem conficiunt è fructibus arboris *Pacobete* & *Pacobuçu*: de quibus in arborum deſcriptione à nobis dictum eſt.

Quarti generis nominant *Abatiî*, Luſitani autem *Vino de Milho*, quia fit è milio illo grandi, quod vulgo Turcicum vocamus, & Maizium.

Quinti generis dicitur ipſis *Nanaî*, quia fit è præſtantiſſimo illo fructu *Nana*, de quo plura in illius deſcriptione diximus. Obſervandum autem hoc eſſe fortius reliquis omnibus & facillime inebriare.

Sexti generis ipſis vocatur *Ieticî*, Luſitanis autem *Vinho de Batatas*; ſiquidem fit è notiſſimis illis radicibus, & quidem varie mixtis.

Septimum locum obtinet potus qui conficitur è fructu *Ianipaba* maturo.

Octavum autem quem Braſilienſes vulgo vocant *Beeutingui*.

Nonum, quem vocant *Tipiacî*, qui utrique potus itidem fiunt è farina Mandiocæ, nimirum è *Beiu* & *Tepioia*, de quibus alibi dictum.

Cæterum hi Barbari ſupra modum amant aduſtum noſtras, vocant *Cacitata*, & enormiter, cum datur, ſe illo inebriant. Potu itidem quem Nigritæ hîc faciunt & vocant *Garapa* (fit autem eo modo quem in Cannarum ſacchari deſcriptione dixi) magna copia ſe ingurgitant, ita ut integros dies noctesque canendo & ſaltando traducant, potui continuo indulgentes tam fœminæ quam viri. Mirum tamen quod rarius inter pocula rixentur, niſi forte Zelotypiæ cauſa.

Tapuiyæ quando hunc potum præparant, ſive *Acauî*, ſive *Aiipiî* (ii ſcilicet qui pagos incolunt & è Tapuiarum genere Cariri dicuntur) faciunt id omnes ſimul. Dies dein conſtituitur & indicatur ſingulis. Conveniunt omnes mane, incipiendoque ab uno pagi angulo, evacuant ordine omne vinum per omnia domicilia donec nihil ſuperſit. Potui ſic indulgendo cantillant, ſaltant rara intermiſſione. Quando eorum aliquis ſe nimio potu diſtentum ſentit, vomitum ſibi excitat & denuo haurit; ita ut qui plus vomere poteſt & denuo bibere, pro optimo & ſtrenuiſſimo habeatur inter reliquos potatores.

Tabaco quoque frequentiſſime utuntur omnes Braſiliæ incolæ: vocant hanc herbam *Petima*, & folia illius *Petimaoba*. Hanc in aëre ſiccatam ponunt ad ignem, ut manu conteri in minutas particulas poſſit: hinc indunt inſtrumentis ſuis è cortice fructus *Pindoba*, vel *Urucuruîba*, vel *Ioçara*, aut *Aque*, &c. confectis; præcidunt quippe una extremitate, nucleum eximunt ac corticem poliunt; hinc foramine in latere facto applicant tubulum è ligno factum. Hoc inſtrumentum vocant *Petimbuaba*, Luſitani autem corruptè *Catimbaba*, Belgæ adhuc corruptius **Katgenbow.** Utuntur quoque tubulis ex argilla à ſe factis & excoctis, ſicuti & illis qui ex Europa ad eos afferuntur, quos nominant *Amrupetimbuaba*.

Tapuiyæ autem utuntur tubis rectis, amplis, ligneis vel etiam argillaceis, ita amplis, ut integrum pugnum Tabaci capiant, quibus repletis & accenſis ſugendo fumum hauriunt.

CAP. VIII.

De Lingua Braſilienſium, è Grammatica P. Joſephi de Anchieta, S. I.

HOc caput ab Authore noſtro plane affectum tantum fuit derelictum: ſed pervenit ad manus meas Grammatica linguæ maximè uſitatæ in Braſilia, compoſita & digeſta à P. Joſepho de Anchieta, *S. I.* edita Conimbricæ Anno CIↃ IↃ XCV. è qua pauca delibabimus ut guſtum aliquem linguæ demus.

I. *De*

I. *De Literis:* Hæc lingua non habet *f, l, ſ, z, rr* duplex, neque mutam cum liquida, ut, *cra, pra,* &c. pro *ſ* autem in principio aut medio dictionis ſervit *c* cum *zeura*.

Non conjungitur conſonans cum altera conſonante in eadem dictione, excepto *mb, nd, ng*, ut, *Acmomber, Aimondo, Aimeeng*. Petiguares qui juxta Paraibam incolunt & reliqui indigenæ uſque ad Tamoyes qui Rio de Jenero accolunt verba quæ deſinunt in conſonantem pronunciant integra: Tupis autem S. Vincentii numquam pronuntiant ultimam conſonantem in verbo affirmativo; ut, pro *apab*, dicunt *Apâ*, & ita in cæteris. In verbis item compoſitis ut plurimum abjiciunt conſonantem ultimam prioris verbi.

II. *De Orthographia:* *P. m. mb.* ſæpe uſurpantur una pro altera, hoc modo: dictiones abſolutè ſumtæ pronuntiantur cum *m* aut *mb*; ut, *Mo*, vel *mbo* manus: præcedente autem adjectivo mutatur in *p*, ut, *Xepo*, manus mea: excipe *Mbae*, quæ numquam mutat, ut, *Xembae*, mea res. *B* autem in principio dictionis numquam pronuntiatur ſine *m*, licet per incuriam interdum non ſcribatur. In medio quoque dictionis communiter ponitur *b* poſt *n*: & uſitatiſſima pronunciatio, *b* & *p* in medio & fine dictionis fere ſemper mutantur in *m*, aut *mb*, &c.

III. *De Accentu:* Omnes dictiones quæ deſinunt in quatuor ultimas vocales, habent accentum in ultima & notantur circumflexo. Quædam autem quæ deſinunt in *e*, videntur habere accentum in penultima, quod fit quia ſunt compoſitæ. Quæ deſinunt in *a*, partim habent in ultima & notantur eodem accentu, partim in penultima, & notantur acuto: Monoſyllaba autem accentu gravi. Verba denique maximam partem accentum habent in ultima Syllaba, in qualemcumque demum conſonantem aut vocalem deſinant.

IV. *De Nominibus:* Nomina non habent caſus aut numeros diſtinctos, præter Vocativum caſum, cum hac differentia, nimirum, quod ea quæ habent accentum in ultima nihil mutantur in omnibus omnino caſibus.

V. *De compoſitione nominum:* Nomina ſubſtantiva componuntur cum adjectivis, ita ut ſubſtantiva ſemper præcedant, & ſi habeant accentum in ultima, manent integra: ſin in penultima & vocales concurrant perdunt ultimam vocalem, ut, *Tuba ete*, *Tubete*, pater verus. Si concurrant cum conſonante perdunt totam ultimam ſyllabam. Denique ſubſtantiva cum ſubſtantivis junguntur ad eumdem modum.

VI. *De Pronominibus:* Pronomina habent aliquot caſus: ut Ego, Nominativ. *yxê, xé*. Dativ. *yxebe, yxebo, xebe, xebo*, mihi: Nominativ. Pluralis, *orê*, *yandê*, nos: Dativ. *orebe*, *orebo*, *yandebe*, *yandebo*, nobis. Tu Nominativ. *ende, nde, ne*. Dativ. *endebé, endebo, ndebe, ndebo*, tibi. Nominativ. Plural. *peê*, vel *pe*, vos: Dativ. *Peême*, vel *Peémo*, vos: Accuſativ. *opô*, vel *pé*. Vocativ. *peê*, vel *pê*. *Orê, yandê*, ſunt etiam Adjectiva noſter, noſtra, noſtrum. Eandem declinationem obtinet *Acê*, ut, Nominat. *Acê*, Dativ. *Acébe*, vel *Acebo*, & ſignificat hominem & ſervit tertiæ perſonæ, in ambobus numeris & utroque ſexu; *c*, cum *zeura*, & *i* ſunt pronomina relativa in omnibus caſibus, & numeris, & ſignificant, *is, ea, id*. Reciprocum *o*, id eſt, ſe, ſuus, ſua, ſuum, uſurpatur ſimpliciter quando ſermo refertur ad perſonam agentem, ut in lingua Latina, exempli cauſa, Petrus *oiucâ oguba*, Petrus occidit ſuum patrem.

VII. *De Verbis:* Licet omnia verba habeant unum modum Conjugationis, licet tamen dicere habere duos, quia Negativus adjicit aliquas particulas: exempli cauſa; *Aincû*, ego occido; *Namcaî*, non occido. Similiter autem ſe habent Indicativi modi, Præſens, Imperfectum, Perfectum, & Pluſquamperfectum, in Futuro, *Aiucâne*, occidam; *Naamcaixorene*, non occidam. Plurima autem obſervanda ſunt in Conjugationibus, quæ brevitatis cauſa omitto.

VIII. *De Præpoſitionibus:* Quæ tamen ipſis potius ſunt poſtpoſitiones, quales *Mô* in, *Pê* in, ad, pro cum Dativo. *Bê* in, per. *Qupê* pro, cum Dativo. *Cui* de, ex, præter. *Coce* ſupra, ſuper. *Tobaque, çobaque*, coram. *Tenondê* ante, de tempore. *Cupî* per, de loco. *Cotí* verſus. *Cecê* vi, cum, propter, pro, in, a. *Porupî* longe: *Pocê* cum, inſtrumentale, in, intra. *Pabê* cum, ſocietatis. *Nái* idem. In ſingulis autem multa obſervanda, quorum pauca tantum hîc ſubjungam. *Pe* ſi jungatur cum nominibus quæ deſinunt in *ba*, cum accentu in penultima, facit perdere ultimam ſyllabam, ut *Taba* aldea, *Tape* in aldea. *Bo* ſemper eſt plurale. *Coce* ſignificat locum & exceſſum, atque ita ſervit pro comparativo, ut, *Itâcocê* ſuper lapidem vel plus quam lapis.

Porro ut guſtum demus aliquem hujus linguæ, Dictionariolum adjungo, quale ab Emanuële de Moraes, linguæ illius peritiſſimo accepi, & quidem primo nominum.

CAP. IX.

Dictionariolum nominum & verborum linguæ Braſilienſibus maxime communis.

TVpâna, Deus.
Caraibebê, *Apiabebê*, Angelus.
Cetecîmibaê, Spiritus.
Ibatinga, *Ibitinga*, nubes.
Amandiba, grando.
Ara, dies.
Putuna, nox.
Coemitanga, aurora.
Ara ibicoquime, meridies.
Abâ, homo.
Anga, anima.
Tetê, corpus.
Pocem buera, membrum.
Acangapé, cranium.
Tagica, vena.
Canga, os oſſis.
Taguî, ſanguis.
Pirâ, cutis.
Tiaya, ſudor.
Tendî, ſputum.
Aba, crines.
Apecum, lingua.
Tendiba, mentum.
Ayûra, collum.
Aceoca, jugulum.
Atyba, humerus.
Gibâ, brachium.
Mbô, manus.
Ecatuaba, dextra manus.
Acu, ſiniſtra manus.
Puâ, digitus.
Puâ guacu, pollex.
Mua pendaba, articulus.
Vnha puapem, unguis.
Atucupe, dorſum.
Potia, pectus.
Cama, mamma.
Tigne, venter.
Purva, umbelicus.
Ique, latus.
Nhia, cor.
Ibâia, Cœlum.
Coaracî, Sol.
Iaci, Luna.
Icapî, ros.
Ara, tempus.
Acayûro ig, Annus.
Iaci, menſis.
Caruca, veſpera.
Tata, ignis,
Tuba, parentes & pater.
Ay, *cig*, mater.
Tamûa, avus.
Araya, avia.
Taîra, liberi, & filius.
Tagira, filia. His duobus nominibus pater tantum utitur, mater dicit *Menbîra*.
Tiquera, ſoror major natu.
Piquiîra, minor natu. His nominibus utuntur fœminæ inter ſe.
Tiqueira, frater major natu.
Tibîra, minor natu. His nominibus utuntur fratres tantum inter ſe: ſicuti *Quibira*, frater, ſorores tantum erga fratres, & *Teindîra* ſoror, fratres tantum erga ſorores.
Tûba, *Tutira*, patruus.
Cig, *Cygra*, amita; eiſdem nominibus ſignificant & avunculum & materteram.
Coya, gemini.
Temireco, maritus & uxor.
Mendara, matrimonium.
Abaiba, ſponſus futurus.
Cunhaiba, ſponſa futura.
Cemiraco aô bae, viduus.
Ymen eóbae, vidua.
Tubei îma, pupillus.
Iacitatâ, Stella.
Opacatúmbae, mundus.
Ibutû, ventus.
Amacûnunga, tonitru.
Amaberaba, fulmen.
Ibi, terra.
Ara, aër.
Ig, aqua.
Aba, vir.
Cunha, fœmina.
Tuibaem, ſenex.
Guaibino, vetula.
Cunumigoacu, adoleſcens.
Cunumi, puer.
Pitanga, infans.
Anâma, cognatus.
Iba, arbor.
Ibitira, mons.
Ceba, folium.
Yâ, fons.
Ita, ferrum.
Itâ, lapis.
Pirâ, piſcis.
Roig, frigus.
Ceo, animal.
Guirarupia, ovum.
Mocu, anguilla.
Cay, ſimia.
Eyruba, apes.
Potivî, anas.
Ipeca, anſer.
Capiî, gramen.
Iguaba, calix.
Itapigua, clavus.
Mbaê apapuara, faſcis.
Itacira, ligo.
Capii goacu, ſtramen.
Mbiû, cibus.
Cobra, anguis.
Apicaba, ſedes.
Piâ, jecur.
Cebîra, nates.
Mâupiâra, bilis.
Tigue perg, inteſtinum.
Ty, urina.
Tyurù, veſica.
Vba, coxa.
Acaya, matrix.
Tendipia, genu.
Pî, pes.
Temâ, tibia.
Micu, digitus pedis.
Mitâ, calcaneus.
Porucuicôbora, pauper.
Coribae, lætus.
Angaipaba, pravus, aſtutus.
Yyaobeimmbae, nudus.
Mbaeaûbora, ægrotus.
Apara, curvus.
Tipibae, triſtis.
Angaturama, gratus.
Poranga, pulcher.
Tecobecatu, ſanus.
Atapuâtia, velox.
Iuba, flavus.
Tinga, albus.
Mormotara, iracundia.
Tecoateima, avaritia.
Porerobiära, fidelitas.
Tecoacû, felicitas.
Ibatebae, altus.
Boya, ſervus.
Atapuana, levis.
Poxî, deformis.
Catû, delicatus.
Pucu, longus.
Angaibara, macer.
Membeca, mollis.
Acuabeimbae, fatuus.

Dictio-

Dictionariolum verborum maxime communium.

CEpiaca, videre.
Cenduba, audire.
Cetûna, odorare.
Caanga, guſtare.
Nheenga, loqui.
Capucaya, clamare.
Igû, bibere.
Pocaucuba, ſomniare.
Mbaeû, edere.
Rura, venire.
Menbirara, parere.
Tecobe, vivere.
Carom, ſperare.
Ayaima, ſternutare.
Ierure, poſcere.
Abiqui, pectere.
Cenoya, appellare.
Cuâba, cognoſcere.
Nhemboe, diſcere.
Puca, ridere.
Ciquiye, timere.
Quera, dormire.
Ienumûna, ſpuere.
Caanga, dicere.
Nheangeru, ſuſpirare.
Cecarâya, obliviſci.
Gueena, vomere.
Guapua, ſedere.
Queraro, vigilare.
Puâma, ſurgere.
Caruca, mingere.
Poacêma, gemere.
Pitêra, ſorbere.
Tiû, pudere.
Yaceô, plorare.
Mano, mori.
Acanhem, morior.
Tîma, ſepelire.
Cenonheca, precari.
Cepiaca, reprehendere.
Mondôca, findere.
Aeî, errare.
Capucâya, ringi.
Berâba, ſplendere.
Rerecô, habere.
Momitâ, accipere hoſpitio.
Anduba, ſentire.
Cô, ire.
Guata, ambulare.
Moanga, cogitare.
Maenduara, recordari.
Paraboca, eligere.
Mopotaya, nectere.
Porâra, mentiri.
Aroca, minuere.
Angaipaba, delinquere.
Puaya, jubere.
Potara, cupere.
Meenga, tradere.
Moendî, *capî*, incendere.
Mondoca, incidere.
Abî, errare.
Ecatu, poſſe.
Nhengara, cantare.
Porabiqui, operari.
Yeaôboca, exuere.
Momiya, movere.
Peâ, vitare.
Pituba, ungere.
Pobâna, nere.
Cobaitim, occurrere.
Cenoya, vocare.
Mondoroca, frangere.
Coameenga, mordere.
Coquendaboja, aperire.
Raba, ſolvere.
Cacâba, tranſire.
Tîma, plantare, terere.
Pocuâba, conſueſcere.
Igtaba, natare.
Peâ, deponere.
Paepûa, reſpondere.
Moetê, adorare, honorare.
Monbeu, nunciare.
Tiguioca, ſanguinem reddere.
Morîba, conſentire.
Acoy, operire.
Yucâ, occidere.
Moperûa, frigere.
Caê, ſanare.
Moabaîba, impedire.
Apitton, ligare.
Cuu, defendere.
Caucсuba, diligere.
Pitibô, juvare.
Mogîba, coquere.
Amotareima, odiſſe.
Caanga, metiri.
Moaquima, madefacere.
Monguya, ſolvere.
Monguy, molere.
Pita, manere.
Puru, uti.
Tara, capere.
Mobibua, ſuere.
Potareima, recuſare.
Iabâba, effugere.
Moete, laudare.
Capîra, purgare.
Mbaeraca, emere.
Monhanga, facere.
Cerûra, portare.
Moyeceâra, miſcere.
Moropiâna, commutare.
Paronduba, inquirere.
Cupira, levare.
Yeupîra, aſcendere.
Maramonhanga, belligerare.
Monberaba, vulnerare.
Apîna, radere.
Mondoca, ſcindere, auferre.
Cema, exire.
Aôba mondêba, induere.
Iecoacuba, abſtinere.
Cica, arare.
Cipîja, rigare.
Ceyara, deſerere.
Pitanga rempî, concipere.
Moaguêba, reſtinguere.
Moabaîba, incantare.
Monbuja, terebrare.
Pitêra, oſculari.
Monbuca, perforare.
Mayaoca, dividere.
Amî, premere.
Mogycô, polire.
Moyarû, jocari.

Notandum autem illos multa habere vocabula tam nomina quam verba, quæ plura & diverſa ſignificent: exempli cauſa: *A.* ſignificat fructum: item dilectum commilitonem, ut cum dicunt, *Mamô cuipe ereym Xe a*, unde venis dilecte commilito? Item *A.* membri virilis caput: ex modo autem & tempore loquendi intelligitur de quo loquantur.

Accang jaculor, lego, metior, pondero, delibo. *Aâr* cado, ut *Aâr quecê Ibîpe*, heri cecidi in terram. Item *Aâr*, intelligo, ut *aár coite aipô recê*, nunc hoc intelligo. Sed de his ſatis.

CAP. X.

De Armis Braſilienſium, & exercitiis illorum.

ARcus habent è duro ligno factos, quos vocant *Guirapara* & *Vrapara*. Lignum autem unde fiunt *Guirapariba* & *Vrapariba*, Luſitanis *Pao d'Arco*. Cordas arcuum è goſſypio contorquent, vocant *Guirapacuma*. Sagittas ex arundine ſilveſtri faciunt & vocant utramque rem uno nomine *Vuba*. Extremitates ſagittarum, quas *anha* vocant, ſunt ex ligno aſperatæ, vario modo: quædam enim multa acumina *Vutapoaeta*, quædam unicum acumen habent, quædam dentata, quædam ſerrata: quibuſdam etiam dentes piſcium qui *Iperu* vocantur, aptant.

Iurupara appellant ſagittam quæ acumen habet ex arundine *Tacoara* vocata.

Tapuyarum nationes quædam nullis arcubus utuntur, ſed ſagittas ſuas emittunt manus jactura ſolummodo, imponendo ligno cuidam excavato inſtar tubi per medium ſecundum longitudinem diſſecti. Cariri autem arcubus utuntur.

Tapuyæ clavas habent ex ſolido ligno nigro confectas, vocant *Iapema*, longas & latas anterius, & oſſiculis interdum aſperatas. Manubrio autem circumvolvunt teniolas è goſſypio, vel aliud quid: vocatur *Iatirana* quicqud ita circumligatur. In extremitate clavæ poſtica dependet faſciculus pennarum è cauda Arara, uti & in medio parvus faſciculus adligatus eſt. Vocatur id quod ſic à clava dependet *Atirabebe* & *Iatirabebe*.

Tubas faciunt ex oſſibus humanis, quas nominant *Canguenca*.

Habent alias tubas, quas vocant *Muremure*.

Alias itidem tubas grandes factas ex conchis quas *Guata pi guacu* nominant, & ipſas tubas *Nhumbu goacu*. Item alias quas dicunt *Vruca*.

Tuba item alia quæ ex canna eſt facta, ipſis dicitur *Membiapara*. Tubas autem noſtrates vocant *Itamembi*: quia è metallo factæ ſunt.

Saltationibus ſupra modum ſunt addicti, quas generali nomine vocant *Guau*.

Habent autem varios ſaltandi modos: quorum unus vocatur *Vrucapi*. Habent & inter ſaltandum varios cantandi modos.

Pueri quoque certos exercent luſus; quorum unus vocatur *Curupirara*: alter *Guaibipaie*: tertius *Guaibiguaibiabucu*. Atque hæc tantum obiter ab Auctore deſignata inveni, uberius explicaturum fuiſſe liquet, ſi ſupervixiſſet; ſed apud Joannem Lerium hæc pluribus explicata inveniuntur.

CAP. XI.

De Braſilienſium religione.

CRedunt ex antiquorum traditione immortalitatem animarum, & fœminas & fortes viros, qui multos inimicorum trucidarunt & commederunt, poſt mortem ad campos Elyſeos, quos pene montes quoſdam eſſe autumant, abire, ibique tripudiare. Cæteros ignavos & ſocordes qui nihil in vita digni geſſerunt, credunt à Diabolo ſtatim poſt mortem cruciari. Vocant autem Diabolum *Anhanga, Iurupari, Curupari, Taguaiba, Temoti, Taubimama*.

ANNOTATIO. In Hiſtoria noſtra ſeu Deſcriptione Indiæ Occidentalis lib. xv. cap. 11. diximus de Religione Braſilienſium, verum quia de quibuſdam poſtea melius edocti fuimus ab iis qui diutius inter illos egerant, totum illum locum ita conſtituimus, pro ſecunda editione.

Braſilienſes Barbari nullum pene habent religionis ſenſum, nec de origine, & creatione hujus univerſi quicquam norunt, de diluvio univerſali obſcure & fabuloſum quiddam recordantur: nimirum mortalibus omnibus aqua hauſtis, ſuperfuiſſe unum aliquem cum germana ſua, jam uterum ferente, atque ab iis rurſus genus ſuum originem & incrementum accepiſſe. Neque Deum aliquem noverunt, neque proprie adorant quicquam, unde nec illud nomen in ipſorum idiomate reperire eſt quod Deum exprimat: niſi forte *Tupa*, quo excellentiam aliquam ſupremam denotant; unde Tonitru vocant *Tupacununga*, id eſt, ſtrepitum factum à ſuprema excellentia, à verbo *Acunvng* ſtrepere: Fulgur autem *Tupaberaba*, id eſt, ſplendorem excellentiæ, à verbo *Aberab* reſplendere. Illi ſe ligones & agriculturæ ſcientiam debere profitentur, atque ideo pro numine aliquo agnoſcunt. Cœlum aut inferos poſt hanc vitam pariter ignorant, licet animas poſt ſeparationem à corpore ſupereſſe credant, atque nonnumquam in dæmones converti, & ad campos irriguos, variiſque arboribus amœne conſitos, traductas, ibidem jugiter choreas ducere. Spiritus malignos impenſe metuunt, quos *Curipira*, *Taguai*, *Macachora*, *Iurupari*, *Marangigoana* vocant: ſed diverſis ſignificationibus; nam *Curipira* ſignificat numen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

numen mentium: *Macachera* numen viarum, viatores præcedens. Petiguares fingunt boni nuntii paranymphum; contra Tupiguaos & Caryos medicum humanæ ſalutis hoſtem. *Iuripari* & *Anhanga* ſignificant ſimpliciter Diabolum. *Marangigoana* non ſignificat numen, ſed animam à corpore ſeparatam vel aliud quid, inſtantem mortem prænuntians, ipſis Braſilianis non ſatis notum, & tamen illud vel maxime timent: ita ut interdum imaginario & vano illorum terrore ſubito exanimentur. Nec tamen ullis ceremoniis aut idolis venerantur: quidam tamen nonnumquam ſtipitibus ſolo defixis, & munuſculis juxta poſitis illos ſpiritus placare nituntur: rarius autem hi ſpiritus viſibiliter inter illos comparent, licet multi aliter prodiderint. Hactenus è libro noſtro ita correcto. *Pergit jam Auctor noſter.*

Habent ſuos ſortilegos ſeu ſacrificulos, quos vocant *Paie* & *Paj*, hos conſulunt de futuris quando ad bellicam expeditionem proficiſcuntur, vel alioſum, qui ipſis prædicunt quicquid accidere debeat. Utuntur hi multis ceremoniis.

Potiguara natio, modum aliquem habet faſcinandi eos quibus male volunt, ut moriatur, faciendo magnam naſſam, quam vocant *Iequie guacu*; atque hic modus faſcinandi dicitur ipſis *Anhamombicoab*.

ANNOTATIO. Hunc quoque locum in libro noſtro ita jam conſtituendum duximus.

Habent & ſagas, quibus vix aliter quam Medici utuntur, iiſque valetudinis recuperandæ deſiderio valde ſunt obnoxii: interdum & inter ipſos reperiuntur homines nequam, qui magicarum quidem artium rudes, ſed ludendi & ductandi miſerorum animos gnari, inſolitis quibuſdam corporis jactationibus & geſticulationibus ſui admirationem excitant,& falſis quibuſdam miraculis ſibi fidem conciliant: illi popularibus ſuis & interdum integris provinciis perſuadent culturam agrorum penitus omittere, veniſſe enim tempus, quo tellus omnia ſponte ſua ipſis ſit productura, atque ipſæ feræ illis ultro pabulum allaturæ: His aut ſimilibus næniis miſeros hoſce, natura ſua plerumque deſides, ita infatuant, ut neglecto terræ cultu, ſenſim commeatu deſtituantur, præque inedia deficiant, donec impoſtor ille ſolus ſuperſit, niſi ante à ſuis dolum perſentientibus trucidetur. Cæterum magos vocant *Page*: at *Caraiba* eſt illis poteſtas miracula perpetrandi: quare Luſitanos, quia multa faciebant quæ ipſorum captum ſuperabant, *Caraibas* appellabant, atque ita etiam hodie vocant & Europæos omnes.

Non poſſum præterire quin hîc addam, quibus præſtigiis illi qui medicinam inter illos profitentur, hominibus ægris illudant. Narrat *Iacobus Rabbi*, cum Regulus *Drarugh* ægrotaret magnumque dolorem pateretur in lateribus & cruribus; neque à ſuis medicis quicquam ſolatii acciperet, ad vicinum Regulum profectum, ut ipſius medicis uteretur; adhibiti tres, quorum primus, tabaco ſumto totum Regis corpus eo perroravit, dein arreptis illius genibus illa ita ſuxit quaſi devoraturus eſſet, & boatu quodam inſtar tauri edito, primum plurimum ſputi è gutture in manum effudit, atque una ſemivivum animal inſtar parvæ anguillæ, quod Regulum ita dolore cruciaſſe aſſerebat. Alter medicus poſtquam ventrem Reguli ad eundem modum ſuxiſſet,& inſtar feræ rugiiſſet, album lapidem è gutture evomuit, figura pene roſæ. Et repetita ſuctione in lateribus, evomuit aliquid ſimile radici. Ad eundem modum perpetuo agunt, & à credulo vulgo creduntur magni eſſe medici. *Sed pergit Marcgravius.*

Multi Braſiliani jam inſtructi ſunt in religione Chriſtiana: non tamen ſeduli ſunt in doctrina de Deo: nec magno ardore afficiuntur: Deum vocant *Tupa* & *Tupana*. Dant noſtrates operam ut in capitibus religionis Chriſtianæ inſtituantur & quidam ſatis magnos progreſſus fecerunt: ſed in moribus corrigendis maxima difficultas eſt, ob agnata quædam vitia, quæ ægerrime domantur.

Tapuiyæ adhuc pejores ſunt reliquis omnibus, nihil de Deo ſciunt, neque inſtitui volunt. Diabolum maxime colunt ne ipſis damnum inferat. Habent & ſuos ſortilegos quibus utuntur & multum deferunt. *Hactenus Auctor noſter, qui haud dubio plura addidiſſet, ſi Deus ipſi longiorem vitam fuiſſet largitus. Nos hic quædam de Tapuyis adjungemus è Relatione Iacobi Rabbi, quam Illuſtr. Comes Io. Mauritius nobis ſuppeditavit.*

CAP. XII.

De Tapuiyarum moribus, & conſuetudinibus, è Relatione Iacobi Rabbi, *qui aliquot annos inter illos vixerat.*

INcertis plerumque ſedibus vagantur inſtar Nomadum, inter certos tamen limites, inter quos caſtra mutant ſecundum Anni tempeſtatum mutationem; itaque Regulus eorum, qui *Otshicayaynæ* dicuntur, à maximo flumine quod fines eorum permeat, ut ſupra diximus, cujus gentile nomen eſt *Iandui*, veſperi & mane per caſtra proclamari curat pro arbitrio ſuo, & con-

ſultis ante divinatoribus ſuis & hariolis, quo proximo mane promaturi ſint, & ubi conſeſſuri, atque quid interdiu acturi. Mane antequam iter aggrediantur, fluvium ingrediuntur, & ſe abluunt, & nitidiſſima arena corpora ſua fricant, & rurſus abluunt: atque inde egreſſi artus ſuos



ita extendunt & contorquent, ut articuli ipſis crepitent. Hinc ad focum accedunt, & calefacti, denticulis quorumdam piſcium ita ſe ſcabunt, ut ſanguinem multis locis eliciant, quod ad laſſitudinem in itinerando demendam plurimum putant prodeſſe. Scribit Rabbi ſeſe id ſæpe eſſe expertum utile eſſe.

Ad lapidis jactum à Reguli tabernaculo, duo trunci arborum humi jacent unius paſſus intervallo à ſe invicem diſſiti, populus autem univerſus in duas turmas diviſus ex adverſo conſiſtit; hinc unaquæque turma eligit unum è robuſtiſſimis, qui truncos illos ſuccollant & quam poſſunt celerrime portant, ſuccedunt dein alii aliis ex eadem turma; qui autem primi ad locum caſtris deſtinatum pervenerint, tardioribus inſultant, atque illos exſibilant. Operiuntur hic juniores qui arma illorum & ſecures afferunt, hinc arbores certatim cædunt & pergulas conſtruunt, ſub quibus æſtum ſolis vitare poſſint, inter ipſos rivulos. Inter ea adveniunt & fœminæ cum reliquis im-



pedimentis: & viri egrediuntur, pro locorum conditione aut ad piſces, aut ad feras capiendum; atque itidem mel ſilveſtre colligendum: vetulæ vero ad radices eruendas, è quibus farina confici poſſit, & panes coqui: domi autem aliæ aliis auxiliantur & parant manibus cibum & potum: qui deinceps tempus terunt haſtilibus certando, luctando, currendo; quibus certaminibus duæ fœminæ ad id ſelectæ præſident, & judicant de ſingulorum virtute & victoribus.

Ubi veſpera advenit, coëunt adoleſcentes in varias cohortes, & caſtra perambulantes cantillant ante tuguria, adoleſcentulæ autem quæ juvenibus delectantur, prodeunt, & cantillantes atque tripudiantes ſequuntur adoleſcentes, & à tergo conſiſtunt eorum quos amant, id enim ipſis amoris teſtimonium eſt. Cum porro juvenes jam ad nuptias aſpirant, venantur feras

feras & colligunt mel ſilveſtre, aliaque, atque ad Patres dilectarum conferunt: qui ſi plures filias nubiles habeant, advocant prophetas & ſortilegos ſuos, medicoſque, illi autem adeunt Regulum ad deliberandum. Regulus porro convocat per præconem Adoleſcentes procos in proximum extra caſtra, ubi plurimi, tam adoleſcentes quam puellæ, conveniunt, & conjunctim per ſylvas vagantur, donec ad locum venationi deſtinatum pervenerint; atque hic conſilio capto pauci illorum progrediuntur, ut ferarum latibula indagent, qui, ubi illa offenderint, ocyſſime ad reliquos regrediuntur, & indicant quo loco ferarum ſit copia: deinceps omnes cum armis & canibus feras indagine cingunt, atque ita propere in illas ruunt, ut nonnumquam ducentas feras ſimul capiant & mactent, atque poſtquam lateribus apertis inteſtina canibus objecerint, illas inferunt caſtris. Accurrunt dein fœminæ, & foco facto, viſcera primum torrent viris in cibum: dein pilis ablatis, ferarum corpora concidunt in plures partes: poſtilla fovea intra terram facta, prunas illis indunt, atque eiſdem carnes ita conciſas ſuperimponunt, aggeſtaque arena, rurſus focum ſuperſtruunt, ita ut carnes percoquantur, haud ſecus quam in furno. Quidam & mella colligunt & potum conficiunt; atque ita commeſſando diem exigunt. Dein iterum accedunt ad Reguli tabernaculum ad deliberandum ubi proximo die venatio ſit inſtituenda; quo conſtituto, diſcedunt in cohortes ad cantillandum, è cantionum enim modo augurantur an venatio bene proceſſura ſit necne. Venatione abſoluta, rurſus commeſſantur ad eundem modum, & ii qui domi manſerunt, conferunt farinam è radicibus factam.

Diximus jam ante Barbaros hoſce labia, auriculas & genas perforare: hic actus ab ipſis inſtituitur ad hunc modum. Adoleſcentes ad hoc parati educuntur ad locum in quem populus convenit ad cantillandum & ſaltandum. Sortilegi autem eorum atque dæmonum incantatores duplici ordine ex adverſo conſiſtunt, atque eorum unus arripit puerum aliquem, & manus illius atque pedes arcte conſtringit, & ita tenet, ut ſe movere non poſſit, accurrit alter qui puero inferius labium acuto ligno perforat uti & auriculas, matre pueri interea ejulante. Adoleſcentibus porro foramina terebrant in genis, atque hæc ſunt veluti ſponſalia; neque enim ante adoleſcentes hæc ſubeunt, quam ad nuptias aſpirent: dein per triduum aut quatriduum commeſſantur: in iſto autem nuptiali convivio Regulus ipſe ſuas cuique partes diſtribuit de cibis qui parati fuerunt.

Matres imprimis hoc curant ne filiæ ipſarum ante ad conjuges accedant, quam menſes earum fluxerint, quod ſortilegis ſuis & medicis indicant, atque illi Regulo, & ita demum ſponſa ad ſponſi ſui cubiculum adducitur: celebratur porro cantilenis mater quod filiæ pudicitiam tam bene cuſtodiverit.

Quod ſi matris ſit filia aliqua matura viro, quæ tamen non petatur; tunc mater filiam ſuam ſub oculis rubro colore pingit, ubi menſes ſuos ſemel paſſa fuerit, & adducit illam ad Regulum, & exponit quid deſideret, tum Regulus juvenculam ad ſe vocat, & in ſtorea juxta ſe conſidere mandat, & fingens ſe medici partibus fungi, manus ad focum calefacit atque iis ſe demulcet; dein & ſe, & juvenculam Tobacci fumo afflat; denique pene juvenculæ pudenda ferit, ſi autem ſanguinem eliciat, hunc delingit, atque hoc imprimis honorificum putant.

Fœminæ prægnantes factæ deinceps à virorum conſortio abſtinent. Ubi autem pepererunt, ſecedunt in ſilvam, & infanti umbilicum concha præcidunt, & una cum ſecundinis coctum devorant: puerpera autem atque infans mane & veſperi frigida abluitur: neq; fœmina quamdiu infantem ſuum lactat cum viro ſuo conſueſcit, niſi forte ille unicam tantum conjugem habeat.

Si fœmina cum altero conſueſcat, & viro id innotuerit, abigit illam à ſe: ſin autem in ipſo actu forte deprehenderit, utrumque occidere licet, ſi poſſit. Narrat Rabbi Regulum Ianduy aliquot ſuarum conjugum ita trucidaſſe, mæchis dilapſis.

Regulus Ianduy habet in medio tabernaculi ſui ingentem cucurbitam, ſuper ſtoream ita diſpoſitam, ut ab altera ſtoreæ parte cooperiatur, ad quam ſine mandato Reguli nemini accedere fas eſt aut cucurbitam introſpicere, ſed cum Tabacum ſumunt, licet fumum in illam exſpirare: feras autem & mella quæ inferuntur juxta illam deponunt donec Regulus imperet illa auferre: ſingulari autem ſuperſtitione & timore percellit ſuos hac cucurbita. In illa ſunt lapides quidam, quos illi appellant *Kehnturah*, & fructus quidam, ipſis *Titzsheynos*, quos majores faciunt quam aurum.

Habent quoſdam medicos vel potius præſtigiatores, qui miris artibus populo imponunt, & perſuadent miſeris, ſe ex eorum corporibus, animantia, lapides aliaque exſugere, quæ ipſis videntibus evomunt. Reguli quoque ſibi medendi facultatem arrogant: itaque matres infantes ſuos ægros ad Regulum ſuum adducunt, qui illos fricat, & Tabaco conſputat: ſi interea infans nihilominus moriatur, à matre & conſanguineis commeditur.

Martio & Aprili menſibus maxima aquarum vis de montibus deſcendit, ita ut fluvius *Otſchunogh* ſe inflet & ripas ſuas egrediatur atque in vicinum lacum *Bayatag* exundet, quo tempore tantam piſcium multitudinem capiunt, quantam fœminæ in caſtra vix referre poſſunt: eodem

& præ-

& præcipui illorum fructus maturantur. Ubi autem fluvius intra alveum ſuum coërcetur, ad conſuetas ſedes redeunt, & ſementi dant operam: ſerunt autem imprimis grandius milium ſeu Maizium, phaſeolos varios & cucurbitas lagenæformes, aliaſque.

Antequam ſemina terræ committant, ſolum à ſortilegis & prophetis illorum ab ortu ad occaſum luſtratur, & ſemina vaporantur fumo Tabaci, hoc ad fœcunditatem proficere autumant. Nec minus anxie & ſuperſtitioſe divinatores ſuos conſulunt de anni fertilitate, qui vario plumarum ornatu atque aliis monilibus inſignes credulum vulgus miris præſtigiis effatuant: quod interea cantillando tempus terit.

Ubi ſementis eorum ad maturitatem pervenerit, & fruges collectæ fuerint, tantum ſeponunt quantum ad proximam ſementem ſufficere putant, reliquum abliguriunt.

Imprimis venerantur Pleiadum exortum, & ſtellas illas numinis loco colunt, canendo & choreas ducendo; præſertim in loco ad id deſtinato, quinque ſupra quadraginta horarum itinere ab *Otſchunoch*, quo tendunt cum fructus ſilvarum & camporum maximam partem jam maturi ſunt. Hîc autem Adoleſcentes omnes qui haſtis luſuri ſunt, poſt triduum cantando & ſaltando exactum, ſe parant ad certamen: & quidem primo ſuras vinciunt lento quodam vimine, è quo & calceos confectos induunt: deinde melle capita inungunt, & capillos poſtica parte ſubligant, & longiori avis penna erecta inſigniunt: mox rubro pulvere capillitium ad occiput aſpergunt, fronti autem albas applicant plumas; denique faciem variis pingunt coloribus, uti & reliquum corpus; dorſo autem alligant faſciam è frondibus confectam inſtar caudæ, brachiiſque alas volucris, quam vocant *Koſetug*, & cervici itidem circumdant pennas rubras. Ita ornati certant per triduum, & victores ovantes ſaltant.

Ubi quis illorum moritur (niſi forte à venenato aliquo animali exſtinguatur) portatur cadaver extra caſtra, atque ibidem ab illorum medicis & ſortilegis exenteratur & dividitur in partes: quæ deinceps à vetulis torrentur, & ab eiſdem & conſanguineis devorantur, cum planctu; ſummi enim amoris indicium judicant amicos intra viſcera ſua ſepelire. Atque hæc quidem inter plebeios obtinent: Optimatum vero cadavera ab aliis optimatibus comeduntur: præter oſſa quæ à proximis conſanguineis ſervantur ad nuptialia convivia; & tunc in minutiſſimas particulas contunduntur & bellariorum loco devorantur: quandiu autem omnia oſſa non ita conſumta fuerint, proximi conſanguinei ſibi capillos capitis evellunt in ſignum luctus.

CAP. XIII.

Alia quædam de Tapuyis ab Elia Herckmanno *deſcripta.*

TApuiyæ degunt verſus Occidentem à provinciis Braſiliæ, quæ aut à noſtris Belgis, aut à Luſitanis habitantur, & ultra montes: dividuntur autem in diverſas nationes, nam primum pone Parnambucenſem provinciam incolunt Cariri, quorum Regulus eſt *Cerioukeiou*; ſecundo *Caririvaſu*, paulo ultra tendentes, quorum regulus *Carapoto*; tertio *Cariri-jou*: quarto & noſtris notiſſimi *Tarairyou*, quorum pars à *Ianduy*, pars à *Caracara* regitur, qui à *Rio Grande* verſus Occidentem agunt; & variis ſedibus vagi menſe Novembri, Decembri & Januario propius ad mare accedunt, quia fructus *Cajons* tum maturi, quorum intra continent nulla eſt copia. Sunt robuſto corpore, procero; craſſo & amplo capite; coloris fuſci; nigro capillitio, & aſpero: quod ſuper cervicem propendere ſinunt, in fronte ad aures uſque attondent: quidam & tondent ſe ad Europæorum modum.

De nuditate illorum, & quo pacto pudenda operiant, idem narrat cum Rabbi.

Sortilegi ipſorum & magi, quos magnifaciunt & de futuris conſulunt, malignos ſpiritus evocare norunt, qui ſe illis ſiſtunt ipſorum Tapuiyarum figura; interdum & admittunt illos intra ſe ſub figura muſcæ aut alterius minoris animantis, & fingunt illos per os ſuum loqui & futura revelare. Teſtantur multi noſtrorum ſe id vidiſſe, cum natio hæc noſtris ſubſidio in *Rio Grande*: illis autem denuo diſparentibus, omnes fœminæ vociferabant & ejulabant; nam apud hos Barbaros veneratio omnis conſtat ex vociferatione & ejulatu fœminarum.

Regulum ſuum impenſe colunt quando in expeditione bellica ipſos præcedit, ipſique ſunt obedientiſſimi, domi autem tantum parce venerantur.

Porro cum omnes nudi incedant, Regulus & primates à vulgo dignoſcuntur partim capillitio, partim unguibus: Regulo enim capilli in coronam ſunt tonſi; & ungues pollicum longiſſimi: conſanguinei autem illius & alii bellici miniſtri ungues habent longos in omnibus digitis, præterquam in pollicibus: decorum enim apud illos ungues habere quam longiſſimos.

Pueris anno ſeptimo, aut octavo, auriculas perforant, uti & inferius labium ſupra mentum, ajunt ſe hac ceremonia illos demum in hominum numerum aſſciſcere.

Fœmi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Fœminæ ſi mortuum fœtum pariant, ſtatim illum devorant, ajunt quippe haud melius cuſtodiri poſſe, quam intra viſcera ipſarum, è quibus prodierunt.

Infantes illorum (quod mirum, ſi modo verum) nona aut decima ſeptimana ambulare incipiunt, atque adeo aquas ingredi ad natandum, quare nulli inter illos reperiuntur ſive mares, ſive fœminæ, qui non optime natandi artem calleant.

Perveniunt ad ſummam ſenectam, ita ut inter illos reperire ſit, qui centum & quinquaginta aut ſexaginta, quidam etiam qui ducentos annos attingant, ita ut illos in *Hamaccis* geſtari opus ſit, ſuntque illis imprimis ejuſmodi ſenes venerabiles.

In regionibus illorum, ut ipſi narrant, plurimi reperiuntur ſerpentes, & inter eos quidam qui viginti quatuor pedes ſunt longi, atque ita venenati, ut ſi in aliquod corporis membrum dentes infixerint, intra quatuor aut quinque horas læſi exſtinguantur. Ajunt & piſcium genus in fluviis & lacubus eorum frequens eſſe, *Carfa*, quod natantibus aut fluvios tranſeuntibus carnis fruſta è membris abripiat.

Ingenio ita ſunt pravo, ut licet amici venerint, rariſſime ſine ullo maleficio diſcedant.

APPENDIX
DE CHILENSIBVS.

CAP. I.

De Chilenſium indigenarum Statura, & habitu corporis, atque Veſtitu.

LICET Chilenſes longe diſſiti ſint à Braſilienſibus, quia tamen à noſtris nuper fuerunt luſtrati, non prorſus alienum putavi quædam de illis hîc ſubjungere, è variis Commentariis noſtrorum, quos Illuſtr. Comes Joan. Mauritius ſubminiſtravit.

Indigenæ Chilenſes in communi ſatis robuſto & compacto ſunt corpore: coloris inter album & fuſcum: nigris & craſſis capillis: qui autem illorum Hiſpanis ſerviunt, geſtant illos prolixos & intenſos, verum qui adhuc ſui ſunt juris & cum Hiſpanis belligerant, qui vulgo *Vcais* appellantur, attondunt illos, ne, ut ferunt, ab hoſtibus ſuis iis apprehendantur, ita ut hoc ſigno à ſubjectis Chilenſibus dignoſcantur.

Capite ut plurimum ſunt grandiuſculo & facie lata, imberbes, quia illam evellunt duabus mytulorum conchis arcte connexis, & una parte firmiter ligatis, quas ſecum & quidem ad collum appenſas geſtant: etenim non tantum è mento & genis, ſed & pudendis partibus omnes capillos evellunt, tam mares quam fœminæ, & primum cineribus calidis illos fricant, ut ita facilius radicitus evellant.

Nudo incedunt capite, & ſolummodo redimiculo capillos capitis ſubligant, quod vinculum ſuo idiomate vocant *Tariwelonco*: primoreſque illud paulo operoſius & pretioſius geſtant, utpote lamellis quibuſdam argenteis & Turcoidis gemmæ fragmentis, & aliis quibuſdam quiſquiliis, quas illi tamen magnifaciunt, intertextum. Quidam etiam ornamenti loco geſtant exuvias volucrum & pelliculas muſtelarum & ſimilium animalium, diviſas ita ut caput frontem, cauda cervicem tegat: atque nominant *Maniewelonco*; pauciſſimi denique pileos geſtant, quos ipſi faciunt groſſo modo.

Fœminæ itidem capite nudo & comis ſolutis incedunt: certis tantum temporibus ſubligant, videlicet quando menſibus laborant, atque hoc indicium facit. Fœminæ tamen Chilenſes, quæ prope *Caſtro* degunt, comas colligant & cincinnos geſtant pene ad noſtrarum hodiernum modum: In Coquimbo denique & Loquimbo Peruanarum mulierum cultum imitantur, utpote iis viciniores, aliis provinciis Chili hoc inſolitum.

Amiciunt ſe panno, quem texunt ipſæ è lana ſuarum ovium: paucæ enim reperiuntur fœminæ quæ texere neſciant, atque adeo machinas ipſas diſponere; maximi autem eorum quos texunt pannos, vix ſuperant quatuor aut quinq; ulnas noſtrates: Mares autem ſumunt hujuſce panni quadratam portionem, circiter duas & ſemis (paulo plus aut minus) ulnas longam, & circiter ulnam aut ſeſquiulnam latam; in cujus medio rimam faciunt, oblongam, qua caput exſerunt: ſub hac veſte veluti tunica, pro frigoris modo, bis terve revoluta, nudum corpus tegunt, ſine thorace aut induſio, bracca ab umbelico ad genua uſque propendente contenti, more pene Europæo. Pannus hic ut plurimum diverſorum eſt colorum, albi, rubri, cœrulei & lutei, & ad oras ſtriati, inſtar lodicis Hiſpanicæ. Cæterum nudipedes incedunt, præterquam quod quidam feſtivis diebus caligas induant ſatis affabre factas, & quadratis albis nigriſque teſſulatas: Calceorum autem uſum penitus ignorant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Fœminæ quoque quæ circa Chiluen degunt & fere Peruanarum mores æmulantur, ſimilem pene amictum ferunt à poſtica parte ad talos demiſſum, in lateribus conſutum, ad pectus apertum, ſuper humeros magnis aciculis, quæ capitella habent lata, ambitu fere dupli ſtuferi, utramque fimbriam connectunt: ſunt aut aciculæ iſtæ ſive fibulæ ex ære aut ſtanno pro illarum opulentia. Hanc togam redimiculo ſubligant, cæterum & ipſæ nudis pedibus ambulant. Cæteræ Chilenſes fœminæ amictum haud ita compoſitum ferunt, ſolummodo geſtant quadratum pannum ſub uberibus circumjectum & dependentem ad ſuras uſque. Superior veſtis eſt alius pannus paulo laxior ſub humeris, ſuper eoſdem angulis ſuis in nodos coactus: hic earum communis amictus, ſin vero maritis ſuis placeant, & paulo exquiſitius ornentur, orbiculos circum collum geſtant vitreos, & æneos annulos in auriculis, neque aliud quid. Amictum & habitum utriuſque ſexus videre eſt in Iconibus quas hîc ſubjicimus.



Omnes autem Chilenſes munditiarum amantiſſimi ſunt; quare ſingulis diebus mane ſeſe abluunt, etiam gelu ſæviente, tam mares quam fœminæ.

CAP. II.

De Chilenſium ædibus, ſuppellectile, Agricultura, victu, & connubiis.

IPſorum domicilia ſunt tuguria ſeu caſæ humiles; quarum tam latera ſive parietes, quam tecta è ſtramine, juncis aut arundinibus ſunt contexta: atque hæ hîc illic ſunt diſperſæ, neque

neque enim aut oppida aut pagos inhabitant, ſed per vicinitates, atque adeo familias & conſanguinitates in unum locum aggregantur: & Hiſpanico nomine appellantur *Partialidados*, quatenus ad unum primorem, ſeu, ut ipſi vocant, Caracam referuntur, à quo & iſta communitas regitur.

Suppellex quoque illorum tenuis & pauca: nimirum duæ aut tres amphoræ, quibus potum ſuum indunt, quem vocant *Chicam*: item cyathus corneus quo illum hauriunt: duo aut tres lignei lintres: Lapis ſuper quem far ſuum frangunt; unum atque alterum ligneum ſedile. Opulentiores tamen habent vellera aliquot ovium, quæ humi ſpargant quando à potentioribus inviſuntur.

Vivunt ſine ulla ſollicitudine, neque ſerunt neque plantant, quam quantum in annum proximum opus habent: ſiquidem opes illorum conſiſtunt in pecudibus, quarum tamen haud magnam habent copiam.

Sementem faciunt hoc modo: Octobri ingrediente, familiæ unius vicinitatis, decem, viginti aut plures paucioreſque conveniunt, & conjunctis laboribus, mares uno atque altero die fodiunt terram, aut etiam arant, ſeminaque injiciunt: atque hac opera defuncti, fœminis relinquunt reliquam culturam, neque ipſi amplius manus admovent. Communiter à mane ad veſperam comedunt & potant, cum ſunt domi; ſi vero foras proficiſcantur, nimirum ad conventum aliquem aut expeditionem bellicam, bis tantum ſingulis diebus cibum capiunt, quod & à paucis qui frugaliores ſunt, etiam domi ſervatur. Raro aquam ſolam bibunt, ſed miſcent illam communiter cum farina hordacea, tritici aut certæ ſpeciei farris, unam vocant *Tecam* (deſcripſimus illam lib. XII. Deſcr. Ind. Occident. cap. 2.) atque ita ſimul ſorbent: verum feſtivis diebus, & voluptatis cauſa, bibunt certum potum quem nominant *Chicam*, qui colorem & ſaporem habet lactis acidiuſculi: fit autem è maizio molito & in maſſam coacto inſtar panis, hæc maſſa à vetulis maſticatur (uti apud Braſilienſes) ita ut mollis & diluta evadat inſtar pultis aut ſeri lactis, admiſcent deinde aliquantum aquæ & fermentari ſinunt, donec per ſe conſidat: hoc potu inebriant ſeſe, faciunt quoque ſiceram è variis pomis, cui tantum aquæ admiſcent, ut fere tenuem ceteviſiam referat. Verum optimum potum conficiunt è certo fructu, quem Hiſpani appellant *Frutillo*; credo eſſe fructum arboris *Molle*, aut *Myrtillam*, quam vocant *Vnni* (vide lib. noſtrum ſupra citatum:) qui inſtar vini eſt rubicundus & fortis, accedens nonnihil ad vinum Inſulæ Maderæ: è quo & optimum fit acetum.

Tot uxores accipiunt, quot poſſunt alere, opulentiores enim plures habent: ſiquidem illas emunt à parentibus, unde proverbio inter illos fertur, eos ditiores evadere qui plurimas habent filias: in uxoribus autem eligendis non tam rationem habent formæ aut generis, quam roboris & induſtriæ in familia alenda: licet neque formam aut nobilitatem puellarum aſpernantur.

Ducturus autem uxorem, puellam haud alloquitur, ſed tantum ſuos conſanguineos, opem illorum implorans; nam filiusfamilias non habet proprias opes quibus illam redimat, ſed ab amicis adjuvatur, quorum alius ovem, alius porcum, tertius vaccam & ita porro largiuntur: ubi jam parata habet, quæ ſufficere autumat, adit patrem puellæ & aperit ſuum deſiderium: ſi autem ſit *Vlmen* aut alicujus dignitatis, neceſſe etiam eſt ut paratum habeat monile aliquod è Turcoidibus aut argenteis lamellis (majoris enim faciunt argentum quam aurum) quod patris puellæ capiti aut collo circumdet, & tum de reliquo pretio conveniat, quod pro diverſa contrahentium conditione variat, & interdum decem, interdum viginti, vigintiquinque, quinquaginta, imo & centum penſionibus æſtimatur, penſiones autem ſingulæ ſunt ovis aut equus aut vacca aut porcus, aut etiam quatuor amphoræ *Cichæ*, toga denique & gallina, atque ita porro. Ubi ita de pretio inter patrem puellæ & procum convenit, emtor præſtat pretium & pater venditam puellam adducit domum ſponſi: ſympoſium nuptiale inſtruitur quoad cibum à ſponſo, quoad potum à ſocero, qui pretii dimidiam partem inter ſuos conſanguineos diſtribuit, ut illi ſuccurrant in *Chica* conquirenda. Aliquot diebus poſt hanc conjunctionem conſanguinei venundatam inviſunt, & convivio excipiuntur à marito, & canunt in honorem *Maruapeante*: præſertim ſi animadvertant illam à conjuge diligi.

Fit & interdum, ut ſi animadvertant illam durius haberi quam par eſt, conjugem per vim à marito abducunt, nulla pretii ſoluti compenſatione facta, atque alteri elocent. Licet mariti more ipſis communi jus vitæ & necis in uxores uſurpent, uti in mancipia, è quo facile animadvertere quam firma ſint vincula conjugii è parte mariti, neque enim ipſi illam dimittere licet quandiu ipſi vivit; non alteri vendere; tantum ejicere, ſi perperam ſe gerat: quanquam nonnumquam fiat ut ſine juſta cauſa egerat, ſed tunc ipſi metuenda eſt conſanguineorum ſimultas & vindicta, ſi conjux paulo potentiores habeat. Nihilo ſecius hic multæ conjuges per vim à maritis ſuis abducuntur, & quidem impune.

Viri paulo opulentiores ſingulis uxoribus conſtruunt caſam peculiarem: ubi autem cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

aliqua illarum conſueſcere eſt animus, mittit ad illam ut ipſum expectet: quod & interdum clanculum fit ob cæterarum invidiam: nihilominus utitur jure ſuo, & cum dilectiſſima convenit, cæteras pene mancipiorum loco habet, quæ & metere & cætera domeſtica munia obire coguntur, ſiquidem mares, ut ante dictum, ſolummodo ſementem faciant.

Ubi autem conjugum aliqua peperit, feſtum agitur, & ovis illius terræ, quæ *Chiluvaque* ipſis dicitur, mactatur, & puerperæ datur comedenda caro, ut robur denuo acquirat; licet fœminæ hîc ſtatim poſt partum aqua frigida ſe abluant, & redeant ad domeſtica munia. Quinimo affirmant Hiſpani ſuas quoque conjuges ab aëre ad eundem modum indurari & robuſtiores fieri ad facillime enitendum.

Chilenſes omnes ſunt valde Zelotypi, itaque ſi quis peregrinus ipſos inviſat, & fœmina illos modo intueatur, vapulandum ipſi eſt: ſin autem deprehendant illas cum aliis mæchari, ſine ullo judicio publico trucidant: neque tamen propterea caſtius vivunt, & non raro viri multa coguntur diſſimulare.

Viduis autem fœminis ſecundo matrimonio ſe tradere haud quidem illicitum eſt, honeſtius tamen exiſtimatur, ſi liberos habentes innuptæ maneant, & aut ad parentes aut conſanguineos ſuos redeant. Sin autem nullos habeant liberos, veluti in peculio mariti cenſentur, & cum cæteris bonis ad hæredes tranſeunt.

CAP. III.

De Chilenſium ſenſu de Religione, & cultu numinis.

CHilenſes neque Deum norunt, neque illius cultum, nullum obſervant dierum diſcrimen, ne mortuorum quidem reſurrectionem credunt, ſed poſt obitum nihil hominis putant ſupereſſe: nihilominus noverunt Diabolum, & quidem ut adverſarium boni; & quemadmodum vitam hanc ſummum bonum judicant eorum omnium quibus fruuntur, ita vulgo ajunt, ubi quis inter eos defunctus fuerit, illum à Diabolo abreptum eſſe: quod ipſi ſuo idiomate dicunt *Alverey*.

Cæterum aliquo defuncto, is plangitur à conſanguineis & amicis; ſervant autem cadavera dudum inſepulta, interdum duos, tres, aut plures menſes, reponunt ea ſuper herbas bene olentes, atque iiſdem cooperiunt, ne fætor offendat; ubi autem ſepulturæ tradere volunt, triduo ante amicos convocant, & convivantur, ove illius terræ mactata, cujus & partem aliquam cum amphora Chicæ capiti illius appônunt; atque ita tandem cadaver intra terram deponunt prope caſam illius quam inhabitavit.

Veruntamen his non obſtantibus videntur aliquantulam habere noticiam ſupremæ eſſentiæ & alicujus divinitatis, à qua omnia terrena & humanæ quoque actiones gubernentur & dirigantur, cujus tamen eſſentiam non intelligunt: quidam enim illorum credunt aërium ſpiritum, quem appellant *Pillan*, & in ſympoſiis ſuis potiſſimum venerantur & celebrant, cuique cantiones attribuunt, peregrino geſtu & ejulatibus: maxime autem illum colunt cum tonat, ſumuntque ſagittam aut etiam ſecurim lapideam inſtar cunei, & infigunt terræ, & circumſtantes vociferantur & canunt, petentes ut *Pillan* hoſtes ipſorum perdat: nam dictio *Pillan* etiam tonitru ipſis ſignificat, & tonitru pro numine agnoſcunt: nam cum hilariores ſunt & commeſſantur, & tonitru interea accidat, òmnia omittunt & concurrunt ad arma, credunt enim tonitru monere ipſos, hoſtes ſuos Hiſpanos adeſſe, & affirmant ſe idipſum perpetuo eſſe expertos.

Porro omnes fortes & præſtantes viros, itemque primores conſilio, & manu promtos, inſigniunt nomine *Pillan*, ipſis divinas virtutes attribuentes.

Cum Tobaci fumum hauriunt, quod & ipſis familiare, miris quibuſdam cæremoniis illum in aërem exhalant, dicentes, accipe hæc *Pillan*, cum aliis quibuſdam ſermonibus, quos neutiquam noſtri intelligere potuerunt, ſed videntur hoc pacto numini litare.

Quando aliquam victoriam ab hoſtibus reportarunt, tunc feſtum celebrant, non ſine compotationibus, & (quemadmodum jam diximus de tonitru) ſecurim illam lapideam infigunt terræ, & circumſtant cum armis ſuis, & cantillant epinicia, quæ nominant *Pawary*, in honorem *Pillan*. Eodem modo agunt cum aliquem ex hoſtibus captum, occidere deſtinarunt; feriunt autem illum inter ſympoſia (nam & illum convivari & canere permittunt) ſecuri aut clava in capite, ita ut concidat, & cor eximunt è pectore, & dentes cruento infigunt, cum cantu & vociferatione ad *Pillan*, ut ante.

Puniunt quoque homicidas & famoſos latrones atque fures, proditores & ſimiles morte; eiſdem cæremoniis, quibus hoſtes captivos. Verum hæc fiunt inter ipſos cum acceptione perſonarum, nam qui potentes habent amicos, aut plurimum *Chicæ* largiri poſſunt, facile

haſce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

haſce pœnas evadunt: præterquam ſi quis veneficii aut incantationis reus ſit convictus, tales enim ſine ulla venia aut diſſimulatione vivos comburunt, & in cineres redigunt, ſimul cum omnibus quæ poſſident, neque enim cuiquam fas quicquam illius retinere, metuunt enim ne quid faſcini in illis lateat.

Nullos habent ſacrificulos aut alios miniſtros qui *Pillan* ſacrificent: neque ſortilegos: tantummodo eos qui comœdiam cum *Pillan* probe norunt agere, & cæremoniis illis defungi, & *Pawary* bene præcinere, maximi faciunt.

Colunt præterea alium ſpiritum ſeu falſum numen, quod appellant *Maruapoante*, quod ipſis indicat quando potiſſimum uxor ducenda ſit aut cognoſcenda: credunt enim illas certo imprægnari cum *Maruapoante* ipſis præceperit cum ipſis conſueſcere: ſi autem illos interroges quomodo cum hoc dæmone colloquantur, aut quo pacto ab illo moneantur, reſpondent id fieri per inſpirationem aut in ſomniis, ubi ante ipſi cecinerunt & genio indulſerunt. Atque in hiſce duobus nominibus tota ipſorum ſuperſtitio conſiſtit.

CAP. IV.

De Chilenſium regimine Politico, & armis.

REgimen illorum eſt penes optimates, quos vocant *Vlmen*, aut quando tantum unus eſt *Pulmen*. Et qui alibi vulgo *Caſiqui* audiunt, ab ipſis indigitantur *Curacæ*; nam Caſique nomen ab Hiſpanis ex Inſulis Americæ tranſlatum.

Ejuſmodi Ulmeni ſive Curacæ ſunt inter illos plurimi, qui viginti quinque, interdum quinquaginta, imo & centum aut plurimis familiis præſunt: quorum tamen regimen præcipue conſiſtit in bello adminiſtrando, aut in generalibus conventibus, cum de rebus magni momenti deliberandum eſt, ipſi enim convocant ejuſmodi conventus: non poſſunt autem ab illis tributum aliquod exigere, aut alia onera imponere, præterquam cum ſumma neceſſitas exigit, ſed tantum imperare ut adverſus hoſtes egrediantur: quo caſu ipſi præire coguntur, reliqui autem ſe adjungere generali, quem vocant *Apocuraca*, aut gubernatori illius communitatis, quem dicunt *Nentoque*, illique in omnibus obedire.

His autem generalibus ſeu rectoribus non licet de rebus publicis privatim cum quoquam deliberare, ſed neceſſe eſt ut conſilium habeatur palam & ſub dio, omni populo præſente, ut omnem ſuſpicionem amoveant.

Hæc dignitas Curacæ aut munus inferioris rectoris ſuccedit à parentibus ad liberos: ſin autem defungentes nullos reliquant, ad proximos conſanguineos aut affines.

Niſi forte hæredes parum idonei ſint, tunc enim dignitas illa aut munus interdum arripitur ab aſtutioribus. Reliqui eminentiores perſonæ eliguntur à Curacis aut Pulmenis; nimirum generales aut gubernatores: nunc autem nullum habent generalem, ſed ſingularum communitatum rectores pro talibus ſe gerunt.

Electio autem *Nentogues* ſeu rectoris alicujus communitatis fit ad hunc modum: Loco vacante, is qui illam dignitatem ambire ſatagit, primo examinat facultates ſeu opes ſuas: neceſſe enim eſt primores demereri & ſolemni ſympoſio excipere: rebus autem rite paratis, convocat Curacas omnes & Pulmenos communitatis, ad locum publicum illi actui deſtinatum, qui ubi frequentes cum armis ſuis convenerint, orationem ad illos habet, prædicans & genus ſuum, opes, amicos, atque fortia facinora, aliaque, quæ ad rem judicat facere, & petit ſe in defuncti locum ſurrogari: dein unus aliquis Curacarum aut Pulmenum orditur orationem, (candidatus autem ſtatim illius collo circumdat collare compoſitum è Turcoidibus, aut certis conchis albis politis, quas inſtar auri æſtimant) & commendat candidatum, atque permovet reliquos ad ipſum eligendum, & ſine ulla conditione aut ſtipulatione prævia obediendum: Electus autem viciſſim promittit ſe omnia fideliter pro communi ſalute acturum, & munus ſuum diligenter obiturum. Dehinc orator ille collare à candidato acceptum inter reliquos diſpartit primores: denique totus hic actus abſolvitur prolixa & ſplendida commeſſatione.

Eodem quoque modo eligunt *Apo Curacam*, id eſt, ſupremum Rectorem: quem tamen *Vcaes* jam à longo tempore non habuerunt.

Arma ipſis ſunt haſtæ ſive lanceæ, fragmento veteris cujuſdam gladii ad ſpithamæ longitudinem aſperatæ, plus minuſve: hæ autem haſtæ ut plurimum longitudinem habent duarum noſtratium communium. Utuntur & Clavis, ferro aſperatis: viſuntur quoque inter eos frequentes gladii hiſpanici, quos nudos geſtant, quia vaginæ jam olim putruerunt. More tamen & conſuetudine majorum ſuorum uſurpant quoque arcus & ſagittas, lapillis quibuſdam aſperatas, & veneno imbutas admodum lethali, verum hoc non eſt commune omnibus, ſed iis

potiſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

potiſſimum qui *Pulches* appellantur, qui origine Chilenſes creduntur, licet ad Orientem habitent trans altiſſimorum illorum montium juga, quæ ab Hiſpanis *la Cordilbra* appellantur; de quibus in Deſcriptione Indiæ Occidentalis diximus cum de Peruvia ageremus.

Fabricant & galeas & thoraces è crudis tergoribus vaccarum, valde craſſos & robuſtos, ita ut gladiis penetrari neutiquam poſſint.

Equites ſunt optimi, & illis haſtis ſatis dextre etiam in equis uti poſſunt: non ita boni ſunt pedites, ſiquidem fere uſum muſquettorum ignorant, & illa valde metuunt. In bello plerumque ex inſidiis graſſantur, in quibus admodum ſunt induſtrii. Crudeliſſimi ſunt in victos, omneſque trucidant, & corda eximunt, & palpitantia adhuc dentibus laniant, ut ante diximus de captivis quos mactant.

Fœdera ineunt & ſtabiliunt in hunc modum: qui alium primatem aut rectorem communitatis ad fœdus & armorum ſocietatem invitat, mittit per aliquem ſuorum (aut etiam portat ipſe) ſagittam, quam invitatus, ſi conſentiat, manu dextra tangens vice jurisjurandi ſe obligat, atque hoc præcipuum inter ipſos eſt fidei vinculum.

Ad eumdem modum, cum neque legere neque ſcribere ſciant, ſiquid alteri nunciare velint quod bellum aut aliud Reipublicæ negotium tangat, per fidum aliquem ſuum miniſtrum, mittunt ſagittam cui faſcia alligata eſt, ſocietatis armorum index, quam ille, ad quem mittitur, dextra manu accipit, & ſi viciſſim aliquid nunciare velit, addit & alteram faſciam, atque ita ſagittam eandem remittit. Si autem opus ſit alios quoque moneri, retinet prior ſagittam cum faſcia, & ad alios ſuos confœderatos per ſuos circumferri curat: ad eundem modum.

CAP. V.

De Chilenſium Lingua, & Vocabularium dictionum Chilenſium.

Hveno, Cœlum.
Quereb, Aër & Ventus.
Tomo, Nubes.
Ante, Sol.
Tien, Luna.
VVangelen, Stellæ.
Pillan, Tonitru.
Gualio, Fulmen.
Maoni, Pluvia.
Piren, Nix.
Verqumao, Ros.
Pilingei, Glacies.
Quetal, Ignis.
Rô, Aqua.
Tue, Terra.
Mappo, Regio.
Paun, Nox.
Tabuya, veſpera.
Eppeun, mane.
Pangiante, meridies.
Vtle, cras.
Eppoé, perendie.
Vyà, heri.
Bachiante, hodie.
Mintay, nunc.
VVeitwa, tunc.
Cura, lapis.
Peſe, argilla.
Maviel, lignum.
Millia, aurum.
Lien, argentum.
Titi, plumbum.
Pavilleve, ferrum.
Quital cura, ſilex, pyrites.
Chadi, ſal.
Ahquem, arbor.
Cachu, herba.
Nebo, nuces.
Pino, ſtramen.
Cairon, fœnum.
VVul, radix.
Tapel, folium.
Quiltui, nucleus.
Zunem, avis.
Lyppe, penna.
Mepoi inem, ala.
Dani inem, nidus.
Alchahawal, Gallinaceus.
Alchawal, Gallina.
Pylken, Anas.
Manco, Aquila.
Quichiquichio, Accipiter.
Choroi, Pſittacus.
Tuco, Ulula.
Aullyn, Apis.
Pulli, Muſca.
VVento, Vir.
Domo, Fœmina.
Quidmiger, adoleſcens.
Yecha, juvencula.
Penien, puer.
Domo penien, puella.
Chou, Pater.
Nenque, Mater.
Cheche, Avus.
Domo cheche, Avia.
VVenco, Patruus.
Nama, Matertera.
Pelchuchau, Vitricus.
Caulla, Noverca.
Towonghen, caput.
Mollbuen, *Molvin*, ſanguis.
Pelli, anima.
Calel, corpus.
Ven, caro, nervus.
Ven molvin, vena.
Lonco, caput.
Tolqui cutis, membrana.
Tol, frons.
Longlen, cranium.
Lolo, cerebrum.
Angen, facies.
Taun, genæ.
Ne, oculi.
Tacume, palpebræ.
Depen, ſupercilia.
In, naſus.
Poloiw, nares.
Pilum, aures.
Oun, os oris.
Adem, ſudor.
Quewen, lingua.
Mellbue, labia.
Villin, veſica.
Mee, ſtercus.
Boru dentes.
Ilga, molaris.
Bidabida, palatum.
Coun, ſputum.

Bul-

Bulmerre, guttur.
Quette, mentum.
Paiun, barba.
Pylco, collum.
Pel, cervix.
Aero, pectus.
Moiu, mamma.
Puique, cor.
Vercum, pulmo.
Pue, venter.
Que, ventriculus.
Curique, hepar.
Vecaque, lien.
Quelche, inteſtina.
Lipan, humerus.
Puilpa, brachium.
Cue, manus.
Mancue, dextera.
VVellcue, ſiniſtra.
Puleycue, palma.
Changelcue, digiti.
Buta changel, pollex.
VVili, ungues.
VVeddo, umbilicus.
Cadi, coſtæ.
Auri, dorſum.
Anca, lumbi.
Quichio, nates.
Penem, renes.
Collu, teſtes.
Metu, pudendum muliebre.
Chan, fæmora.
Lucu, genua.
Toy, crura.
Hemum, ſuræ.
Namon, pes.
Changel namon, digiti pedum.
Botum, filius.
Neaque.
Penu, frater.
Lamoen, ſoror.
Quempo, affinis.
VVamapenco, cognatus.
Cuneira, orphanus.
Buytha, ſenex.
Cude, anus.
Penienboc, obſtetrix.
Nichetaniweni, famulus.
Voerquin, nuntius.
Langyan cheboe, homicida.
Chuquiboê, fur.
VVocubu, Fera.
Pangi, Leo.
Naguel, Tiger.
Cuchy, Sus.
Michon, Felis.
Bewe, Mus.
VVaſen, Glis.
Tuwedewe, Talpa.
Tewa, Canis.

Pulpeo, Vulpes.
Cervinam, Cervus.
Puedo, Caprea.
Vilo, Serpens.
Piro, Lumbricus.
Bylcum, Lacertus.
Ponono, Bufo.
Challua, Piſcis.
Vilochalua, Anguilla.
Quin pilon, Oſtrea.
Apo curaca, Princeps.
Curaca, Dynaſta.
Apô, Generalis.
Nentoque, Gubernator.
Vlmen, Primates.
Pulmen, Nobiles.
Machi, Medicus.
Cona, Miles.
Retare caman, Faber ferrarius.
Quito woe, Textor.
Illuiboe, mendicus.
Alvee, Diabolus.
Challo acaman, Piſcator.
Nilla caboe, Mercator.
Pettun, color.
Queli, ruber color.
Calbu, cœruleus.
Carel, viridis.
Choot, luteus.
Curi, niger.
Lye, albus.
Temunei, pulcher.
VVoranei, deformis.
Newonei, fortis.
Leptungei, celer.
Chouwo, piger.
Aulonconey, ſapiens.
Quennei, arrogans.
Culenei, dives.
Cunewal, inops.
Toucou, fatuus.
Molgei, nudus.
Ilungei, veſtitus.
Queten, humidus.
Anguen, ſiccus.
Prequin, avarus.
Prequiboe, liberalis.
Buta, magnus.
Pichi, parvus.
Montimey, pinguis.
Tau, *Tou*, macer.
Touma, cæcus.
Topilgen, luſcus.
Pilo, ſurdus.
Topil, claudus.
Puca, domus.
Vllin, janua.
Chaquana, ſcala.
Pylca, murus.
VVana ruca, tectum.

Lolcura, penuarium.
Lonquen, mare.
Leve, fluvius.
VVietum, fumus.
Tubquen, cineres.
Cujun, carbo.
Alel, flamma.
Ilon, caro.
Ouicha ilon, ovilla caro.
VVara ilon, vaccina.
Cuchi ilon, porcina.
Cancan, aſſa.
Avaun, ebullita.
Curam, ovum.
Yly, lac.
Iwyn, butyrum.
Methen, farina.
Chiquelen, furfures.
Tipanto, annus.
Tien, Menſis & Luna.
Tominco, ſeptimana.
VVantarules, maturè.
Taptou, ſero.
Biliante, ſemper.
Inche, ego.
Eimi, tu.
Tubei, ille.
Inchen, nos.
Teinengen ennen, vos.
Liengen, illi.
Emma, ita.
Muh, non.
VVoecon, foras.
Compay, intus.
Pulon, infra.
VVono, ſupra.
Innengen, ante.
Buri, retro.
Alengei, nimium.
Munala, parum.

VERBA ALIQUOT.

Necul, currere.
Amon, ire.
Vtalenge, ſtare.
VVi, *VVyn*, eſſe.
Cuchulein, jacere.
Tecanen, ſaltare.
Padenatum, cadere.
Vtaleuen, ſurgere.
Aninge, ſedere.
Dungune, loqui.
Temelenge, tacere.
Puronge, canere.
Pylconge, clamare.
Quipay, venire.
Ien, edere.
Butun, bibere.
VVillan, mingere.
Mepai, caccare.

Cudepain, ludere.
Queguatum, pugnare.
Langawyn, occidere.
Mecowyn, ferre.
Chuquin, furari.
Guallulveno, reſtituere.
Lay, mori.
Rengalgey, ſepelire.
Quedaucapay, laborare.
Nilla vyn, emere.
Nilla Teuvyn, vendere.
Nilla cayu, permutare.
Illuwyn, dare.
Vmatum, dormire,
Limen, evigilare.
Tangnone, frangere.
Bemeine, reficere.
Playn, reperire.
Vanguenbyn, perdere.
Tuegnei, lætari.

NUMERORUM NOMINA.

Quyn, unus.
Eppo, duo.
Quila, tres.
Meli, quatuor.
Quechu, quinque.
Cayn, ſex.
Relgi, ſeptem.
Pura, octo.
Ailla, novem.
Mari palaco, centum.
VVarama, mille.

Ut autem ſpecimen aliquod habeant Lectores hujus linguæ, ſubjungendum putavi colloquium familiare, quod à noſtratibus accepi.

Iuei pingeimi? quomodo vocaris? *Iuan pingen?* Ioannes vocor. *Cheo ruaimi?* quo vadis? *Moppo murran*, in regionem. *Cheo tui mi?* unde venis? *Nirocomotoun*, ex ædibus meis.

Chumel quipa tuai mi? quando venies? *Chumel putuai mi?* quando ibis? *Ale pungei tamruca?* eſt ne domus tua procul hinc? *Pichirungei:* prope eſt. *Ale pungei*, procul abeſt.

Inchi quiparui mi camappumu: volo proficiſci in aliam regionem.

Chemnibla quiparui mi camappumci? quare vis proficiſci in aliam regionem? *Merelaya tiva mappumu*, inedia ciborum eſt in hac terra. *Aleibelaj tvvachi tipanto benibla ale genepayn:* Annus hic fuit ſterilis propterea inediam patimur. *Cheo mappungen tamichou?* in qua terra eſt tuus pater? *Alueiei*, diabolus illum abſtulit.

Aieimi ruani in chio? vis mecum ire? *Ailan*, nolo; *Aien*, volo. *Chuben quecken neicimi tamia?* habes ne aliquid quod comedamus? *cancan achawal neen*, habeo aſſas gallinas: *mu wy?* quot? *munal ei enchin tavia*; quæ nobis ſufficiant. *Chuben putuayn?* quid bibemus? *Aile mangunmeimi*, ago tibi gratias. *Chuben domo trwa?* quæ eſt iſta fœmina? *inchi tan curi*, eſt mea uxor: *ni nave*, mea filia: *ni domo*, mea concubina. *Ale temiragei vei domo*, eſt pulchra fœmina. *Quipangnei*, veni huc; *amotunge*, diſcede. *Vmatuayn?* ibimus cubitum? *utaiuca*, ſurgamus. *VVira cuchaj Compay tan mapumu*, Hiſpani irruptionem fecerunt in hanc terram. *Quipa waicha laimi?* vis ne una pugnare? *VVaiquinagelan*, non habeo arma: *Ina en pea in waiqui*, ſequere me inveniemus arma: *ali teun inchi*, conſentio.

CAP. VI.

Obſervationes ex Hiſtorica Relatione P. Alonſo d'Ouaglie, S. I. *de anni tempeſtatibus.*

QUatuor anni tempeſtates huic Regno accidunt, quemadmodum Europæ, verum diverſo tempore: Ver enim exordium ſumit à menſe Auguſto, & definit in medium Novembrem; & à medietate Novembris Æſtas incipit uſque ad medium Februarii; à quo Autumnus ducitur uſque ad medium Majum, quem excipit Hyems, quæ admodum nimboſa eſt, & ſpoliat arbores foliis, & cum vehementi gelu ſpargit altam nivem, quæ tamen à Sole diſſolvitur; niſi, quod raro Sole non comparente, ad aliquot dies durant. Raro autem nives accidunt vallibus, nam licet copioſiſſimæ ſint, & in tantum aggerentur, ut ad cacumina montium aſcendant & cum iis exæquentur, & in aperturis montium veluti in puteis coacerventur, & pene toto anno durent, ibidem diſſolutæ inflant fluvios & torrentes, qui per valles cum magno impetu decurrunt uſque ad mare, & terras mirum in modum fœcundant. Verum licet hic non ningat niſi raro in planicie, frigus facit tam exceſſivum, ut in multis partibus Europæ vix tantum ſentiatur, quod accidit partim ab altitudine Poli, ſub quo hæc regio ſita eſt, partim à vicinitate montium, è quibus deſcendunt venti ſubtiles & penetrantes, qui nonnumquam ſunt inſupportabiles. Unde fit ut loca maritima ſint magis temperata. Nihilominus in his venti magis ſunt moleſti, quam in planicie, utpote remiſſiores ibidem, neque tam rigide ferientes. Contra hoc Frigus creavit Deus latiſſimos & ſpiſſiſſimos montes, plenos Quercubus, quæ eſt communiſſima materies diſtrictus S. Jacobi & aliarum vallium, è qua & carbones fiunt ad fornaces & alias officinas; in aliis partibus ſerviunt eidem uſui Robora, uti in diſtrictu Conceptionis, ubi tam innumera ſunt & ita vaſta, ut licet jam tam multis annis cæſa fuerint, ſilvæ & ſaltus hodieque ita abundent illis, ut vix penetrari poſſint, neque aditum dent niſi ad duo milliaria ab oppido, ulterius autem ſint inacceſſi, licet hæc regio pluſquam centum millia hominum ſuſtentaverit, ut ſcribunt Authores. Iſta autem uti & arbores fructiferæ hyeme amit-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

amittunt folia; ſed ſilveſtres arbores maximam partem illa conſervant, quia ſunt craſſiora, & licet gelu cooperiantur, non onerantur ut aliarum arborum, ſed liquefacto gelu à radiis Solis, magis læte vireſcunt. Vere enim ingrediente medio Auguſto, tanta copia florum naſcitur, & numeravi aliquando duas ſupra quadriginta diverſas illorum ſpecies brevi tempore, & quidem omnes campeſtres, & maximam partem odoriferos, è quibus conficiunt aquam, quam vocant Angelorum, ob ſingularem ejus fragrantiam. Herbæ quoq; campeſtres tam feliciter germinant, tantumque ſumunt incrementum, ut vix à ſatis diſtingui poſſint, & menſe Novembri & Decembri ita adoleverunt, ut equis vix penetrari poſſint.

Sinapi, Fœniculum, Trifolium, Rapus, & Mentha, quæ plantæ in Europa ſeruntur & coluntur, hîc abundantiſſime in campis ſponte proveniunt, & quidem tanta copia, ut campos ad multa milliaria occupent, & pecudes & capræ illis paſcantur. Sinapi autem in tantam molem excreſcit, ut caules viderim craſſitie brachii humani, & tam proceros, ut arbores æmularentur, & ſuperarent altitudinem equitis.

Plurimæ hic naſcuntur herbæ Medicinales, & magnæ virtutis, Chilenſibus ſolum notæ & illorum Medicis, quos vocant Maci, qui facultates illarum aut çelant aut parce admodum docent Hiſpanos: magni hi fiunt non tantum ab Indigenis, ſed & ab Hiſpanis cum gravi aliquo morbo affliguntur; & imprimis ubi aliqua ſuſpicio eſt hauſti veneni. Neque viri tantum, ſed & fœminæ quædam hanc artem profitentur, in eaque excellunt.

Lib. 1. cap. 2. Enumerat tres herbas quæ ſingularem uſum habent in medicina.

Prima, inquit, eſt famoſa illa herba quam vocant *Quincia mali*, quæ non aſſurgit ab humo ſupra dimidium palmum: cujus ramuli ſe dilatant ad modum faſciculi florum, & deſinunt ſinguli in unicum florem, figuræ & coloris Croci in Indiis dicti *Romi*. Hæc herba evellitur cum radice, & ebullitur tota in aqua, quæ calida ægris exhibetur; & inter alia illius effecta, unum eſt, educere è corpore quemcunque ſanguinem extra vaſa conſtitutum & corruptum, cum maxima efficacia; quapropter Indi vulnerati quantocius ſumunt hanc herbam, ſiquidem ſanguinem qui per vulnus effluere non poteſt, educit antequam corrumpatur.

Altera eſt, quam Hiſpani vocant *Albaciga* (& Indiani *Culen*) quia habet folia ſimilia ocymo ſive Baſilico, verum in tantam altitudinem aſſurgit, ut arbor videatur, & folia ſunt fragrantiſſima; Hæc contuſa applicatur vulneribus extrinſecus, & guttæ aliquot ſucci eiſdem inſtillantur, & mirabiles edunt effectus.

Tertia eſt inſtar graminis, admodum ſubtilis & delicata,. neque reperitur in omnibus partibus hujus regionis: uſus illius eſt admodum mirabilis contra febres malignas & dolores laterum: coquitur tantum in aqua, & ita hauſta inſigniter mundificat ſanguinem, introrſumque educit, ita ut ægri brevi tempore perſanentur, uti ſæpiſſime vidi.

Multæ præterea hîc ſunt herbæ valde efficaces adverſus dolores nephriticos, quæque calculum in veſica rumpunt, & ruptum expellunt. Quemadmodum & aliæ adverſus dolores Sciaticæ, aliaſque ejuſcemodi infirmitates quamplurimas.

Siquidem jam de herbis cæpimus, addamus ea quæ alibi de illis tradit hic Auctor.

Lib. 1. cap. XIII. In valle Lampa, quæ diſtat ab oppido S. Jacobi milliaria quindecim, naſcitur quædam herba, ad modum Ocymi, licet ejus folia potius ſint cinereſcentis coloris neque tam læte vireant, & planta haud ſupra palmi altitudinem à ſolo aſſurgat: Hæc granulis quibuſdam ſalis æſtivis menſibus cooperitur, inſtar minutarum perlarum, quæ ſuper folia illius coagulantur, aut è rore qui noctu incidit, aut aliquo humore aut vapore, quem Sol in illa regione ſullevat cum aſcendit, aut quod herba ipſa ſit ejus naturæ, ut exſudet aut protrudat hunc humorem, qui à Sole ſiccatus convertatur in granula ſalis: ſive autem ab hac ſive ab illa cauſa, aut etiam alia hoc procedat, hi effectus ſolum obſervantur in hac valle, & ſupra hanc herbam, quam Indigenæ maximi faciunt, quia ſal iſte eſt boni ſaporis & delicatus. Neſcio an ad hoc alludat Joannes de Laet in deſcriptione Novi Orbis, in qua agens de Regno Chili & inſignibus illius qualitatibus, poſtquam illud cæteris Americæ regionibus prætuliſſet, adjungit in aliquibus vallibus hujus Regni certis anni tempeſtatibus cadere rorem ita ſpiſſum, ut congelatus ad modum ſacchari, & ſervatus, pene eundem uſum præſtet quem manna. Idem refert Antonius de Herrera Chronographus, &c. Et ſane hæc illius fide retuli in deſcriptione mea; ſed quod hic ab Authore affertur plane aliud eſt.

Eodem lib. cap. XVI. In tota ora maritima hujus regni creſcit quædam herba inſtar cichorii, quam appellant *Luce*, quæ naſcitur è rupibus, uti aliæ plantæ è terra, & verno tempore colligitur cum maxime adolevit, & cum Soli fuerit expoſita ut ſiccetur, fiunt ex illa panes grandes qui pro deliciis habentur in illis regionibus, & præcipue in Peruvia, Cujo & Tucumana, quia ſervit ad condimenta ciborum. Naſcitur hæc herba in ſummitate rupium, quæ aliquando extant è mari, aliquando fluctibus operiuntur, quibus radices innituntur, è quibus proſilit caulis, brachii humani craſſitudine, quem vocant *Vltea*; hic præciditur & pauliſper igni admo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

tus decorticatur inſtar thyrſi, lactucæ aut cinaræ, licet habeat longe alium ſaporem. Ex hoc trunco naſcuntur aliquot herbæ aut folliculi pluſquam tres pedes longi, aut quatuor, ſex etiam aut octo digitos, appellant *Cochayngo*, & ſunt duarum ſpecierum, & licet ſint ejuſdem figuræ & coloris, tamen Indigenæ magnam agnoſcunt inter illas differentiam, nam bonas colligunt in uſum Quadrageſimæ, & inutiles relinquunt in mari, quod illas abſolvit à rupibus, & expellit in littus.

Eodem libro cap. XXII. Faciunt & potum è fructu, quem Indigenæ vocant *Huigane* & Hiſpani *Molle*, qui habet figuram & colorem piperis: & arbor quæ illos fert eſt ſatis grandis, ſed magis onuſta frondibus, & potus ille valde eſt gratus. Reperiuntur hîc quoque (Herrera decad. IX. lib. 9.) fructus arboris ſilveſtris, quæ naſcitur à gradu trigeſimo ſeptimo & deinceps, quos Indigenæ vocant *Vnghi*, & Caſtellani *Myrtilla*, qui fructus ſunt rubri & inſtar exiguæ uvæ, ſaporis admodum grati, & grana illius ſunt inſtar ficus, nec ſentiuntur inter manducandum: qualitate ſunt calida & ſicca: ex his fit vinum longe optimum, clarum, ſubtile, calidum, & palato gratum, ventriculo amicum, quodque vapores capitis abſumit, & roborat ventriculum, promovetque appetitum: denique tantum aquæ tolerat quantum vinum: coloris eſt aurei, & durare poteſt octo menſibus, forte & pluribus: Acetum illius ſuperat acetum vini noſtratis, ſapore & colore.

In toto diſtrictu hujus regionis non reperiuntur viperæ, ſerpentes aut alia animantia venenoſa, ita ut cuivis liceat recumbere ſub arboribus, & inter herbas ſe volutare, ſine ullo diſcrimine aut metu. Haud magis hîc inveniuntur cimices, quinimo ſi forte è regionibus transmontanis, ubi frequentes ſunt, adducantur, ſtatim emoriuntur, ubi ſenſerint aërem hunc Chilenſem.

Eodem lib. cap. XXI. Inter quadrupedes animantes, domeſtici & quaſi proprii ſunt hujus regionis, certi Cuniculi, quos ipſi vocant *Regus*, & menſis pro delitiis inferunt. Venantur illos infundendo aquam in ipſorum cavernas, qua cogunt illos progredi, ita ut à canibus capiantur.

Reperitur hîc & alia ſpecies Cuniculorum, qui familiares ſunt, & variorum colorum, valdeque communes: ſecus quam illi, quos vocant *Arde*, dubito enim an alibi reperiantur quam in *Guaſco*, vallium Chilenſium prima: hi ſunt cinerei coloris, & pelles illorum maximi faciunt Indigenæ, ob ſubtilitatem & lævorem pilorum ad tactum. Et poſtquam egiſſet de Ovibus illis, ut vulgo vocant, Peruvianis, ſubdit; ſunt illis ſatis ſimiles capreæ tam figura corporis quam velocitate, verum differunt colore, qui in his eſt roſſus inſtar Rubini; & numquam cicurantur. Non eſt equus ita velox qui adultos aſſequi poſſit: juniorum caro admodum eſt delicata & manducatur recens; adultiorum autem ſalita & ſiccata, facile reliquas ſuperat carnes. Hæc animalia generant lapides Bezoares in ſinu quodam ventriculi, qui maximi æſtimantur contra venena & febres malignas, ad roborandum & refocillandum cor, alioſque effectus: materia è qua generantur ſunt herbæ inſignis virtutis, quibus veſcuntur naturæ inſtinctu ad ſanitatem tuendam, aut morbos & venena ſuperandum. Hi lapides inveniuntur in adultioribus hiſce animalibus, atque interdum tam grandes, ut unum in Italiam attulerim qui pendet uncias duas ſupra triginta. Experientia autem docet, in regionibus in quibus ſunt plures viperæ, aliique ſerpentes, & animalia venenoſa, plures generari lapides, & cauſa eſt manifeſta, nam cum hæ capreæ ſint tam veloces, & diſcurrant in varias partes, venenatis illis animalibus magis ſunt expoſitæ, & ab illis læſæ, feſtinant naturaliter ad herbas medicinales. Unde in provinciis *Cujo* majores ejuſmodi lapides reperiuntur quam in *Chile*, quia ibidem offenduntur multæ viperæ & alia animalia venenoſa, à quibus libera eſt *Chile*, ut diximus; ad hæc cum *Chile* magis ſit habitata, non ſunt capreæ ibidem tam frequentes quam in *Cujo*. In qua provincia & multi reperiuntur lepores, quorum quidam qui appellantur *Quiriquincios*, carnem habent qualem porcelli lactentes.

FINIS.

APPEN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

APPENDIX AD LIBROS DE PLANTIS.

VIſum hic addere Icones quatuor omiſſas, quarum duas adhuc ad ipſas Plantas referre non potui; *Pekiæ* deſcriptionem apud Authorem non inveni.

UBAPITANGA.





PEKIA.





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

INDEX
OMNIVM PLANTARVM ET ANIMANTIVM,

Quæ in his octo Libris deſcribuntur & delineantur.

A.

ABacatuaja piſcis. 161
Abutylon Avicennæ. 32
Acaja arbor. 129
Acajaiba arbor. 94
Acara piſcis. 168
Acara aya piſcis. 167
Acara mucu piſcis. 163
Acara peba piſcis. 161
Acara pinima piſcis. 152
Acara pitamba piſcis. 155
Acara pucu piſcis. 145
Acetoſa Braſilienſis. 23
Achiotl Mexicanorum. 62
Aguape herba. 23
Aguara ponda herba. 6
Aguaraquiya herba. 55
Aguti quadrupes. 224
Agutiguepo obi herba. 53
Ai, ſive Ignavus quadrup. 221
Aiaia avis. 204
Aiereba piſcis. 175
Aipimacaxera Mandiocæ ſpecies. 67
Aipimixira piſcis. 145
Aiuru pſittaci omnes. 205
Aiurucurau pſittacus. ibid.
Aiurucuruca pſittacus. ibid.
Aiurucatinga pſittacus. 207
Aiuruapara pſittacus. ibid.
Albaciga herba Hiſpanis. 291
Alcea hirſuta herba. 45
Algodon Luſitanis. 59
Altheæ ſpecies. 13
Ambaiba arbor. 91
Ambua inſectum. 253
Ambuyaembo herba. 15
Ameira lacertus. 238
Americima lacertulus. ibid.
Amimiu frutex. 59
Amores herba Luſitanis. 2
Amore guacu piſcis. 166
Amore pixuma piſcis. ibid.
Amore pinima ſerpens. 242
Amphyſbæna ſerpens. 240
Anaca avis perroquet. 207
Anas ſilveſtris. 213
Ananas Luſitanis. 33
Ananachicariri arbor. 130
Anchic Peruvianis herba. 37
Anda arbor. 110
Andira aca avis. 213
Andira Ibiariba arbor. 100
Andorinha avis Luſitan. 205
Androſace herba. 35
Anetl-inan Mexicanorum. 99
Angelin Luſitanor. arbor. 100
Anhembi fluvius. 263
Anhima avis. 215
Anhingavis. 218
Ani avis. 193
Aninga iba arbor. 106
Anir herba Luſitanis. 57
Anta Luſitanis quadrup. 229
Apeare inſectum. 257
Apeiba arbor. 123
Aperea quadrupes. 223
Apes variæ in Braſilia. 259
Arabeci piſcis. 178
Araca iba arbor. 105
Araca iba frutex. 62
Aracazi avis. 217
Araguagua piſcis. 159
Aramaca piſcis. 181
Arapabaca herba. 34
Araneorum variæ ſpecies. 248
Araracanga pſittacus. 206
Ararauna pſittacus. ibid.
Arariba arbor. 106
Araticu arboris ſpecies. 93
Aratupeba cancer. 183
Aratupinima cancer. 185
Arbores innominatæ. 109, 133, 134
Ardeæ ſpecies. 220. alia. 210
Ardeola avis. 210
Aries Guineenſis. 234
Armadillo Hiſpanus. 231
Aroeira arbor. 90
Arumatia duplex, inſecta. 251
Arundines & Cannæ. 3
Atinguacucamucu avis. 216
Atitara frutex. 64
Atſhoy apis ſpecies. 259
Ave de Verano Luſitan. 202
Avenca major & minor herba. 23
Aves innominatæ. 219
Aviantum herba. 23
Aura avis Hiſpanis. 208
Aurata piſcis. 161
Auricularia inſectum. 258
Ayng Tapuiys Serpens. 240

B.

BAgre piſcis variæ ſpecies. 173
Bagre do Rio piſcis Luſitanis. 149
Balabolla Congenſibus piſcis. 177
Balancia Luſitanis. 22
Balſamina officinarum herba. 25
Bamia Aegyptia. 45
Banana arbor. 138
Barboleta inſectum Luſitanis. 250
Batata Luſitanis. 16
Batata de purga Luſitanis. 41
Beldroga Luſitanis planta. 49
Belingela Luſitanis planta. 24
Bemtere avis Luſitanis. 216
Benatſhy apis melliferæ ſpecies. 259
Betis arbuſcula. 124
Betre Luſitanis. 73
Bicho Luſitanis inſectum. 249
Bicuda piſcis Luſitanis. 171
Bobora Luſitanis herba. 44
Bocamolle piſcis Luſitanis. 149
Boicininga ſerpens. 240
Boiguacu ſerpens. 239
Boitiapo ſerpens. 241

Boni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Bonito piſcis Luſitanis. 150
Braſilia olim Sta Cruz dicta. 260. illius ſitus. ibid. illius præfecturæ. 261. ſoli ratio. ibid. & 262. aëris temperies & anni tempeſtates. 264
Braſilienſium ſtatura & habitus corporis. 269. veſtitus & ornatus eorum, 270. Icones, ibid. Suppellex, 271. Venandi & piſcandi modi, 272. Cibus & potus, 273. Lingua, 274. Arma & exercitia, 278. Religio. ibid.
Bredos Luſitanis ſpecies Bliti. 13
Bufo avis Luſitanis. 199
Buraco de Velha Luſitanis piſcis. 163
Buyobuyo Philippinenſium. 75

C.

CAa-apia herba. 52
Caa-ataya herba. 31
Caaeo frutex. 73
Caacica herba. 7. alia. 15
Caaetimay herba. 26
Caaghiyuyo frutex. 59
Caaguacu iba, arbor. 97
Caa-opia arbor. 96
Caapeba herba. 25
Caaponga herba. 49
Caapomonga herba. 28
Caapotiragoa herba. 8
Cabocles qui dicantur. 268
Cabuibe arbor. 137
Cabure avis. 212
Cachorro do mato Luſitanis quadrup. 223
Cagado do terra teſtudo. 241
Cagni cercopithecus major & minor. 227
Caiû fructus. 94
Camacari arbor. 102
Camarambaya herba. 3
Camaræ herbæ variæ ſpecies. 5
Camara Iapo herba. 25
Camara Nuba herba. 6
Camaron de Salgado Luſit. 186
Camaru herba. 12
Camaripuguacu piſcis. 179
Cambui arbor. 108
Camuri piſcis. 160
Cana do mato Luſitanis. 48
Canambaya herba. 46
Canambaya frutex. 78
Canis Carcharias piſcis. 172
Canna Indica duplex. 4
Canna Sacchari. 82
Canna fiſtula arbor. 134
Caoi potus Braſilienſium. 273
Capiraribi fluvius. 262
Capeuna piſcis. 155
Capupuba gramen plumeum. 2
Capybara porcus fluviatilis. 230
Cara herba. 29
Caracara avis. 211
Caraguata herba. 37
Caraguatæ fruticis variæ ſpecies. 88
Caraiba Braſilienſ. 279
Carana Iba arbor. 130
Caranna reſina. ibid.
Carapopeba lacertulus. 238
Carapo piſcis. 170
Carara herba. 13
Carara pinima cancer. 187
Carapicos Luſitanis. 28
Carauna piſcis. 147
Carara ûna cancer. 184
Cardon Luſitanis herba. 23
Cariama avis. 203
Carigueya quadrupes. 222
Carigueyberu quadrupes. 235
Cariri Tapuiyæ. 274
Carucuoca mus. 229
Caſaca amargoſa herba Luſit. 25
Caſcauela Luſitanis ſerpens. 240
Caſſaon Luſitanis piſcis. 164
Cavala Luſitanis piſcis. 178
Caviacobaya cuniculus. 224
Caxabu arbor. 126
Cebipira arbor. 100
Cebola albaraa Luſitanis. 32
Cega Luſitanis ſerpens. 239
Ceixu Pleiades Braſilianis. 269
Ceixupira piſcis. 158
Centopea Luſitanis inſectum. 253
Cercopithecorum variæ ſpecies. 227
Cereiba arbor. 127
Chayaquarona Luſitan. piſcis. 167
Chica potus Chilenſium. 285
Chilenſium ſtatura & habitus corporis, 283. veſtitus. ibid. Icones, 284. Domicilia, ibid. Suppellex, 285. Sementis, ibid. Connubia, ibid. Fœminæ viris obnoxiæ; facile pariunt, 286. Senſus de religione, ibid. Regimen Politicum, 287. Arma, ibid. Linguæ Vocabularium. 288
Chilli Mexicanorum. 40
Churaqua Mexicanorum. 102
Cicie ete cancer. 185
Cicie panema cancer. ibid.
Cicutaria paluſtris. 37
Cigarra Luſitanis inſectum. 256
Cipo de Cobras Luſitan. herba. 25
Ciri apoa cancer. 183
Ciri obi cancer. 184
Coapoiba arbor. 130
Coati quadrupes. 228
Cobra de Cipo Luſitanis ſerpens. 241
Cobra de Coral Luſit. ſerpens. 240
Cocoi ardeæ ſpecies. 209
Cocos nuces ſerendi ratio. 139
Colherado Luſitanis avis. 204
Columbæ ſilveſtres. 213
Comanda guira frutex. 62
Convolvulus marinus. 51
Copaiba arbor. 130
Copyba arbor. 121
Coqueiro Luſitanis. 138
Corcovado minor. 172
Corocoro piſcis. 177
Corororoca piſcis. 179
Corta pao Luſitanis avis. 207
Coruina Luſitanis piſcis. 177
Cotia quadrupes. 224
Corvinæ ſpecies. 147
Craca de navios Luſitanis. 189
Cranguerſinho des Manges. 185
Criolos qui dicantur. 268
Crocodilus. 242
Cruſtacei piſces. 182
Crupshape Belgis. 181
Cuandu quadrupes. 233
Cubricunha piſcis Luſitanis. 181
Cucumis ſilveſtris. 44
Cucuri piſcis. 164

Cugua-

Cuguacu apara quadrupes. 235
Cuguacu arana quadrupes. ibid.
Cugupuguacu piſcis. 169
Cuiete arbor. 123
Culex elegans. 253
Cuniculorum variæ ſpecies. 223
Cunuri cancer. 185
Cupia formicæ ſpecies. 253
Curema piſcis. 181
Curicaca avis. 191
Curimata piſcis. 156
Curupicaiba arbor. 132
Curipira numen Braſilienſibus. 278
Curraes Luſitanis. 130
Curuata pinima piſcis. 150
Curuba herba. 21
Curucucu ſerpens. 241
Curucui avis. 211
Cururu ape herba. 22
Curuiru arbor. 109
Cururuca piſcis. 147

D.

DIerada fructus apud Tapuiyas. 268
Dorada mas piſcis. 160

E.

EBeni ſpecies. 108
Ehenhne apis ſpecies. 259
Ema Luſitanis avis. 190
Embuyaembo herba. 26
Encuberto Luſitan. quadrup. 231
Enembuj inſectum. 253
Enena taurus volans. 246
Enxaroco piſcis Luſitan. 148
Erva Baboſa Luſitanis. 37
Erva Cidreira Luſitanis. 32
Erva de Cobra Luſitanis. 7
Erva de noſſa Sennora Luſitanis. 25
Erva de S. Maria Luſitanis. 27
Erva do Capitaon Luſitanis. ibid.
Erva do Rato Luſitanis. 60
Erva do Vina Luſitanis. 28
Erva de purga de Juan Paez. 31
Erva Moura Luſitanis. 55
Erva Pulgera Luſitanis. 25
Eſcaravelha Luſitanis. 246
Exquima Congenſibus quadrupes. 227

F.

FAber & Gallus piſcis. 161
Fedagozo herba. 6
Felis ſilveſtris. 233
Ficus ſilveſtris. 268
Filix Braſiliana, 2. alia filicis ſpecies, ibid. filix an polypodium. ibid.
Formicarum variæ ſpecies, 252. Braſiliæ peſtis. 262
Frutices innominati. 61, 63, 68, 76, 77, 79, 80, 81

G.

GAfanhoto Luſitanis locuſta. 245
Gallina Africana. 192
Gallinaceus pullus monſtroſus. 219
Gandiroba herba. 46
Gangila Congenſibus herba. 21
Garapa potus ſpecies. 84
Garyophyllata herba. 45
Garza Luſitanis avis. 210
Gatvis Belgis. 152
Gaviaon Luſitanis avis. 211
Girgilim Luſitanis herba. 21
Gladius piſcis. 159
Gnaphalium Braſilienſe. 46
Golvaon herba Luſitanis. 23
Goſſypium frutex. 59
Graminis variæ ſpecies. 1
Granadilla Hiſpanis. 70
Guaayara locuſta. 246
Guabiru mus. 229
Guacaguacu avis. 205
Guaeru frutex. 77
Guaia apara cancer. 182
Guaiæ aliæ ſpecies. ibid.
Guaia miri cancerculus. 183
Guacacuia piſcis. 143
Guacari piſcis. 166
Guajabo arbor. 105
Guaiba arbor. 104, 105
Guaiba pocacabiba arbor. 111
Guaibi aya piſcis. 147
Guaibi Coara piſcis. 163
Guainumbi avicula. 196
Guamaiacu piſcis. 142
Guamaiacuatinga piſcis. 168
Guamaiaguaru piſcis. 158
Guanabanus arbor. 94
Guanhumi cancer. 185
Guapereiba arbor. 118
Guaperna piſcis. 145, 150, 163
Guara avis. 203
Guara abucu pallia Braſilienſ. 271
Guara capema piſcis. 160
Guara vna avis. 204
Guaricuru gammarus. 187
Guara tereba piſcis. 172
Guarerna piſcis. 178
Guariba quadrupes. 226
Guarucu eremenbi inſectum. 256
Guaruguaru piſcis. 169
Guatacupa piſcis. 177
Guayabara arbor. 102
Guebucu piſcis. 171
Guayacan arbor. 107
Guira acangeta avis. 216
Guira coereba avis. 212
Guira guai numbi avis. 193
Guira guacu beraba avis. 212
Guira ienoia avis. 209
Guira pariba arbor. 108, 118
Guirapeacoja vermiculus. 83
Guira perea avis. 212
Guirapunga avis. 201
Guirapunga fœmina. 202
Guiraquerea avis. ibid.
Guiraru nhengata avis. 210, 211
Guira tinga avis. ibid.
Guira tangeima avis. 192
Guiti arboris variæ ſpecies. 113
Guiti coroya arbor. 114
Guiti toroba arbor. 113
Guiti iba arbor. 115
Gutucupa iuba piſcis. 147

H.

HArder Belgis piſcis. 166
Hautquilitl Mexicanorum. 13

Hap

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Hay quadrupes. 222
Henbuh apis melliferæ ſpecies. 259
Herbæ vivæ ſpecies. 73
Hintzomatzin Mexicanorum frutex. 80
Huberus arbor. 102
Huitzitzil avis Mexicanis. 198
Huitzilxochitl Mexicanis. 99
Hydropiper herba. 25

I.

IAaciaiira Scorpius. 245
Iabebirete piſcis. 175
Iabiru avis. 200
Iaborandi herba. 36
Iaborandi fruticeſcens. 69
Iaboti teſtudo. 241
Iabotapita arbor. 101
Iabuticaba arbor. 141
Iacaranda arbor. 136
Iacamaciri avis. 202
Iacana avis. 190
Iacapucaya arbor. 128
Iacape gramen junceum. 2
Iacapu avis. 192
Iacupema avis. 198
Iacarini avis. 210
Iacare Crocodilus. 242
Iacarutu avis. 199
Iacatinga inſectum. 254
Iacua acanga herba. 6
Iacuarete quadrupes. 235
Iaee herba. 22
Iaguacaguare piſcis. 156
Iaguacatiguacu avis. 194
Iaguara quadrupes. 235
Iaguaraca piſcis. 147
Iaiama Oviedi. 33
Iambu avis. 192
Iamacaru herba. 23
Iamacaru arbor. 125, 126
Iamacay avis. 198
Ianduy, regulus Tapuiyarum. 269
Ianipaba arbor. 92
Iapacani avis. 212
Iaparanduba arbor. 109
Iaparuca ſcolopendra. 253
Iapu avis. 193
Iaqueta piſcis Luſitanis. 156
Iaracatia arbor. 128
Iaroba herba. 25
Iaſmini ſpecies. 47
Iataboca arundo. 3
Iatebucu ricinus inſectum. 245
Ibabiraba arbor. 117
Ibacuri-pari arbor. 119
Ibacamuci arbor. 141
Ibametara arbor. 129
Ibati herba. 19
Ibera puterana arbor. 120
Ibiboboia ſerpens. 240
Ibicurapari arbor. 114
Ibijau avis. 195
Ibipurunga arbor. 116
Ibipitanga arbor. ibid.
Ibira arbor. 99
Ibiraba arbor. 136
Ibiraee arbor. 101
Ibirapitanga arbor. 101
Ibira obi arbor. 141
Ibixuma arbor. 131
Ibyara ſerpens. 239
Icicanba arbor. 98
Icica reſina. ibid.
Icipo herba. 14
Igapeba Luſitanis Iangada. 272
Iecuiba arbor. 127
Iendaya perroquet. 206
Ietaiba arbor. 101
Ieticacica reſina. 101
Ietica herba. 16
Ieticucu herba. 41
Ignavus quadrupes. 221
Iguana lacertus. 236
Iito arbor. 120
Iiya quadrupes. 234
Inajaguacuiba arbor. 138
Inga arboris ſpecies. 111
Inga opeapiiba arbor. 112
Inimboy herba, 12. Icon. 56
Inſectum innominatum. 256, 257, 259
Inſectum inſtar fuci. 258
Inſectum magnitudine Bruſci. 258
Inſectum volans muſcæ figura. 255
Inſectum volans Tauri ſpecies. 256
Iocara arbor. 133
Ipecacoanha herba. 17
Ipecati apoa avis. 218
Ipecu avis. 207
Iperoba arbor. 97
Iperu piſcis. 172
Iperuquiba piſcis. 180
Iſocucu vermis. 252
Itaiara piſcis. 146
Iua frutex. 63
Iua umbu arbor. 108
Iuapecanga herba. 10
Iupatiima quadrupes. 222
Iupuiuba avis. 193
Iuqueri omano frutex. 64
Iurepeba frutex. 89
Iurucua teſtudo marina. 241
Iurumu herba. 44
Iurura teſtudo. 241
Iuruucapeba piſcis. 146

K.

KAkara fructus Tapuyis. 268
Κάπρος piſcis Græcis. 163
Kitſhara apis ſpecies. 259
Kura ura fructus Tapuyis. 268

L.

LAblab phaſeolus. 33
Lectus penſilis Braſilienſium. 271
Limæ metropolis Peru longitudo. 260
Lingoada piſcis Luſitanis. 181
Lobi echinoides Cluſii. 12
Locuſtarum ſpecies. 245
Locuſta tota atra. 248
Loutra Luſitanis. 234
Luce herba Chilenſium. 291
Lyſimachiæ ſpecies. 30

M.

MAcaquo Congenſibus quadrupes. 227
Maci Medici Chilenſium. 291

Macucagua avis. 213
Macumba Congenſibus herba. 24
Maguari avis. 204
Maguey, ſeu Metl Mexicanorum. 38, 88
Malaguetta vera. 39
Mameluco qui Braſilianis. 268
Mamoeira arbor. 102
Manaca frutex. 69
Mandatia Lablab Alpini. 33
Mandiiba frutex. 65
Mandioca radix. ibid.
Mandiopuba. 67
Mandubi d'Angola herba. 43
Mangangai inſectum. 257
Mangaiba arbor. 122
Mange Veradeiro *Luſitan.* 118
Mani Hiſpanis planta. 37
Mantis locuſta. 246
Manucodiata rex, avis. 201
Manucodiata alia. 219
Mapreucauch fluvius. 268
Maracana avis. 207
Maracana Araræ ſpecies. ibid.
Maracoana cancer. 184
Maraguao quadrupes. 233
Marangigoana anima à corpore ſeparata Braſil. 279
Mareca avis. 214
Marinheiro *cancer Luſitan.* 187
Marrubium Braſilienſe. 16
Maſarino *avis Luſitanis.* 191
Maratata iba arbor. 132
Maruapoante numen Chilenſium. 287
Matapaſto *herba Luſitanis.* 10
Matuitui avis. 199, 217
Maturaque piſcis. 169
Mauritiæ civitatis longitudo. 260
Mberuobi inſectum. 254
Mecapatli Mexicanorum. 11
Melongela herba. 24
Mechoacan radix. 41
Meeru canna Indica. 4
Mellis agreſtis ſpecies. 259
Melo aquaticus. 22
Memeriam bacala Congenſ. 234
Mentha Græca. 25
Mentaſtro *herba Luſitanis.* 25
Mergi aquatici ſpecies elegans. 218
Meros *piſcis Luſitan.* 169
Metl Mexicanorum. 38, 88
Micambe herba. 10
Mieren-eter *Belgis.* 225
Miivapira piſcis. 162
Millipedæ ſpecies. 253, 258
Mitu, vel Mutu avis. 194. *alia ejus ſpecies.* 195
Molle arbor. 90
Monguape fluvius. 262
Monoceros piſcis. 143
Monoceros piſcis Cluſii. 154
Mormylo Geſneri piſcis. 156
Moſambes d'Angola herba. 10
Moſquito culex. 257
Mozombo qui Braſilianis. 268
Mucu piſcis. 161
Mucuna phaſeolus. 18
Mucutaiba arbor. 106
Muiva arbor. 117
Mulato *qui dicantur.* 268
Mulli piſcis ſpecies. 156
Mundubi herba. 37
Mundubi guacu arbor. 96
Mureci arbor. 118
Mures Braſilienſes. 229
Murucujæ ſpecies. 70, 71
Mus araneus. 229
Muſcarum variæ ſpecies. 254
Myouros herba. 6
Myrta *Luſitanis.* 108

N.

Nana, vulgo Ananas planta. 33
Nana brava. ibid.
Nari nari piſcis. 175
Naſthos Græcis. 4
Nebulæ raræ in Braſilia. 265
Nhambi herba. 49
Nhambuguacu frutex. 77
Nhamdia piſcis. 149
Nhamduguacu araneus. 248
Nhamdui frutex. 73
Nhandiroba herba. 46
Nhanduguacu avis. 190
Nhaquunda piſcis. 171
Nhatiu culex. 257
Nil, ſive Nir, color cœruleus. 57
Niqui piſcis. 178
Noitibo *avis Luſitanis.* 195
Nux Cathartica. 96

O.

OCcoembo *Luſitanis herba.* 26
Oleum dantes plantæ. 47
Omenapo Yeima herba. 51
Onca *Luſitanis quadrupes.* 235
Ononis non ſpinoſa floribus luteis. 3
Openauck radix. 43
Opponne fluvius. 269
Orbis muricatus. 159
Orellana tinctura. 62
Orobus Braſilienſis. 9
Otſchunogh fluvius. 268
Oves Peruvianæ. 243
Oves Chilenſes. 244
Ourico cacheiro *Luſitanis quadrup.* 233

P.

PAca cuniculi ſpecies. 224
Pacomo piſcis. 148
Paco caatinga herba. 48
Paco caatinga arbor. 102
Pacoeira *Luſitanis arbor.* 137
Paco Seroca herba. 48
Paiomirioba herba. 9
Paipaiguacu inſectum. 255
Palmeiræ Braſiliæ. 261
Panama inſectum. 250
Panapana mucu inſectum. 249, 250
Pao Braſil *Luſitanis.* 101
Pao d'arco *Luſitanis arbor.* 118
Pao gamelo *Luſitanis arbor.* 131
Papa peixe *avis Luſitanis.* 194
Papay arbor. 102, 104
Papilionum variæ ſpecies. 250
Paragua pſittacus. 207
Paranacure gammarus. 188
Pararo herba. 52
Parati piſcis. 181

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Paru piſcis. 144
Paßionis flos. 70
Paſtor piſcis. 166
Paſtinaca marina. 175
Pata *Luſitanis Anſer.* 218
Pati Maguey ſpecies. 89
Pegafrol *avis Luſitanis.* 196
Peixe agulha *Luſitanis.* 168
Peixe gallo *Luſitanis.* 161
Peixe pegador *Luſitanis.* 180
Peixe ſerra *Luſitanis.* 179
Peixe viola *Luſitanis piſcis.* 151
Peixe volador *Luſitanis.* 162
Perexil *Luſitanis herba.* 14
Peo de Galinha *vermiculus.* 83
Petimbuaba piſcis. 148
Phalangium maximum. 248
Phoxinus Geſneri. 170
Piaba piſcis. ibid.
Piabucu piſcis. ibid.
Picacuroba avis. 204
Picuipinima avis. ibid.
Pieterman *Belgis.* 178
Pillan numen Chilenſium. 287
Pimenta *Luſitanis.* 39
Pinahuizxibuitl Mexicanorum. 65
Pindoba arbor. 133
Pinhones *Luſitanis.* 96
Pino herba. 48
Piper caudatum. 73
Piquitinga piſcis. 159
Pira aca piſcis. 154
Pira acangata piſcis. 144
Pirabebe piſcis. 162
Piracoaba piſcis. 176
Pira iurumenbeca piſcis. 149
Pira metara piſcis, 156. Icon. 181
Piranema piſcis. 145
Pira pixanga piſcis. 152
Piraquiba piſcis. 180
Pira tiapa piſcis. 157, 180
Pira umbu piſcis. 167
Piraya piſcis. 164
Piſcis innominatus. 153
Pita quid ſit. 89
Pitanga guacu avis. 216
Plantæ innominatæ. 7, 8, 9, 14, 16, 18, 19, 21, 30, 31, 37, 43, 44, 47, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 56
Polypodium Braſilienſe. 2
Pongi Congenſibus quadrupes. 225
Porcus Guineenſis. 230
Porcus ſilveſtris. 229
Poti atinga gammarus. 188
Poti pema gammarus. 187
Potiqui quiya locuſta marina. 185
Priguiza *Luſitanis quadrupes.* 221
Pſittacorum majorum & minorum ſpecies. 205
Pſittacorum nidi. ibid.
Pudiano vermelho *piſcis.* 145
Pudiano verde *piſcis.* 146
Pulches Chilenſium natio. 288
Pulgera herba. 25
Punaru piſcis ſpecies. 165
Puraque piſcis. 151

Q.

QVauhayehuachtli Mexicanorum. 97
Quauhmecatl Mexicanorum. 11
Quereiba arbor. 135
Quetele avis Congenſibus. 192
Quici inſectum. 254
Quici miri inſectum. ibid.
Quillobo Congenſibus herba. 31
Quimbatui avis. 207
Quinciamali herba. 291
Quingombo *herba Luſitanis.* 31
Quiriquincios Chilenſium. 292
Quitii arbor. 113
Quiyæ herbæ ſpecies. 37

R.

R**aetelſlange** *Belgis Serpens.* 240
Rajæ ſpecies in Braſilia. 175
Rana in arboribus degens. 241
Remedium contra Serpentum morſus, 7. *contra venena*, 9, 26. *contra calculum*, 26, 48. *contra morſus venenatorum animalium*, ibid. & 50, 52, 60. *contra ſcabiem*, 26. *purgans*, 32. *abſtergens*, ibid. *adverſus ulcera*, 53. *purgans*, 97. *contra dyſenteriam*, 62. *contra venenum.* 216
Ren marinus Zoophyton. 189
Reri oſtrea. 188
Reri apiya hydrus. ibid.
Rio S. Franciſco deſcriptio. 262, 263
Robalo *piſcis Luſitanis.* 160
Roza quid ſignificet Luſitanis. 66

S.

SAbaon *arbor Luſitanis.* 113
Sacchari machina, & conficiendi modus. 83. & ſeq.
Sagittaria herba. 55
Saimbeiba arbor. 111
Sallema *piſcis Luſitanis.* 153
Salmoneta *piſcis Luſitanis.* 156
Salpa piſcis. 153
Sape *Luſitan. gramen junceum.* 2
Sarçaparilla *Hiſpanis.* 10, 11
Sardinha *piſcis Luſitanis.* 178
Sargus piſcis. 147
Sarigoy quadrupes. 222
Sayacu avis. 193
Scarabeus parvus. 258
Scurvogel *Belgis.* 200
Scyuri Braſilienſes. 231
Sempervivum marinum bacciferum. 13
Senembi lacertus Iguana. 236
Serpentaria major. 27
Seſamum herba. 21
Silva d'agoa *frutex Luſitan.* 74
Soco avis. 199
Solani veſicarii ſpecies. 12
Solanum bacciferum. 55
Soldanella herba. 51
Soldido *piſcis Luſitanis.* 151
Squilla lata. 186
Squilla μάντις. 187
Stella marina. 189
Stella arboreſcens. ibid.
Struthio avis. 190

T.

TAcomaree canna Saccharifera. 82
Tajacu caaigora porcus. 229
Taja oba herba. 35
Tai-ibi quadrupes. 223
Tainha *piſcis Luſitanis.* 181

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Taioia herba. 27
Tamandua quadrupes. 225
Tamarindorum arbor. 107
Tamaruguacu locuſta marina. 186
Tamatia avis. 208
Tamoata piſcis. 151
Tamoatarana herba. 53
Tangaræ avis ſpecies. 214
Tangaraca frutex. 60
Tapacura Braſilienſibus. 269
Tapeti cuniculus. 223
Tapera avis. 205
Tapia arbor. 98
Tapiiaj formicæ. 252
Tapierete quadrupes. 229
Tapyracoyanana arbor. 134
Tapuiyarum fines & ſedes, 268. *mores,* 270. *arma,* 278. *mores & conſuetudines,* 279. *Icones,* 280. *progrediendi modus,* 280. *victus,* 281. *fœminæ pregnantes, & poſt partum quomodo agant,* 281. *mortuos ſuos comedunt,* 282. *lugendi modus,* ibid. *Habitus corporis,* ibid. *quibus rebus magnates à plebe differant.* ibid.
Tarabe pſittacus. 207
Taraguira lacertus. 238
Taraguira Aycurara. 238
Tareira d'alto *piſcis.* 157
Tariera do Rio piſcis. ibid.
Tareraja herba. 33
Tartaruga *teſtudo marina.* 241
Tatai iba arbor. 119
Tatu & Tatupeba quadrupes. 231
Tatu ete quadrupes. ibid.
Tatu apara quadrupes. 232
Tauri volantis ſpecies. 246
Tayaſica piſcis. 144
Teca Chilenſium far. 285
Teitey avis. 212
Teiuguacu lacertus. 237
Teiuxhana lacertulus. 238
Teſtudinum ſpecies. 241
Tetimixara piſcis. 145
Tiburonis ſpecies. 181
Tijeguacu paroara avis. 214
Timucu piſcis. 168
Tipioia, Tipiaca, Tipiabaca. 67
Tlaquatzin quadrup. 222, 223, 233
Tomatzitzicaztli Mexicanorum. 6
Tongu Angolenſibus herba. 24
Tremate frutex. 61, 81
Triangularis piſcis. 142
Trifolii ſpecies. 2
Trifolium ſpicatum. ibid.
Tuberaon *Luſitanis.* 172
Tucana avis. 217
Tururacu locuſta. 245
Tucurobi locuſta. 246
Tuidara avis. 205
Tui vulgo perroquet. 206
Tuiaputeiuba perroquet. ibid.
Tuiete perroquet. ibid.
Tuipara perroquet. ibid.
Tuitirica perroquet. ibid.
Tuinanti iba arbor. 136
Tunarum differentiæ. 127
Tunga inſectum. 249
Tupa quid ſignificet Braſil. 278
Tupacununga Tonitru Braſil. ibid.
Tupaberaba fulgur Braſil. ibid.
Tyepiranga avis. 192
Tzopilotl avis Mexicanis. 208

V.

Vcaguacu cancer. 185
Vcajs Chilenſes nondum perdomiti. 283
Vca una cancer. 184
Vermis terreſtris. 255
Veſpertilio aquaticus. 143
Veſpertilio cornutus. 213
Vipuba & Viabururu herba. 67
Vmari arbor. 121
Vmbu arbor. 108
Vmbulu Congenſibus quadrupes. 225
Vnau quadrupes. 222
Vribaco piſcis. 177
Vrticæ Vrentis ſpecies. 48
Vrubu avis. 207
Vrucatu herba. 35
Vrucari iba arbor. 104, 109
Vrucu frutex. 61
Vrumaru piſcis. 173
Vrutaurana avis. 203
Vty arbor. 120
Vuba arundo ſagittaria. 3
Vubarana piſcis. 154

W.

Waterhoen *Belgis avis.* 190
Watermeloen *Belgis.* 22
VVilhelmi Glymmerii itinerarium. 263

X.

Xahuali arbor Mexicanis. 92
Xalapa radix. 42
Xalxocotl Mexicanorum. 105
Xiphias piſcis. 160

Y.

Ypotinge fluvius Braſiliæ. 268
Ytzlehuayo patli Mexicanis. 99
Yuca Americanorum. 68
Yztuatzoz Sarçaparilla Mechoacanorum. 11

Z.

Zinziber duplex, mas & fœmina. 17, 18
Zoophyta duo innominata. 189

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3

20-9-2001
1 ill.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
36 C 3